



8

66 -

dec

A

Lorenzo Gomez Urrutia

11022

T.158359

E.199407



# NONNULLÆ

I N

VARIA JURIS CANONICI CAPITA  
SALMATICENSES ELUCUBRATIONES.

## AUCTORE

DOCT. D. DOMINICO NICOLAO ESCOLANO.

J. C. GADITANO.

In Celeberrima Salmanticensi Academia, ejusdem Juris publico  
Professore, & pro obtainendis in eadem Universitate  
Cathedris antiquiori Decertatore.

DICATÆ

Anno



1748.

EXCELLENTISSIMO VIRO PRINCIPI  
DOM. D. JOSEPHO DE CARBAJAL ET  
Lancaster.

CUM PRIVILEGIO.

VALLISOLETI: Ex Typographia Congregationis Bonæ Mortis.

# DILOGO DILEXIONIS

ATRIBUÍDO AOS SANTOS MIGUEL E GABRIEL

AQUA

DA C. O. DOMINICO DE LAZARO

DE C. QUINTANA.

ESTA OBRA SE PUEDE CONSIDERAR COMO UNA  
OBRA DE LITERATURA, PUES QUE SE PUEDE  
CONSIDERAR COMO UNA OBRA DE LITERATURA.

DICIÓN



LIBRO DE JOSEPHUS JUDEO-HERALDO



R. ALONSO

EXCELLMO. VIRO PRINCIPI  
D. D. JOSEPHO

DE CARVAJAL ET LANCASTER, &c.

OLIN IN REGIA PINCIANA  
Cancellaria Judici Integerrimo , In-  
dici Senatus , ac ejusdem Cameræ  
Senatori dignissimo , ac meri-  
tissimo Guver-  
natori:

SUPREMI TANDEM STATUS CONSILIJ  
Decano , ac rerum omnium ad status ra-  
tionem spectantium fidelissimo  
Ministro.



Enerrimus , totquè de titulis  
debitus amor , quo clarissi-  
mum Virum D. Dominicum  
de Escalano , olim mihi stri-  
Etissimo conjugij fædere co-  
pulatum , & viventem pro-  
sequuta sum . & amissum  
stere non destiti , in eam me  
cogitationem impulit , Vir Excellentissime , ut ipsius

memoriam novis , ut cumque possem , splendoribus ad  
posteros tradacerem. Atque ita fieri posse judicabam,  
ut viduitatis meæ tedium , & angorem paulisper in-  
termittitrem , & pridem inficto , nondum tamen ob-  
ducto vulneri medicam manum adhiberem. Hæc me  
potissimum ratio movit , ut vividissimam ipsius ima-  
ginem , Lucubrations uimirum , quas in Ius Canoni-  
cum felici catamo , & nitentissimis curis exaratas ,  
ac typis vulgatas reliquit , in medium iterum nova lu-  
ce polucerem , ac secundis prælis subjicerem. Sed cum  
hoc operum genus non ita fidenter suæ se se digni-  
tati committat , ut sine potenti aliquo patrocinio pu-  
blicam lucem aspicere non pertimescat ; istud huic  
operi præ alijs faustissimum accidit , quod nihil ip-  
sis de patrono fuerit deliberandum. Tot tibi nomi-  
nibus , Princeps Excellentissime , debitæ sunt Lucu-  
brations istæ , ut vel primo occursu omnem da-  
bitandi materiem præcideris. Auctoris defuncti ge-  
nium sequitur opus , & quò illud abs dubio superstes  
direxisset , innato pondere vergit. Escolanum in Re-  
gia Pintiana Cancellaria Senatorem , tunc temporis  
& ipse Senator , optimè nosti , ac pro tua in littera-  
tos omnes observantia honorificè prosequutus es ; quod  
ille si minus condignis obsequijs , grato saltē animo  
demereret non destitit. Id ego longissima cum ipso  
consuetudine , ac intimo convicta edocta asseverare  
possum , Escolanum nimirum adeò fuisse virtutum  
tuarum equum estimatorem , ut inter eos , quorum

amicitiam tua tibi merita peperere , difficile repe-  
rias , qui sinceroribus te benevolentie signis exco-  
luerit. Tuas ille laudes nunquam intermissit , & ut  
erat tui observantissimus , quoties à te vidit (vide-  
bat autem sœpissime) laude dignum aliquid geri ,  
numquam sua commendatione fraudavit. Tuam vi-  
vendi rationem ad religionis , & honestatis normam  
exactissimam , tuam in loquendo gravitatem , in agen-  
do solertiam , & æQUITATEM in jure dicendo sedulâ  
cogitatione perpendens , jam ex tunc nescio , quid de  
te magnum præstolabatur. Nec ipsum fecellit præ-  
fagæ mentis augurium ; quippe non levi aliquo blan-  
dientis animi motu , sed solidissimis virtutum tua-  
rum fulcris innixum. Non solius Eſcolani judicium  
hoc fuit , sed etiam eorum , qui tantam in Viro  
Principe Generis claritudinem tantæ morum gravi-  
tati , ac tanto sapientiae splendori felici ſedere con-  
junctam non ſemel demirati sunt. Vix juventutem  
excesseras , cum ex veteri , Maiorique Divi Bartho-  
lomæi Collegio , cui , & toti Salmanticensi Academiæ  
maximum splendorem contuleras , Vallisoletum desti-  
natus , Senatoriam Togam , quam canis non poteras ,  
virtutibus exornabas , & Senatorem , vèl in Lace-  
dæmonum Senatu non ſprenendum , refferebas. Quan-  
ta in tam arduo munere integritas ! Quanta folici-  
tudo ! Nec tua te virtus ibi diutiùs immorari per-  
missit , sed per honoratissima Togæ munera certa-  
tim te conduxit , & Indico Senatui , ac ejus Ca-

me =

meræ prius concessum , ipsius te deinde Gouvernato-  
rem constituit. In Comitijs Franco-furtensibus pro  
defuncto Rege legatione functus , quantum illi Ce-  
leberrimo totius Europe Theatro gravitate , pruden-  
tia , ac rerum gerendarum vastissima comprehensione  
prelussiferis , tua quidem virtus dissimulare , sed ads-  
tantium omnium , etiam externorum demiratio tace-  
re non potuit. Augustissimus tandem Rex noster  
Ferdinandus , cui pre ceteris omnibus cordi semper  
erit suavis , ac pacifica suorum subditorum guver-  
natio , supremo te statu Consilio Decanum prepo-  
suit ; rerum omnium ad Regni , & status rationem  
pertinentium Ministrum creavit , atque ita in mag-  
nam te curarum partem adscivit. Opportuna hec pru-  
dentissimi Regis electio bonos omnes incredibili leti-  
tia cumulavit , & per universam Hispanicam ditio-  
nem spes omnium altius erexit. Movit optimè for-  
tissimus iste duplicitis orbis Atlas , cuiusnam hume-  
ris vastissimi huius Imperij pondus committat , tan-  
diisque scit , non naturum , quandiu robustissimis  
tanti Herculis viribus suffulciatur. Nam verò in su-  
premo honoris apice constitutus quam egregiè com-  
muni omnium expectationi respondeas , quamque ad  
modestiae , & virtutis amissim te gesseris , enar-  
rent ijs , qui experiuntur , & sentiunt , cum certè  
vix ullus sit , qui non sentiat , & experiatur. In  
præcavendis , quæ imminent , aut leniendis , quæ  
iàm evenere , malis , mens tua quam solers ! In boni  
communis prosequatione studium tuum quam vigi-  
lans !

lans! In sedandis dissidentium iurgijs manus tua quam  
provida! In gratijs erogandis desiderium tuum quam  
efficax! In pœnis infligendis, si quando infligenda  
sunt, cor tuum quam dolens! Hac tamen lege virtu-  
tem hanc regis, & temperas, ut salva lenitate, justi-  
tie jura sacra, teclaque custodias. Nullius accepta-  
tor personæ, singulis unus est, & ut omnium utilitatē  
consulas, nocturnis vigilijs, diurnisque laboribus non  
parcis, uni tibi forsām iniustus, ut ceteris justissi-  
mum te præbeas. Omnibus, cujuscumque conditionis  
sint, ad te patet accessus; & quos fortasse deterrere  
poterat præcelsa tua dignitas, allicit, & compellit  
suavi quadam violentia permixta dignitati suavitatis.  
Unicuique animum tibi suum exponendi libera facultas,  
finemque dicendi habet, quem ille fecerit, non quem ipse  
præfixeris. Qua enim benevolentia non excipis! Qua hu-  
manitate non audis! Qua beneficentia non solaris! Ne-  
mo tam pavidus, quem fortiter in spem non erigas.  
Nemo tam consilij inops, cui clementissime non subven-  
nias. Nemo tam vecors, quem vèl amici lenitate non  
corrigas, vèl judicis integritate non flectas. Hac tamen  
omnia, quantacumque sunt, quæ certè sunt maxima,  
minimè in te fastus, aut elationis occasio. Animo tuo  
profundè infedisse videtur, quod olim Symmachus:  
Quanto maior eris, tanto moderatior es. Atque  
ita factum est, ut eum dignitate, ac merito ceteros  
antecellas, modestia tamèn, ac comitas tua, meritum,  
dignitatemque supergrediatur. Talis cum sis viuenti-  
bus, soli te mortui durum, & austernum experiantur?

*Absit Escolanus igitur olim vitâ functus , redivivus ,  
⁊ optima sui parte superstes , te Mæcenatem am-  
bit , te Patronum quærit . Illum ea benignitate , quæ  
omnibus es , excipias : ac ne tibi devinettissimam in-  
clientellæ , ac protectionis tuæ honorem evehas , de-  
misissimè precor . Cui ego amplissimo saniè beneficio ,  
quod equidem , quæ tua est suavissima humanitas ,  
assequunturam me spero , id unum rependam , quod  
meæ tenuitatis est : vota scilicet mea cum bonorum  
omnium votis conjungam , ut Te in magnum His-  
panicæ Monarchie decus , ⁊ utilitatem plurimam  
Deus O. M. sospitem , ⁊ incolumem diutissimè  
servet . Matriti die*

**Excellme. Domine**

*Excellentissimæ Dominationis vestræ humillima Cliens*

**D. Ana Josepha de Arana.**

**CEN-**

*GENSURA DOCTISSIMI, AC ERUDITISSIMI D. DOCT.*

*D. Andrea Diaz Romero del Portal, D. Jacobi Stemma-  
te insigniti, in Regio Militari Collegio alumni, & apud  
Salmantenses Cathedrae Decreti meritissimi Antece-  
pis.*



X commissione Ordinarij Salmanticensis hujus Dioecesis , qua potui animi intentione , diligentiaque evolvi , perlegi librum hunc , cui titulus est : *Nonnulla in varia Juris Canonici capita Salmantenses Elucubrations* , Auctore Doct. D. Dominico Nicolao Escolano , in Inlyta Salmantensi Academia Juris Canonici publico

Professore : Censorisque munus suscepturnus , vereor ne meum de tam præclaro opere judicium doctissimorum censuram incurrat . Etenim , si quæ aperire , ac libere dici debent , hujus modestissimi viri causa prætereunda duxerim , non ego satis video instituto meo facturus . Si vero ( quæ ego sum ingenuitate ) animi sensum aperiām , sive dubio tenuis mea facultas mihi damno vertetur ; neque sati præclarè sentire de tam excellenti opere videbor . In te adeò salebrosa non aliud agam , quam ut Mercurialis instar statutæ digitum intendam , & optantibus veram interpretandi methodum inire , rectam , planam , & expeditam demonstrem . Quicumque igitur ea velit insistere , verset has Praelectiones diligenti cura : ibique discet , res clarè propone , in partes justas dividere , latentes explicare definendo , obscuras elucidare interpretando , ambiguas subtiliter distinguere , postrem ita omnia pertractare , ut falsum à vero facillimè discernatur . Hæc , & plura alia , quæ necesse non est enumerare , diligens Lector in hoc opere mira eruditione fœcundata animadverteret . Quare ita elucubrations istas publica luce dignas existimo , ut magnas carum Auctori gratias habendas putem , propterea quod Elucubrations suas publicæ utilitatē non invideat ; sed studiosis

omnibus perfruendas permittat. Est præterea quod Hispanorum zelus hic exultet, quod dum Janشنiana Factio abominandis impij Quesnelli erroribus christianas aures offendit, videamus apud nos ita vigere constantem, perpetuumque Catholicae Fidei tenorem, ut vel in subitanis scriptis sint animi paratissimi ad haereticorum insaniam pie, ac solidissimè demonstrandam. Quapropter Elucubrationes has jure merito, morumque bonorum incremento prælo mandari debere censeo. Salmanticæ, in hoc Regio Jacobæo Militari Collegio, die 10. Julij. Anno Domini 1722.

Doct. D. Andreas Diaz Romero del Portal.

### LICENCIA DEL ORDINARIO.

Nos el Licenciado Don Blas de Tamayo, Provisor, y Vicario general en la Ciudad, y Obispado de Salamanca, por el Ilustrissimo Señor Don Silvestre Garcia de Escalona, Obispo de dicha Ciudad, del Consejo de su Magestad, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia à qualquier Impressor de esta Ciudad, para que guardando las Leyes, y Pragmáticas de estos Reynos, pueda imprimir un Libro intitulado: *Nonnullæ in varia juris Canonici capita Salmantenses Elucubrationes*, compuesto por el Doct. Don Domingo Nicolás Escolano, del Gremio, y Claustro de la Universidad de esta Ciudad, Professor, y Opositor mas antiguo à las Catedras de Sagrados Canones de ella, sin por ello incurrir en pena alguna, atento de nuestro mandado ha sido visto, y examinado dicho Libro, y no contener cosa, que contradiga à nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres. Dada en Salamanca à 28. de Julio de 1722.

Lic. D. Blas de Tamayo.

Por mandado del Señor Provisor,

Juan Mozino.

Not.

CENI

CENSURA DOCT. D. MATHIAE CHAFREON,  
Vespertinae Sexti Cathedræ in hac Salmanticensi  
Academia Moderatoris, necnon in eadem Sacrorum  
Canonum Prudentia Decani.



Egio Supremi Castellæ Senatus mandato dicto audiens legi, ac perlegi libentissimè Salmanticenses Elucubrationes in nonnulla Juris Canonici capita, quas nuper scripsit in lucem daturus D. Dominicus Nicolaus Escolano, Juris Pontificij in hac nostra Academia Doctor, proque obtinendis Cathedris antiquior Antagonista, vir sane omnigena eruditione, ac disciplina instructus, & post probè, ac diligenter, qua potui animi intentione, discussas, inveni non modo nihil in eis esse, quod sacris fidei dogmatibus, ac bonis moribus, Regijs vè juribus aduersetur, sed imò utiles apprime futuras, & juventuti, & doctiribus, hac præsertim tempestate, qua etherodoxa Jansenii, & Quesnelli adversus supremam Pontificis potestatem doctrina, in totius Ecclesiae Catholicae perniciem ne in dies serpat, ac progrederiatur, non sine causa veteri possimus. Cui malo totis quam valet nervis conatur Auctor ob sistere, Quapropter obstare nihil censeo quominus luci publicæ committantur, imò vero gratias Auctori referendas esse. Ita sentio, salvo, &c. Salmanticae dia 12. Septembri. Anno Domini 1722.

Doct. D. Matthias Chafreone.

## PRIVILEGIO.

**D**ON Miguel Fernandez Munilla , Secretario del Rey nuestro Señor , su Escrivano de Camara mas antiguo , y de govierno del Consejo. Certifico , que aviendose visto por los Señores de él , el Libro intitulado : *Nonnulla in varia Juris Canonici Capita Salmanticenses Elucubraciones*; su Author Don Domingo Nicolas Escolano , difunto , Ministro que fué de la Chancilleria de Valladolid , que con licencia de dichos Señores , concedida á Doña Ana Josepha de Arana , su Viuda , como Madre , Tutora , y Curadora de las personas , y bienes de sus Hijos menores , ha sido reimpresso ; tassaron a seis maravedis cada pliego ; y el referido Libro , parece , tiene cincuenta y siete sin Principios , ni Tablas ; que á este respecto importa trecientos y quarenta y dos maravedis ; y al dicho precio , y no mas , mandaron , se venda ; y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Libro , para que se sepa el precio , á que se ha de vender. Y para que conste , lo firmé en Madrid á veinte y seis de Mayo de mil setecientos y quarenta y ocho.

*Don Miguel Fernandez Munilla.*

## FEE DE ERRATAS.

**H**allo conforme al antiguo Impresso , que rubricado , y firmado al fin , sirve de Original , el Libro intitulado : *Nonnulla in varia Juris Canonici Capita Salmanticenses Elucubraciones*, su Author Don Domingo Nicolas Escolano , Oydot que fué en la Real Chancilleria , de Valladolid , á excepcion de tal qual errata , muy facil de notar , como en la Pag. 197. num. 16. lin. 8. *speciem* , lee *speciem*. Madrid ocho de Mayo de mil setecientos y quarenta y ocho.

*Lic. Manuel Ricardo de Rivera;*  
*Correct. Gen. por S. M.*

*Doct.*

Doct. D Ildefonsi Fernandez de Quiros apud Salmantenses Juris Cœfarei publici Professoris, & pro obtinendis in eodem Jure Catbedris Decertatoris,  
in Auctoris, ac sibi gratissimi conlaureati laudem.

## EPIGRAMMA.

**A**N licet, *Escokane*, tuas percurterre laudes?  
Materia est metricis longior ista modis.

Ergo iuvat clausis digitos adiungere labris,  
Dum tibi grande decus docta Minerva sonat.

Te tamen (heu superi!) iam dudum adversa sequuntur  
Oblivia immeritum. Docta Minerva float.

Proh! Summis inimica Viris fortuna! Sed esto  
Interea meritis ipse corona tuis.

Hic liber intrepidus pander, quæ ferre veretur  
In longum calamus, præcipiente metu.

Ipse etenim vivax, ac carmine maior imago,  
Testis erit foelix nominis ipse tui.

Dotti

*Doct. D. Josepbus Florez del Valle, in Salmanticensi Academia  
Pontificij Juris publicus Professor, proque a sequendis in eodem  
Fure Cathedris Antagonista, in laudem Operis charissimi  
sui Praeceptoris Doct. D. Dominici Nicolai Esculano.*

**I** Liber , & radijs animos perfunde coruscis,  
Quos tibi lucivomus contulit ipse Pater.  
**I** liber ; Authorem facies per saecula notum,  
Sit licet ingenio notus ; & ore scholis.  
Nempe *Escolanum* placido Salmantica vultu  
Aspicit , ut Phoebum cernit uterque polus.  
Juraque Palladio tutanti pulvere dextra  
Ingeminat plausus non sine laude Themis.  
Unde liber , radiose liber , decurre per orbem,  
Litibus ac dubijs iustus adhaere Canon.  
Gallica te metuat novitas , tuque impia Sacro  
Dogmata Quesnelli fulmine tacta premas.

*Lic. D. Francisci Antonij Izquierdo, Fure Canonici in Salmanticensi Academia publici Professoris, proque obtinendis in eodem Fure Cathedris Agoniste, in laudem Operis,  
O sui amicissimi Authoris.*

## EPIGRAMMA.

**D**esinat Herculeas urbs Gaditana columnas  
Concelebrate , mirum urbis , & orbis opus.  
*Plus ultra clambo , quam Martius Herculis ensis*  
Indigena ascendit , sic *Escolanus* agit.  
Ille cruentatis saevi Mavortis in armis  
Plauditur , hic placida pacis in arte nitet.  
Littera pro telis huic strictum cum vulnere ferrum  
Doctrina vincit , tam sacer oris honos !  
Sed non plus ultra clamat , cum nobile Pettii  
Defendit solium , jusque tenere probat.

**D.**

D. Isidori Camp. Rubi, & Tort, ex Lelatania Montana  
in Saltantino Theatro Juris Civilis publici Professo-  
ris, & pro obtinendis in eodem Jure Catbedris antiquo-  
ris concertatoris, in charissimi, ac eruditissimi  
Auctoris ladem, & libri ab eo  
nuper editi.

## EPIGRAMMA.

Stemma Herculea, qui suscipis orbis in urbe,  
solis ubi ignivomos Tethys obumbrat equos.  
Constituit hic labor, & fulgor: sed foenore pulchro  
Oblatum dextro sydere carpe diem.  
Texit radiat: Decreta nitent: micat inde Thyara.  
Auctori munus cedit Apollo suum.  
Zil tibi cum tenebris, Lector. Caducifet ecce  
Omnigena Sophia splendida cuncta facit.

## IN EJUSDEM ALIUD AUCTORIS ELOGIUM.

**E** Gregij metam Herculis tu qui conspicias altam  
Suscipte Plus ultra extulit inde labor.

Condecuit istum Plus ultra efferre libellum  
Ortus ut Herculeo construat ipse solo.

Lis igitur tanto Hercule Quesnelliana sopita  
Abscedat: monstra abiicit quippe timor.

Nobilis ergo sui mensuram nominis implet;  
Obsequitur Musis nominis ergo sui.

IN

# I N D E X

ELUCUBRATIONUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

## EX DECRETALIBUS.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Perlatum 1. de bis, que vi.* Pag. 234.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Novit. 13. de Judicijs.* pag. 39.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. ad nostram 7. de jurejurando.* pag. 335.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Si qui clericorum 1. de clericis conjugatis. p. 367.*

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Perniciosus 13. de celebrat. Missar. O Sacra-  
mento Eucharist.* pag. 309.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Majores 3. de Baptismo, O ejus effectu.* pag. 69.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Accepisti 2. de sponsa duor.* pag. 436.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. fin. de conditionib. appositis.* pag. 274.

## EX DECRETO GRATIANI.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Gratia 1. caus. 1. quest. 1.* pag. 95.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. In apibus 41. vers. Roma. caus. 7. quest. 1. p. 188.*

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Cuncta per mundum. 17. caus. 9. quest. 3. pag. 2.*

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Principie 3. caus. 11. quest. 3.* pag. 128.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. De nebulae 12. caus. 12. quest. 2.* pag. 200.

### ELUCUBRATIO

*Ad text. in cap. Si quis oblitus 4. caus. 14. question. 4. pag. 404.*

## EX CLEMENTINIS.

### ELUCUBRATIO

*Ad Clement. Si furiosus un. de homicidio voluntario, vel casua-  
li.* pag. 151.

AD

# AD LECTOREM.



IX aliud , benebole Lector , te  
præmonendum censueram , quām  
ut titulum , quem huic opera  
præfixi , legeres , & evolveres;  
in hoc enim uno fere ab omni-  
bus edocereris. Placuit tamen  
aliorum , qui scripserunt , vesti-  
gijs inhærente : qui , ut claritati  
consulerent , nonnulla in gratiam  
Lectoris præmittere consueve-  
runt. Nec scribendi causas ple-  
rique voluerunt omittere , scientes invidos scribentis  
animum plerunque detorquere : quod hāc præcipue tem-  
pestate timendum ; in dies namque homines in deterius  
propendent. Nollem igitur & tu , in his Elucubrationibus  
excedendis , inanis gloriæ noeum mihi confingeres ; cer-  
tus , mentem non esse meam venditare notitiam , quam  
summo studio , & industria potui in jure Canonico com-  
parare. Sanè , cum multis ab hinc annis ingressi fuerim  
harum litterarum curriculūm , cumque ampliis annos vi-  
ginti in Salmanticensi Academia egerim Candidatum , pro  
obtinendisque Cathedris sæpè sæpius ē suggestu Juris Ca-  
nonici , prout sors dedit , enodaverim difficultates ; fit,  
ut plures elaboraverim Prælectiones , easque non sine la-  
bore perfecserim , ac tandem perfectas Clarissimo Docto-  
rum Salmanticensium Senatui perlustrandas alactri animo  
proposuerim. Hinc , fateor de jure Canonico debui non  
mediocriter erudiri : quod & visus sum aliquibus conse-  
cutus ; ijs , inquam , qui alias non iniqui rerum aestimato-  
res , in has meas Elucubrationes plus forsitan , quām par-  
erat , meriti contulerunt. Nec tamen adduci potueram ,  
ut tanti facerem labores hujusmodi , ut quos ē suggestu  
Salmantinæ Academiæ commisseram auribus , prælo da-  
tos oculis omnium permitterem : donec parendum fuit  
eorum sententiae , quorum auctoritas vim mihi merito in-  
ferre subuisset. Existimauunt scilicet , fore ut communī

non parum deservirent utilitati , præfertim Academis  
Candidatis , qui similia solent desiderare exemplaria , que  
ipsis in hoc curriculo præferant facem . Cum ergo tot meis  
malis , & sumptibus , & per tot annos eorum satis didice-  
rim misereri , bene collocatum habebo , quidquid eò ten-  
dit , ut longissimam viam brevi temporis spatio decurrant.  
Sin verò & alijs fructum aliquem is meus labor attulerit,  
duplicatum lucrum sic reportavero . Denique cum in pre-  
fatum scopum hæ Prælectiones præcipue colliment , non  
omnes , quas potui , sed earum aliquot volui tantum ex-  
cūsas ; sic enim & fiebat satis Candidatorum voto , & le-  
gentium consulebatur fastidio . **VALE.**

B R E V E

APOSTOLICUM,

QUO SS. D. N.

CLEMENS XI.

PONTIFEX MAXIMUS HUMANISSIME,

ATQUE HONORIFICENTISSIME.

RESPONDET EPISTOLÆ

UNIVERSITATIS

SALMANTICENSES

AD EUNDEM SS. DOMINUM

scriptæ circa justissimam , atque  
venerandam sanctitatis ejus

Constitutionem , quæ inci-  
pit Unigenitus Dei  
Filius.

13. 23. 050

## CHEMIE XI.

ЕМСИЯМН ГҮМІХАМ ҮЛТІСІ  
ДІРІСІНДЕСІОЛ 2014

Adoption of the new

## ART AND CIVILISATION

ANSWER:  $\frac{1}{2} \times 10^{-12} \text{ N} \cdot \text{C}$

WILSON'S MUSIC DEP.

2011

IHS.

DILECTIS FILIJS RECTORI,  
Professoribus, ac Moderato-  
ribus Universitatis Sal-  
manticensis.

CLEMENS  
PAPA XI.



Ileclii Filij salutem , & Aposto-  
licam benedictionem. Etsi pre-  
clara , & sanè vetus , ani-  
moque nostro altius infixa opi-  
nio , quam gerimus de synce-  
ra , incorruptaque celebris Uni-  
versitatis Salmanticensis Religione , facile No-  
bis

bis persuaserit , rumorem adversus illam à  
Novatoribus , quorum os felle , & amaritudi-  
ne plenum est , impudentè disseminatum quoquod  
Apostolicam nostram Constitutionem , cuius  
initium est — Unigenitus Dei Filius — om-  
nino à veritate alienum esse ; nihilominus per-  
libenter accepimus , ac legimus epistolam ve-  
stram die 19. præteriti mensis Augusti ad Nos  
datam , unà cum illi adiectis documentis , qui-  
bus non modò calumniam vobis inustam per-  
picuè diluitis , verùm etiam universo Catho-  
lico Orbi luculentè testatam facitis egre-  
giam vestram in sana doctrina tuenda cons-  
tantiam , inconcussamque obedientiam defini-  
tionibus supremæ Cathedræ Beati Petri , in  
qua idem gloriosus Apostolorum Princeps vi-  
vit adhuc , & præsidet , præstatque qua-  
rentibus Fidei veritatem . Repleti itaque su-  
mus consolatione , & superabundavimus gau-  
dio , cernentes Vos firmitè adeò illustri-  
bus Maiorum vestrorum vestigijs , ac exem-  
plis insistere , quorum præstanti virtuti , per-  
petuoque in hanc Sanctam Sedem studio , sa-  
tis constat , magna ex parte deberi singu-  
larem illam , & planè insignem prærogati-  
vam inclytæ Hispanicæ Nationi concessam  
quod scilicet ipsa tot sæculorum decursu ab  
omni

omni hæresis labe se immunem, inviolatam.  
que servaverit, adeoque splendidum, & glo-  
riosum Catholicae titulum meritò adeptæ fue-  
rit. Debitis propterea laudibus Vos, dile-  
cti Filij, in Domino prosequentes, Paterne  
Vos adhortamur, ut avita decora, nominis-  
que vestri dignitatem constantè tueri per-  
gatis, ac ab Academia vestra quam diligen-  
tissimè arcere curetis profanas vocum Novita-  
tes, quibus iniquitatis filij miseris hisce tem-  
poribus vetustatem incessere omni ope nitun-  
tur, quasi Evangelium Christi, ut inquit  
Apostolus, convertere paulatim vellent. Id por-  
rò de perspecta pietate, eximiaque sapientia  
vestra Nobis abundè polliciti, planè confi-  
dimus, fore ut exempli vestri autoritate in  
dies magis confundantur, ac erubescant, qui  
supra ipsam supremam Cathedram caput at-  
tollere procaciter audent, nec intelligunt, se  
magistros effici erroris, dum Christiana hu-  
militate fieri indignantur discipuli verita-  
tis. Omnipotens Deus dirigat vias vestras in  
beneplácito suo, ac omnia Vobis lata, at-  
que secunda largiatur, quibus Nos Paternæ  
nostræ charitatis testem Apostolicam benedi-  
ctionem peramantè impertimus. Datum Rome  
apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Pis-  
ca,

catoris die 12. Octobris 1716. Pontificatus  
nostrī anno XVI.

Post sigillum

*Joannes Christophorus Archiepiscopus Amasiae.*

*Predicta omnia adverbum conformia esse cum ori-  
ginali, fidem facimus infrascripti.*

*De mandato eiusdem Almae Universitatis,*

*Didacus Garcia à Paredes.*

*Secretarius.*

*Nicclans à San Martin.*

*Apostolicus Notar.*

*Antonius à Foncueva*

*& Venero.*

*Notar. Apost.*

SO-



# SOLEMNIS TRACTATUS

D E

prohibita appellatione à sententijs Sedis Apostolicæ , seu Rom. Pontificis etiam ad futurum generale Concilium adversus Quesnelianos.

P R O

expositione celebris textus  
in cap. *Cuncta per mundum 17.*  
*caus. 9. quest. 3.*

**D**\* Aturus in lucem nonnullas ex pluribus elucubrationibus , quas in alma Salmanticensi Universitate , vel ex suggestu proposui , vel per otium elaborare licuit , initium sumere decrevi ab expositione textus in cap. *Cuncta per mundum 17.*  
*caus. 9. quest. 3.* ubi Gelasius Papa scribens ad Episcopos per Dardaniam constitutos statuit supremam Romanæ Sedis autoritatem , & jurisdictionem supra quodcumque vel Generale Concilium . Licet enim litteris , tum

A

ad

2

ad Beatissimum D. N. Clementem XI. Ecclesiæ universalis Præsulem , tum ad nonnullos Galliæ vigilantissimos Pastores , tum etiam ad celeberrimum Sorbonense Collegium datis anno 1716. satis, superque evanuerit rumor à Novatoribus , & Sectatoribus Quesnellianæ doctrinæ per summum nefas diffamatus , quod videlicet Universitas nostra non admisserit Constitutionem *Unigenitus*, tamen putavi , nihil me gratius eidem Universitati facturum , quām si pro mea tenuitate Sedis Apostolicæ jurisdictionem , & authoritatem supremam propugnare satagam. Quod favente Numine præstabo in expositione celebris textus *in cap. Cuncta per mundum 17. caus. 9. quest. 3.* ubi Gelasus Papa ad quosdam Dardaniæ Episcopos sic scribit:

*Cuncta per mundum novit Ecclesia , quod Sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permisus. Sed nec illa præterimus , quod Apostolica Sedes sine ulla synodo præcedente , & solvendi , quos synodus iniquè damnaverat , & damnandi , nulla existente synodo, quos oportuit , habuit facultatem : & hoc nimirum pro suo principatu , quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce , & tenuit semper , & tenebit.*

Num. I.



X cuius textus verbis similis deducitur dogmatica, & hâc tempestate utilissima conclusio. A sententia Romani Pontificis ad Concilium Generale nemini appellare fas est, imo à sententia Generalis Concilij ad Pontificem Romanum omnibus est appellare permisum. Quæ conclusio firmatur ex cap. significasti 4. cap. licet 5. de election, cap. per-

ve-

venerabilem 13. qui filij, sunt legitim. Ex decreto Gratiani comprobant textus in cap. si quis 7. cap. ad Romanam 8. cap. qui se scit 12. cum seq. caus. 2. q. 6. cap. patet 10. cap. nemo 13. cap. ipsi sunt 16. hac ead. caus. & quæst. cap. nemini 30. 17. q. 4. Extravag. unam sanctam. de major. & obed. Ex Concilijs probant Concil. Chalced. act. 3. synod. 8. general. act. 7. Concil. Constant. sub Martino V. ibi : Tam jure divino, quam etiam humano, quibus Sacrorum Canonum auctoritas innititur, nulli fas est a Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Rom. Pontifice Iesu-Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei, quæ tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferrenda sunt; declinare. Illustrant ultra congestos à D. Gonçal. in cap. si duobus 7. de appellat. num. 1. & 2. Panormit. in qq. quæst. 1. à num. 18. Cardinal. Turrecrem. in præsenti, & lib. 3. Summ. de Ecclesia cap. 47. cum 2. seqq. P. Pithirg. in lib. 2. decretal. tit. de appellat. num. 81. Prosp. Fagnan. in cap. significasti 4. de elect. num. 59. cum 2. seqq. Cardin. Bellarmin. lib. 2. de Roman. Pontifice, cap. 21. cum 3. seq. & lib. 2. de Concilijs, cap. 17. Ex nostrisibus Doct. Balboa in cap. cum speciali 61. de appell. num. 7. Doct. Graña in cap. si duob. 7. eod. tit. num. 2. cum seqq. duo alia hujus Athenæi clarissima lumina, Sapientissimus Primarius noster D. Doct. D. Andreas Garcia à Samaniego in tract. de superiorit. Pontificis supra Concilium nro. 6. Colendissimus Praeceptor meus D. Doctor D. Mathæus Perezius Galeote, olim in hac Academia Primæ Sacrorum Canonum Cathedræ emeritus Interpres, à Consilijs Catholicæ, Regiæque Majestatis Magni Nostri Philippi, ejusque Regius Fisci defensor, & nunc in ipso Regio, & Supremo Castellæ Senatu Consiliarius in tract. Acad. de legib. human. cap. 1. num. 14. & 15. quibus accedit Eminent. Cardinalis de Aguirre hujus nostræ Universitatis, Benedictinæque Familia lumen, & columen in tract. contra declaration. cleri Gallicani disp. 36. sect. 2. num. 12. cum 2. seqq. pluresque alij ab ipsis laudati.

4

2 Sed meherclè , licet assertio hæc verissima sit , & tot juribus, Interpretumque authoritatibus fulcita maneat, ingentes tamen patitur difficultates; quarum prima sic efformari potest. Si à Sententia Romani Pontificis nulli fas esset ad Generale Concilium appellare , eò maximè , quia Generale Concilium non est judex superior , cui de ejus liceat judicare judicio ; sed Concilium Generale est superius Rom. Pontifice , tribunalque Concilij majus tribunali Pontificis : ergo ad Concilium Generale tamquam ad tribunal majus à judicio Rom. Præfus omnibus erit appellare permisum. Major constat ex nostro textu. Minor vero upicè dubia probatur ex eos nam ille intelligitur superior judex , ad quem in extremum reus judicandus mittitur; majus enim tribunal ultimum est ; sed in extremum reus non ad Pontificem , sed ad Ecclesiam per Concilium Generale repræsentatam mittitur judicandus : ergo Concilium Generale superius est Pontifice , & tribunal Concilij majus tribunali Pontificis. Minor expressè probatur ex Matth. cap. 18. ubi Christus Dominus, Petro , qui futurus erat Summus Pontifex, ita ordinem judicialem describit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum, vel duos; quod si non audierit eos, dic Ecclesia: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* ergo ex Christi doctrina constat , à Petro ad Ecclesiam , seu quod idem est , ad Concilium Generale tamquam ad ultimum subsidium , & supremum tribunal recurrendum esse.

3 Augetur , & illustratur primò eadem dubitandi ratio ex D. Augustino , qui epistol. 161. agens adversus quosdam Episcopos , qui cum Melchiade Pontifice iniquas sententias pronuntiarunt , ita loquitur: *Etsi putemus , illos Episcopos , qui Romæ judicaverunt, non bonos Judices fuisse , restat abduc nobis plenarium universalis Ecclesia Concilium , ubi etiam cum ipsis iudicibus causa potest agitari , & si male judicasse convicti essent , eorum sententia solverentur.* Ex quibus verbis clা-

3

clarè deducitur , sententiam Romani Pontificis posse à Concilio Generali per appellationem retractari: ergo quia à sententia , & judicio Sedis Apostolicae licita est provocatio ad Generale Concilium , tanquam ad superiorem Judicem , & maius Tribunal. Id ipsum probatur ex eodem Augustino , epist. 162. ubi legitur , causam Ceciliae hæretici Donatistæ , primò ad Imperatorem Constantiū fuisse delatam , cuius jussu Pontifex Romanus illam judicavit: Deinde , eodem Imperatore jubente , judicata fuit ab Episcopo Arelatense : & postremò ab ipso Imperatore. Ex qua D. Augustini epistola constat , post Romani Pontificis sententiam , aliud judicium fuisse desideratum , nempè Imperatoris Constantini : ergo potiori titula expectari , desiderari ivè poterit judicium Concilij Generis , utpote repræsentantis universalem Ecclesiam : proinde ad ipsum tanquam ad maius , & superius tribunal recurri poterit per appellationem.

4 Id , quod rursus suadetur ex Concilio Constantiensi *sess. 4.* & *5.* ubi decisum fuit , Concilium Generale legitime congregatum habere immediatam potestatem à Christo , cui quilibet , etiam si Papali dignitate insignitus existat , obedire tenetur : & *sess. 15.* Omnes cujuscumque dignitatis etiam Papalis , qui venientes ad Concilium impediunt , sententia excommunicationis ferit : ergo recursus per viam appellationis à judicio Sedis Apostolicae ad Generale Concilium impediri nequit , nec quidem à Romano Pontifice. Et ita non semel appellatum legimus ad futurum Concilium , ut de D. Joanne Chrysostomo referunt Nicēphorus *lib. 6. cap. 15.* & Sozomenus *lib. 8. cap. 17.* De Gualtero Piclaviensi Episcopo tradit D. Antoninus , & ex eo Rousselius *lib. 3. Histor. Pentific. cap. 3. num. 10.* Qui de Philippo Pultchro Galliæ Rege idem enarrat. Quod & agnovit Innocentius IV. in *cap. Ad Apostolicæ 2. de re jud. in 6.* ubi ait , quod si Federicus II. queratur ab Ecclesia contra se , id est , injustam esse sententiam à Pontifice prolatam , paratam esse Ecclesiam accurate , & consilio Concilij satisfacere : ergo sentit Pontifex , quod si sententia

Sedis Apostolicæ sit injustè prolata, poterit revocari à Generali Concilio virtute appellationis ad ipsum interpositæ.

5 Augetur insuper idem difficultatis assumptum ex sequenti consideratione. Ad appellationem legitimè interponendam ille censetur judex superior, qui authoritatem, facultatemve habet cognoscendi causam Judicis, de cuius sententia conqueritur reus, atque adeò potest, vel absolvere, vel condemnare, ut notum est; sed Papa potest à Concilio condemnari, vel absolvi: ergo ad Concilium Generale tamquam ad superiorem appellare licet. Minor probatur *ex cap. sane 3. 24. q. 2.* ex quo constat, Diocorum Rom. Pontificem etiam post mortem damnatum fuisse à Concilio. Idque ipsum liquet exemplis plurium Pontificum à Concilio, imò etiam ab Imperatoribus damnatorum; nam Marcellinum judicavit synodus Sueffana, eò quod idolo Vesta thus adolevisset. Constantinus Liberium Pápam, Justinianus Silverium proscriptis. Otho I. in Concilio Rom. Joannem XII. expulit Leone suffecto; & Henricus III. Gregorium VI. depositus: Cum ergo ex his omnibus aperte constet, Pontificem Rom. posse a Generali Concilio condemnari, necessariò fatendum est, posse ad ipsum tanquam ad superius tribunal recurriri.

6 Quod ulterius suadetur *ex cap. Mandatis 10. caus. 2. quest. 5.* ubi cum Sextus III. injustè accusaretur, se sponte subjicit Concilio, quod Valentianii Augusti jussu fuerat congregatum, ut patet ex verbis illis: *Sed non alijs, qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendo formam, exemplumque dans.* Idem de Leone III. refertur *in cap. Auditum 18. ead. caus. 9. quest. 9. in cap. Nos si incompetenter 41. caus. 2. quest. 7.* ubi Leo Papa se subjicit judicio Imperatoris Ludovici; sed hoc Romani Pontifices facere neutiquam possent, si Concilium Generale esset inferius. *cap. nunc autem 7. dist. 21:* Ergo quia Concilij Generalis authoritas, & jurisdictione superior est authoritate, & jurisdictione Pontificis, adeoque ad ipsum Concilium appellatio licet in-

terponi valet , ut in prædictis juribus , vel ipsi Romani  
Pontifices supponere videntur.

Rursus eadem dubitandi ratio ro-  
bur accipit ex eo , quod potestas ligandi , seu imponendi  
legem non potest esse nisi superioris *cap. inferior. 4. dist.*  
*21. cap. cum inferior 16. de major. & obed.* Siquidem  
non potest quisquam , qui minoris est authoritatis , cum  
qui majoris est potestatis , judicijs suis addicere , aut pro-  
prijs definitionibus subjugare ; sed Concilium Generale  
potest Papam per conciliarem legem constringere , nempè  
statuendo , ut legibus Concilij ligetur , ita ut illis con-  
traire non valeat : ergo quia Concilium Generale supe-  
rius est Rom. Pontifice. Minor probatur , tum *ex cap. si-  
cut 2. dist. 15.* ubi dicitur , Papam non posse solvere ;  
quos quinque Concilia OEcumenica ligarunt , nec ligare ,  
quos illa solverunt ; tum *ex cap. contra 7. 25. q. 1. ibi.*  
*Contra statuta Patrum concedere aliquid , vel mutare , nec*  
*bujus quidem Sedis potest autoritas.* Tum etiam *ex cap.*  
*1. cap. 9. 25. q. 1.* in quibus dicitur , Sacrorum decre-  
ta Conciliorum nullam magis exequi Sedem , quam pri-  
mam oportere. Si ergo Pontifex constringitur à Conci-  
lio , ut ex dictis juribus constat , signum est , quod absolu-  
tè sit supra Papam. Quæ Concilij superioritas ulterius ro-  
boratur ex eo ; quod si Papa superior esset , omnes consti-  
tutiones in Concilio Generali editæ attribuerentur ipsi  
Rom. Pontifici ; denominatio enim , ut docet Felinus *in*  
*cap. 1. de Sponsal. sub num. 4.* sumitur à majori , & digni-  
orii ; atqui omnia Concilia oecumenica , eorumque cano-  
nes leguntur editi sub nomine Concilij , nulla facta Pon-  
tificis mentione : ergo quia Concilium Generale est su-  
pra Papam. Minor expresse constat ex varijs juris nostri  
textibus , in quibus aliquando dicitur : *Sacro approbante*  
*Concilio* , ut in *cap. cum laicis fin. de reb. Eccl. cap. an-*  
*tiqua 23. de Privileg. cap. Sacro approbante Concilio 48.*  
*de sent. excom.* Aliquando autem *sacro suadente Concil-  
lio* , ut in *cap. Licet Gracos 6. de Baptism.* nonnumquam  
etiam *Sacro præsente Concilio , & Concilij deliberatione*  
*præhabita* , ut in *cap. Ad Apostolica 2. de re jud.* in 6.

Et quod caput omnium est in Concilio Generali Hierosolymis ab Apostolis congregato omnes definitiones editæ fuerunt nomine ipsius Concilij, non vero nomine Petri, ut constat Acto. cap. 15. ibi : *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, nulla facta mentione Petri : ergo Concilium Generale superius, ejusque tribunal majus, & dignius est tribunali Pontificis: atque adeo licitum erit omnibus ad Concilium appellare adversus expressam nostri textus doctrinam.

8 Secundò eadem nostri textus catholica assertio dubia, difficilisque redditur; nam unicuique quoties se gravatum esse contendit, appellare licet, *cap. liceat 1. cap. appellantem 2. cap. omnis 3. 2. q. 6;* quippe appellatiois remedium inventum est, ut injustitia, iniquitate, vel imperitia Judicium illata corrigatur *Leg. 1. ff. de appellat.* sed potest quis gravari à Rom. Pontifice, & eadem injustitia, seu iniquitas in ipso sicut in quolibet alio judice reperiri, cum Pontificis judicium, ut potè humanum fallere, & falli possit *cap. A nobis 28. de sent. excom.* ergo quoties quis sententia Pontificis repertur gravatus, appellare poterit ad Generale Concilium, ut injustitia contingens imperitia Pontificis judicantis corrigatur; alias enim non sufficienter videretur fidelibus provisum. Fulcitur hæc eadem difficultas ex eo, quod appellatio sit instituta ad innocentia præsidium *cap. Cum speciali 61. §. Porro de Appellat.* & ad oppressorum remedium *cap. Omnis oppressus 3. cap. ad Romanam 8. 2. q. 6. Leg. à sententia 5. ff. de Appellat.* ut diligenter negotiorum meritis iterum, atque iterum persensis, & in distinctis tribunalibus, à diversisque judicibus non semel examinati, imperitiæ, vel iniquitati Judicis occurratur. Et ideo D. Bernardus *Lib. 3. de Considerat. ad Eugen. circa med.* affirmat, appellationem magnum, & generale bonum attulisse mundo, idque tam necessarium esse hominibus, quam Solem ipsum mortalibus otiri. Et rectè quidem, cum re vera (inquit S. Doctor. Sol justitiae sit pandens, & redargiens opera tenebrarum) uti ex eodem refert Gregorius Lopez in *Proœm. titul. 23. par-*

partit. 3. lit. E. Quapropter appellationem, quatenus con-  
tinet defensionem adversus oppressionem, injustitiam, &  
iniquitatem judicis inferioris à quo, & quatenus oppres-  
sis subvenit, à jure naturali originem ducere tenent  
nonnulli non contemnendæ authoritatis Interpretes; at qui  
defensio juris naturalis omnibus, eo mediante, commu-  
nis est juxta text. in leg. ut vim 3. ff. de Iust. & jur.  
cap. 2. de homicid. Ita ut nec à Principe, nec à lege  
humana tolli queat cap. Sunt quidam 6. 25. q. 1. Clem.  
Pastoralis 2. §. Caterum de re jud.: junct. §. Sed natu-  
ralia fin. Inst. de Iur. nat. gent. & Civil. ergo nè de-  
fensione per jus naturale omnibus concessa, quem pri-  
vari contingat, necessariò fatendum est, recursum per  
viam appellationis etiam à judicio Sedis Apostolicae ad  
Concilium generale impediri non posse. Idem difficultatis  
assumptum confirmatur exemplo recusationis, quæ, cum  
sit quædam defensionis species, nemini denegari potest,  
imò apud omnes provincias recusationis remedium recep-  
tum esse, testatur D. Covarr. in Pract. cap. 26. atqui  
Summus Pontifex recusari potest, ut cum Turrecrem.  
Jacobat. & alijs docet D. Gonçalez in cap. 61. de Ap-  
pell. num. 3. in fin.: ergo poterit etiam ab ejus judicio ap-  
pellari, cum recusationis, & appellationis eadem sit ra-  
tio cap. Super eo 12. de appellat.

9 Deinde difficilis redditur assertio nos-  
tra ex sequenti consideratione; nam Pontifex errare po-  
test, nedum in facti, & juris quæstionibus, sed etiam  
in fidei negotijs; Concilium verò generale non ita cap.  
á recta 9. 24. q. 1. ibi: Numquam errasse probatur.  
Sed ab eo Judice, qui errare potest, ad semper regu-  
latum, & qui errare non potest, appellatio lícetè inter-  
poni valet: ergo à Pontifice ad Concilium generale ap-  
pellari poterit. Probatur major, quoad primam partem,  
scilicet, quod Pontifex possit errare in facti, & juris  
quæstionibus. Nam certum est, Coelestinum III. sanxisse,  
quod Matrimonium solvi potest per hæresim, cuius op-  
positum, (quod verissimum est) tradit, quamvis non  
definit Innocentius III. in cap. quanto 7. de Divort. ad-

dens: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur.* Constat etiam Alexandrum III. in cap licet 3. de *Sponsa duorum.* cum resloveret, matrimonium ratum non dissolvi per subsequens cum alia consummatum, subdere: *aliter à quibusdam prædecessoribus aliquando judicatum.* Id ipsum potest comprobari ex cap. si quando 5. cap. super litteris 20. de *Rescript.* Quæ omnia clarè demonstrant, judicia Pontificum in his juribus minus certa, & familiaria esse pessæ. Cujus ratio est: quia in judicio ferendo de rebus gestis, aut de jure inter partes nititur Pontifex hominum probationibus, & Authorum testimonijs, quæ multoties falsa deprehenduntur, & ita per falsas suggestiones potest Pontifex, & reum absolvere, & innocentem damnare cap. a nobis 28. de *Sent. excom.* ibi: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam, & fallere sœpè continet, & falli.* Idque ipsum, & in facti quæstionibus, quæ de fide à Pontifice proponuntur, concernuntque universalem Ecclesiam, ut in Canonizatione Sanctorum, probatur ex illis D. Augustini (uti communiter fertur) verbis: *Multa corpora Sanctorum honorantur in terris, quorum anima torquentur in infernis:* Ergo licet Pontifex in quæstionibus facti, vel juris recte secundum allegata, & probata procedat, potest tamè re ipsa non semel errare.

10 Probatur etiam eadem major proposicio superioris syllogismi quoad secundam iplius partem, nimirum, quod Pontifex possit errare in quæstionibus fidei. Nam Adrianus VI. in 4. sent. quæst. de *Confirmat.* secundo argumento satisfaciens hæc habet: *Dico primò, quodā si per Ecclesiam Romanam intelligitur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare etiam in ijs, quæ fidem tangunt, hæresim per suam determinationem, aut decretalem afferendo:* Ergo sentit Adrianus in fidei negotijs posse Pontificem errare, cum possit definire tamquam de fide tenendum, quod in se hæreticum est. Deinde probatur ex eo. Nam cum tem-

poribus Stephani Papæ I. per annos 258. in Ecclesia præcipue Orientali, valde agitata esset quæstio illa, an reuersi ab haereticis deberent rebaptizari, si ab ipsis baptizati essent: D. Cyprianus habitis pluribus Episcoporum Synodis, baptismum Haereticorum nullum esse, decrevit; proindeque Haereticos conversos ad fidem rebaptizandos esse, ut constat *ex Epistol. 71. 72. & 75.* ejusdem Sancti contra Stephanii Summi Pontificis Decretum, cui acriter D. Cyprianus restitit: quin assumpto ejusdem Cypriani faveant *text. in cap. Si quis per ignorantiam 59. 1. quæst. 1. cap. Quos à Paganis 52. de Consecr. dist. 4.* Ubi à Paganis baptizati jubentur rebaptizari. Non, inquam, favent; nam præallegati textus procedunt de Baptismo collato à Paulianiftis, & Cataphrygis, qui non administrabant baptismum sub debita forma; siquidem non baptizabant in nomine Santissimæ Trinitatis, eò quod crederent, Christum purum esse hominem: quare Ecclesia, ut jam notavit Pamelius *in notis ad Epist. 73. D. Cypriani, num. 27.* eorum baptismum constantissime respuit: ergo quia judicavit D. Cyprianus, judicium Summi Pontificis etiam in negotijs fidei posse esse fallibile. Quamobrem cum appellationis remedium inventum sit, ut imperitia, seu error judicantis corrigatur, necessario dicendum est, ad Concilium generale posse appellationem interponi.

**II** Tandem dubia, difficilisque redditur assertio nostra ex non contemnenda, & ad speciem difficulti paritate ex Concilio Provinciali deducta, & in hunc modum efformata. Sicut ad summum Ecclesiæ Præsulem spectat Concilium generale indicere, convocare, & celebrare, ita ad Archiepiscopum pertinet Provinciale Synodus convocare *cap. Si Episcopus cum 2. seq. dist. 18.* : & sicut summus Pontifex Primatum, primamvè Sedem in Concilio generali, & oecumenico obtinet, ita etiam Archiepiscopus in Provinciali Concilio *cap. placuit 1. dist. 18. ; Profper. Fagnan. in cap. sicut olim 25. de accusat. num. 14. & seq.* Sed hoc non obstante potest à sententia Archiepiscopi appellari ad Provinciale Concilium, ut ex Glossa

*in cap. pen. de appellat. in 6. tenet Navarr. lib. 1. Consil. 6. de Majorit. & obed. quem refert, & sequitur P. Thomas Sanchez de Matrimon. lib. 8. disp. 17. n. 36. Et dissertè probant texti. in cap. multis 5. dist. 17. cap. Primates 5. caus. 2. q. 1. cap. Omnis 3. caus. 2. q. 6.: Ergò poterit etiam à sententia Romani Pontificis ad oecumenicum, & generale Concilium remedium appellationis interponi. Et hæc pro rationibus dubitandi dicta sufficient.*

12 Quibus planè subtiliter objectis, sed minimè refragantibus certum omnino est, à sententia Apostolicæ Sedis appellari non posse etiam ad generale futurum Concilium, ut in nostro Textu decidit PLAGIUS Pontifex Maximus. Pro cuius catholicæ assertionis veritate, examinare prius operæ pretium duximus gravissimam illam questionem, quæ inter Catholicos, & Hæreticos manifestum, & ferè sanguineum bellum indixit, an velicet Romanus Pontifex sit supra Concilium generale, vel potius illi subsit? In qua censeo veritati, unicè consonam, ac catholicæ fidei consentaneam sententiam asserentem Romanum Pontificem esse supra Concilium generale. Ita, prætermisis Theologis penè innumeris, sentiunt inter Jurisprudentes Martha de jurisdict. 3. p. cap. 17. D. Solorçan. tom. 1. de jur. Indian. lib. 3. cap. 7. num. 37. Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 2. à num. 38. & in Collect. ad text. in cap. significasti. 4. de elect. ibique Prosper. Fagnan. à num. 9. & D. Gonçal. à num. 15. pluresque alij, quos refert Primarius noster D. Samaniego in Acad. tract. de Superioritate Pontificis supra Concilium num. 3. & Eminentissimus noster Cardinalis de Aguirre in tract. contra declarationes Cleri Gallicani disput. 36. sect. 1. per tot. & sect. 3. num. 24. DIXI præfatam sententiam esse catholicæ fidei consentaneam, nam Sanctitas Alexandri VIII. hanc propositionem damnavit: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum autoritate, atque in Fidei questionibus infallibilitate: quæ propositio est XXIX. inter damnatas à memorato Pontifice 7. Decemb. anni 1690.*

13 Seligam igitur aliquas ex pluribus probatio-  
nibus a relatis DD. lato calamo congestis, easque strictè,  
& summatim proponam. Prima erit , nam juxta Aristotel.  
& omnium Philosophorum receptam doctrinam , propter  
quod unumquodque est tale , & illud magis , Auth.  
*multo magis* , & ibi Baldus *Cod. de Sacros. Eccles.* ; sed  
concilia omnia universalia firmitatem , roburque acci-  
piunt, quatenus à Pontifice confirmantur *cap. multis 5. cap.*  
*concilia 6. dist. 17 cap. significasti 4. de elect.* Præceptor  
meus D. Galeote *in Acad. tract. de legib. human. cap. I.*  
*num. 13.* hocque novissime docuit Concilium Tridenti-  
num generale *Seff. 25.* petens confirmationem sui à Ro-  
mano Pontifice, ut constat ex Bulla confirmatoria Pij IV.  
quæ adest post finem Concilij , & notat Fagnan. *in cap.*  
*I. de pact. num. 47. in fin.* : Ergò quia Concilia acci-  
piunt robur , & firmitatem à Pontifice , qui proinde ma-  
jorem Concilijs autoritatem habet. Confirmatur : quia  
omne , quod tribuit esse , & dat formam alteri , est supe-  
rius eo , cui esse , formamque tribuit ; sed Pontifex  
tribuit esse , & formam Concilio universalí , sive con-  
vocando , & confirmando , sive solùm confirmando , ut  
habetur *in d. cap. multis 5. cum seq. dist. 17.* : Ergò  
Pontifex superior est Concilio: confirmatio enim evidens  
est superioritatis signum , ut recte probat Fagnan. *in d.*  
*cap. 4. de elect. num. 59. cum 2. seqq.*

14 Secundò eadē catholica veritas probatur  
ex eo , quia omnis Pastor est autoritate major , juris-  
dictioneque superior grege , ut naturali lumine constat:  
sed Papa est Pastor ex Christi institutione, Ecclesia vero  
grex , juxta illud Joann. *cap. 10. ibi : Erit unum ovile, Æ*  
*unus Pastor : & Joann. cap. ult. ibi: Pasce oves meas :* Igi-  
tūr Papa superior est Concilio , & Ecclesia. Nec enim  
Pastor nutus gregis , aut ductum ovilis expectare tenetur:  
imò è contrario grex , & ovile per Pastorem , ut supe-  
riorem , regitur. Hacque ratione Rom, Pontifex dicitur  
vocatus in plenitudinem potestatis , quia solus ipse ha-  
bet à Christo sine limitatione potestatem , in cuius signi-  
ficationem Papam non uti baculo , sicut Episcopi , docet

Angelicus Doctor *in 4. dis. 24. art. 1.* quia curvatura baculi significat coarctatam , & ad certum tempus limitatam potestatem , quod incongruit universalis Pastori, Dom. Gonçal. *in cap. 4. de elect. num. 17. in fin.* : Cæteri vero , quamvis Pastores sint , quia limitati , sunt tantum vocati in partem solitudinis , ut inquit Div. Gregor. Mag. *in cap. Decreto 11. caus. 2. q. 6.* Igitur omnino à veritate alienum est , universalem Ecclesiam Pastorem non esse suprà universum fidelium gregem , & Christi ovile.

15 Tertio probatur , quia multitudo quamvis sapientum , & ex toto corde pro bono Ecclesiae anhelantium , congregata facile dissentire potest , ut experientia liquet : ergo necesse fuit , ut esset unus supremus judex , qui sua suprema potestate controversias inter tot Eximios Patres exortas componere posset. Hic vero numquam creditus fuit Antiochenus , Alexandrinus , Constantopolitanus , Mediolanensis , nec ullus alias ex tota Ecclesia , sed solum Episcopus Romanus , de quo Orthodoxorum Patrum concors sententia veneratur , quod solus ipse potuit , poteritque semper controversias in Conciliis exortas componere , certas regulas statuere , & sine Concilio quid sit tenendum determinare. Quæ quidem suprema potestas ex eo provenit , quia Christus Dominus totius Ecclesiae primatum Petru commisit , ut ejus dignitas perpetuo in Ecclesia resideret ; atqui in nullo alio potest talis dignitas residere , nisi in Successore Cathedrae D. Petri , qui est Rom. Pontifex , & immediatus Christi Vicarius , proindeque eadem ac Petrus habens potestatem : ergo solus Rom. Pontifex supremam habet in universa Ecclesia autoritatem. Quæ omnia apud Catholicos ut fide certa credi debent , siquidem ita statuuntur à primis Ecclesiae temporibus traducta usque ad hæc infelicia , in quibus Novatores appellationem interponentes ad futurum generale Concilium à Constitutione *Unigenitus Dei filius* , SS. P. N. Clementis Papæ XI. non erubescunt aliquid detrahere Sanctæ , supremæque Sedis autoritati.

16 Quarto , & ultimo eadem catholica assertio sua-

suadetur ex eo; quia Sedes Apostolica sœpè sœpius ligat, & damnat quidquid Concilia decernunt, vel absolvunt, ut patet, tum in Chalcedonensi, in quo Dioscorus, qui Leonem Papam excommunicare ausus fuerat, sine ulla restitutionis spe fuit condemnatus, ut videre est *in cap. in tantum 9. dist. 21.* Tum etiam ex gestis octavæ Synodi, ubi Photius Patriarcha, qui Concilium generale absque consensu Romani Pontificis evocare præsumperat, à Papa condemnatus fuit. Idemque probatur ex Epistola nostri Pelagij, cuius pars refertur in nostro Textu, in qua sedes Apostolica frequenter asseverat more majorum ex præcellentia Petro, & Successoribus concessa, insinuari authoritate exolvendi sine Synodo, quos iniqua Synodus damnaverat, & damnandi pariter sine Synodo, quos damnasse oportuit. Quod Pelagius exemplis, testimonijsque ab omnibus admissis confirmat. Athanasius enim Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus à Concilio depositi ad Julium Papam appellarunt, & ab eo in suas Sedes restituti sunt, ut refert Sozomenus *lib. 3. historiæ cap. 7.* sed hoc facere nequit, nisi supra Concilium authoritatem haberet, *cap. inferior 4. dist. 21. cap. cum inferior 16. de major. Obed.* : Ergò illâ gaudere necessè est.

17 Cæterum hanc ita stabilitam doctrinam aliquibus argumentorum nebulis evertere conantur hæretici, à quibus breviter me expedire conabor. Sit ergò primum illorum argumentum. Ecclesia est corpus, cuius fideles membra summus, ergo Pontifex est etiam hujus mystici corporis membrum; sed totum est majus sua parte, & corpus ampliori potestate fulcitur, quām quodlibet membrum in particulari: ergo Ecclesia aut Concilium generale in illa repræsentatum, autoritate, & jurisdictio-ne est majus Romano Pontifice. Assumptum suadere intendunt *ex cap. Legimus 24. dist. 93.* in quo Divus Hieronimus sic ait: *Si autoritas quæritur, Orbis major est Urbe;* id est, autoritas Ecclesiæ universalis major est, quām authoritas Romanæ Ecclesiæ, vel Papæ: ergo authoritas Concilij generalis, quod totum Orbem Chris-

tianum repræsentat, major est autoritate Pontificis.

18 Cui difficultati respondendum est, membrum posse esse superius corpore in potestate jurisdictionis, si quidem tale exercitium, & usus non est totius corporis, sed alicujus partis, vel membra. Sic licet potentia visiva sit pars corporis organici, tamen videre objectum, solum competit ipsi potentiae visivae, ratione cuius totum corpus dicitur videre objectum. Sic etiam licet in corpore humano caput sit pars, & totius corporis membrum, tamen influxus gubernativus, & directivus residet in capite, à quo veluti fonte in reliqua membra derivatur gubernatio. Unde similiter licet Summus Ecclesiæ Praefus, quæ homo Christianus, sit ejusdem Ecclesiæ membrum, tamen quæ Pontifex, est caput illius, in quo omnis plenitudo potestatis Ecclesiastice à Christo collata residet, ut possea in Ecclesiam derivetur, *cap. Sacrosancta 2. dist. 22. cap. qui se 12. caus. 2. q. 6.* Id quod confirmati valet exemplo Christi Domini, qui vocatur ab Apostolo *1. ad Corinth. cap. 12.* membrum Ecclesiæ, ibi: *Vos estis corpus, & membra de membro;* id est, prout exponit ibi glossa, membra dependentia à membro principali, quod est Christus: hacque irrefragabili ratione Apostolus *ad Ephes. cap. 1.* dicit, Christum esse Ecclesiæ caput. Et juxta D. Thomam Christus dicitur membrum, prout ab alijs membris importat distinctionem, tamen perfectione, quam officio: perfectione, quia in Christo est universaliter omnis gratia juxta illud Joan. *cap. 1. plenum gratia*, in ipsoque, ut inquit Apostolus *ad Colessens. cap. 2. inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quod de alijs membris dici non potest: officio item, quia alijs spiritualem vitam, supernaturalique dona communicat; & tamen hæreticum est dicere, Christum Dominum non esse suprà Ecclesiam ex eo, quod membrum Ecclesiæ sit: ergo idem de Christi Vicario dicendum erit ratione potestatis à Christo Domino ei concessæ. Nec absimili modo Pontifex dicitur Ecclesiæ filius, quatenus videlicet ab ea per baptismum est regeneratus ad gratiam; at quatenus Pontifex est, dicitur Ecclesiæ Pater, *cap. quorum vices 6. dist.*

*diss. 18.* Nec semper valet hæc consequentia : *Est mater ergò superior est filio*; Christus enim Dominus fuit filius B. Virginis Mariæ , & tamen non nisi blasphemus , & hæreticus diceret hanc matrem esse superiorem filio.

*19* Ad D. Hieronymi authoritatem relatam *in cap. legimus 24. diss. 93.* respondetur, ibi Hieronymum non loqui de Pontifice, vel Ecclesia, sed calumnam unicè strin gere in superbos quosdam Diaconos, qui Romæ ratione administrationis bonorum Ecclesiasticorum , quam habebant elato supercilio Presbyteris se exæquabant , quosque jam dudum Concilium Nicen. *can. 17.* & Carthaginense. *6.* *can. 18.* Presbyteris declaraverant inferiores. Illis igitur inquit S. Doctor, non ex eo, quod Romæ hic abusus invalusisset, Diaconos Presbyteris esse æquales, cum in reliquis mundi partibus Diaconi Presbyteros venerentur, & colant. Et in hoc sensu solum dicere intendit, quod si queratur authoritas , orbis major est urbe. Non itaque loquitur Hieronymus de authoritate potestatis, vel jurisdictionis totius Orbis, nec Ecclesia respectu Papæ, sed de sola consuetudinis auctoritate, quæ eō major judicatur, quo pluribus utentium suffragijs fulcita ostenditur. Hacque ratione totius Orbis consuetudo venerabilior erit, & majoris auctoritatis, quam unius urbis quantumvis Romanæ, ut exponit Turrecrem. *in cap. sicut 2. num. 2. vers. Ad quintam, diss. 15.* & ex eo Prosper. Fagnan. *in cap. 4. de elect. num. 33.* licet non ita clare se explicent.

*20* Secundum argumentum desumi potest ex Concilio generali Hierosolymis ab Apostolis congregato , ubi sic ad fideles scribitur : *Visum est Spiritui Sancto , O nobis,* ut liquet ex *cap. 15. Act. Apostol.* ergo Concilium ibi non definit nomine Petri , sed nomine suo : ergo est supra Petrum, & consequenter supra Papam. Verum huic difficultati facile obviam ibis , si respondeas , hanc fuisse formulam omnium Conciliorum , etiam novissimè à Tridentino servatam , definiendi nomine proprio, quin ideo excludatur auctoritas Papæ primas partes in Concilio gerentis, sicuti cum dicimus : *Petrus currit*, non excludimus influ xum capitis , quamvis de capite mentionem non faciamus.

Et re verā in citato Concilio Hierosolymitano plura sua  
premæ potestatis indicia præbuit Petrus, dum primus sen-  
tentiam dixit, præscripsit quod definiri debebat, vota dis-  
cordantia composuit, & velut pronuntiatio oraculo silen-  
tium omnibus indixit, ut videre est locum citatum legen-  
ti. Et eodem modo respondendum est ad omnia jura, in  
quibus, insuper habito Pontifice, solius Concilij mentio  
fit, ut in *cap. ne pro defectu 41. cum trib. seqq. de elect.*  
*cap. nimis 30. de jure jur. cap. licet Graecos 6. de Baptism.*  
*cap. ad Apostolicę 2. de re jud. lib. 6.* & in compluribus  
alijs congestis à Fagnano in *cap. antigenus 1. de pact.* nu-  
mer. 34. *cum seqq.* Non me latet, quam plurima alia ad-  
versus superioritatem Romani Pontificis suprà Concilium  
effutite solete Novatores, quæ lato calamo reprobata  
consulere fas est apud Authores *supr. num. 12.* relatos; ea  
enim transcribere potius laboris, quam ingenij esset.

21 Vidimus ergo abunde satis Romanum Pon-  
tificem superiorem esse Concilio OEcumenico; secus au-  
tem se res habet quoad Archiepiscopum, qui quamvis ha-  
beat primam sedem in Concilio Provinciali à se convoca-  
to, tamen non est ipso superior; ab eo enim judicari, excom-  
municari, & puniri potest, nisi tamen agatur contra illum  
de causis majoribus, & Sedi Apostolicę reservatis, prout  
fortè erat causa, de qua agebatur in *cap. grave nimis 29.*  
*de Prab. O Dign.* adeoque non potest revocare, nec dis-  
pensare quoad Concilij decteta: docent Navarr. *lib. 1. consil.* 6. *de majorit.* *O obed.* P. Sanchez *de Matrim.* *lib. 8. dis-*  
*put. 17. num. 36.* & sententia Concilij Provincialis prefertur  
sententiæ Metropolitani, Fagnan. in *cap. sicut olim 25. de*  
*accusat.* *num. 34.* *O 104.* imò ab Archiepiscopo ad Conci-  
lium Provinciale, tanquam ab inferiore ad superiorem po-  
test interponi appellatio, ut ex Glossa in *cap. pen. de*  
*appellat.* in 6. tradit Navarr. *loc. cit. num. 4.* Veruntamen  
intelligenda est hæc doctrina de casu, quo præsit Concilio  
Provinciali Primas, seu Patriarcha, quia tunc tale Con-  
cilium non est idem cum eo, licet ejus nomine gaudeat;  
secus autem si Archiepiscopus Concilio intersit ut Praeses,  
tunc enim ab eo ad Concilium appellari non potest argu-  
men-

mento text. in cap. à collatione 11. de appellat. in 6. quia sic eveniret , ut ab Archiepiscopo ad eundem provocari videretur, contra decisionem text. in cap. 2. de consuet. in 6. cap. Romana 3. de appell. eod. lib. & juxta hanc doctrinam intelligendi sunt text. in cap. multis 5. dist. 17. cap. Primate 5. 2. quest. 1. cap. omnis 3. 2. quest. 6. & si qui alij similes, in quibus habetut ab Archiepiscopo , seu Primate appellandum esse ad Concilium Provinciale, ut recte docet Salmaticensis Primarius noster Dom. Samaniego in tract. Acad. de Judicib. requir. in caus. appell. sect. 2. num. 23.

22 Verum licet ex his , quæ hactenus de superioritate Pontificis suprà Concilium generale à nobis demonstrata sunt , facile sit intelligere , nemini fas est à sententia Romani Præsulis ad Concilium universale appellare, sed potius è converso à sententia Concilij, quam Apostolica Sedes nondum approbaverit, ad Papam appellare licere; nihilominus pro pleniori illustratione nostræ assertio- nis , ex multis eam veram, Catholicæque Fidei consentaneam esse ostendere curabimus. Et quidem primò ex eo; nam cum appellatio sit invocatio auxiliij superioris ad emendanda facta Judicis, vel alterius inferioris, cap. ad au- dientiam 34. cap. cum effante 60. de appell. Judex, qui con- tra alterius Judicis sententiam invocatur, debet esse supe- rior, cap. anteriorum 28. 2. q. 6. leg. 1. §. si quis in appellatio- ne 3. ff. de appellat. non autem par , aut inferior, cap. non putamus 2. de consuet. in 6. cap. Romana 3. de appellat. eod. lib. appellatio enim signum est superioritatis , ut plu- ribus exornat Osuald. 28. comm. Donel. cap. 7. lit. A. quæ superioritas nulla est minori in majorem, nec pati in pa- rem , cap. cum inferior. 16. de major: O obed. cum vulg. sed Romanus Pontifex in terris caret superiore : ergo præ- clusa est omnis provocatio ab ejus judicioad aliud quodcumque Tribunal , etiam si sit Concilij generalis. Hacque ratione etiam ab Imperatore , seu Principe non cognos- cente superiorē, appellare non licet, leg. 1. §. O quidem 1. ff. à quib. appell. non licet , ubi Ulpianus rationem reddit: Quia ipse Princeps est , qui provocatur. Præterea , à Judi- ce, in quo est suprema potestas , & totius Ecclesiae Prima-

tus, non licet appellare ad aliquod Concilium Ecclesiae, ut ex terminis ipsis patet; sed in Romano Pontifice est suprema potestas, totiusque Ecclesiae Principatus, ut ex innumeris Concilijs, & Paribus late probat Eximus Doct. P. Suarez *adversus Regem Angliae*, lib. 3. cap. 10. cum 2. seqq. ergo à judicio Romani Pontificis non licet appellare ad Concilium generale. Patet consequentia; quia alias dicere oporteret, quod supra potestas non esset in Papa, quod est manifeste contra articulum definitum à Martino V. in Concilio Constantiense *eff. 8. cap. 15.* & contra text. in cap. *nolite errare 3. dist. 11.* illis in verbis: *Ubi Dominus Ecclesia totius posuit principium.*

23 Rursus eadem assertio vera ostenditur ex eo, quod Pontifex est caput Ecclesiae universalis; ipsi enim dictum fuit à Christo Domino Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam:* Ergo Pontifex non debet esse inferior Ecclesia representata per Concilium generale, alias caput esset inferius corpore ipsis subiecto. Modò sic: caput præstantius est auctoritate suis membris; sed Papa caput Ecclesiae universalis est caput Concilij generalis, ut constat ex Concilio Calced. Epist. ad Leonem; ibi: *Quibus tu ut caput præeras: ergo ab ipso ad quocumque Concilium appellari non potest.* Deinde; à matre omnium Ecclesiarum, & omnium fidelium nullomodo licet appellare ad filios, nec dispersos, nec congregatos, quia mater semper major est auctoritate filijs, & etiam filiorum Congregatione; sed Romana Ecclesia, sive Sedes Apostolica est mater omnium Ecclesiarum, cap. non decet 1. dist. 1. ob idque dicitur refugium omnium oppressorum instar David, qui appellabatur oppressorum recursus in lib. 1. Reg. cap. 22. ibi: *Omnis, qui opprimebatur à Saule recurrebat ad David.* Id quod luculentius exprimitur in cap. ad Romanam 8. 2. quæst. 6. ubi Zepherinus Romæ Episcopus epist. 1. scribit: *Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus maxime tamem ab oppressis appellandum est, & concurredum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a suis oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet mater obliviisci filium suum;*

& ideò ad eam recurritur, velut ad matrem pér remedium appellationis; quæ ob id regio nomine condecorari potest, ajente Ovidio 2. de Ponto eleg. 9. *Regia crede mibi res est  
succurrere lapsis:* ergò à sententia Sedis Apostolicæ ad Concilium generale appellare non licet.

24 Cæterum ex hac eadem doctrina sequens contra assertionem nostram insurgit consideratio; ex eo, quod Ecclesia universalis omnium fidelium mater prædicetur justa illud Eccles. cap. 24. *Mater pulchre dilectionis*, Papa filius Ecclesiæ dici debet; tunc sic: sed absurdum est filium esse suprà matrem, & consentaneum naturæ matrem habere potestatem suprà filium: ergo Ecclesia, quæ mater est, debet autoritatem habere suprà Papam tamquam ejus filium. Accedit, nam Papa est minister Ecclesiæ, ut constat ex Apost. 1. ad Corinþ. c. 4. nec Ecclesia est propter Papam, sed Papa propter Ecclesiam: ergo est inferior Ecclesia, quæ per Concilium generale repræsentatur, ac per consequens ad Concilium tamquam ad matrem, utpote universalem Ecclesiam repræsentans, licet appellatio interponi poterit à judicio Apostolicæ Sedis. Verum tamen hæc consideratio non enervat, sed confirmat potius assertionem nostram, cui non adversatur nuper expensa difficultas; respondetur enim, Rom. Pontificem esse Ecclesiæ Patrem, simulque Filium, ut constat ex Evaristo Papa Epist. 2. ubi postquam dixit Christum esse sponsum, subdit: *Et Ecclesia sponsa, cujus nos filii sumus;* & ex D. Bernardo lib. 2. de considerat. ad Eugenium cap. 6. ibi: *Paternam tibi vindica hereditatem, nam si filius, & haeres.* Hanc filiationem in Papa demonstrat Antonius Mazzaronius tract. de tribus Coronis Pontificie Roman. cap. 3. cuius mentem ita à Diana tom. II. tract. de adorat. Summi Präfatis resolut. 15. explanatam invenies, ibi: *Mazzaronius huc advocat mulierem Aegyptiam tribus Regijs Coronis decoratam, ut exhibeat* fuisse filiam, uxorem, ac matrem Regis, quod refert ex Pierio; adaptatque ad Ecclesiam Vicarij Christi, filiam, sponsam, ac matrem, licet alio tendat Tyara, seu triplex illa Corona, quibus caput Pontificis, redimitur; nempe ad significandam triplicem orbis partem Ecclesiæ subjectam; ideo-

ideoque instantibus supplicationibus Reges nostri Philip-  
pus III. & IV. supplicarunt, ut Sanctissimus quartam ad-  
deret Coronam propter novam mundi partem, nimirum  
Americam, sub Ecclesia, ejusque Pastore, Fideli Hispano-  
rum sudore procreatam.

25 Itaque in diverso sensu Pontifex est Filius, &  
Pater Ecclesiæ. Est Ecclesiæ filius, quatenus per baptismum  
omnes sunt regenerati filij Dei, & per consequens confor-  
tes divinæ naturæ, ut inquit D. Petrus Epist. 1. cap. 1. quod  
explicat D. Augustinus super Psalm. 127. ibi: *Quomodo ma-  
ter ejus Ecclesia, nisi quia ipse Christus est in Christianis,  
quos per baptismum continuo parit Ecclesia.* Pontifex etiam  
dicitur Ecclesiæ Pater, non tantum eo modo, quo Apostoli  
Patres appellantur juxta illud Davidis Psalm. 44. pro Pa-  
tribus tuis nati sunt tibi filii, & habetur in cap. quorum  
vices 6. dist. 68. sed alio specialissimo titulo, ut advertit  
D. Bernardus in Epist. ad Civit. Pisanam, ubi Innocentium  
appellat honoratum, & universitatis Patrem: Igitur ad pro-  
bandam superioritatem Ecclesiæ in ratione potestatis, or-  
dinis, & jurisdictionis infirmum est argumentum deductum  
ex eo, quod Ecclesia mater Pontificis appelletur, cum ex  
adverso Pontifex etiam Pater Ecclesiæ dicatur. Deinde,  
nam ut supra num. 18. in fin. diximus, inepta est hæc conse-  
quentia: *Est mater: ergo est superior;* Christus enim Do-  
minus fuit filius B. Virginis Mariæ, & nemo nisi impiè, &  
blasphemè auderet dicere matrem superiorem esse filio:  
ergo cum potestas Christi vicarialiter irradiet in Romano  
Pontifice, eadem analogia dici debet Romanus Pontifex  
authoritate jurisdictionis major Ecclesia sua matre, ut opti-  
mè ratiocinatur Emin. Card. Turrecrem. lib. 2. Summa,  
cap. 86. Nec refragatur, quod Pontifex sit minister Eccle-  
siæ; nam genus ministerij non semper importat subiectio-  
nem. Paulus enim 1. ad Hebraeos, vocat Angelos missos in  
ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis,  
& tamen nemo dixerit, Angelos esse inferiores hominibus.  
Id quod etiam exigit bonum Ecclesiæ, ut ea videlicet sit in-  
fra Papam, nec pluribus, sed uni subsit; sic gubernator est  
propter navigantes, Dux propter exercitum, & tamen nec

Dux subest exercitui in eo ducendo, nec gubernator navi-  
gantibus in regenda navi. Ulterius: quando Christus po-  
suit Pontificem propter Ecclesiam, intellexit Ecclesiam à  
suo capite non separatam; ab eo enim separata Christo  
placere nequit, utpote necessariò importans confusiones,  
& schismata. Ex quibus clarè infertur à Romano Pontifice  
non esse licitum ad Concilium universale appellare, sicut  
ad superiorem Judicem.

26 Rursus assertioni nostræ apprimè patrocinatur  
sequens consideratio, nam idem censemur Tribunal Christi,  
& Papæ, cum ejus sit Vicarius, vices ejus gerens in terris.  
Unde D. Chrysostomus super illud Joan. cap. ult. *Pasce  
oves meas*, dicit: *Id est loco mei Præpositus esto, & caput  
fratrum tuorum; ut ipsi loco meo te affumentes, ubique  
terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confir-  
ment;* sed à Tribunal Christi appellari non potest, ut ne-  
mo negabit, & tradit Fagnan. in cap. 4. de elect. numer. 61.  
siquidem appellatio debet interponi ad eum Judicem, co-  
ram quo partes humano modo, & ordine judiciario com-  
parere possint: ergo nec licitum erit appellare à Tribunalis  
Pontificis. Consequentia patet argumento *ex cap. non pu-  
tamus 2. de consuetud. lib. 6. cap. Romana 3. de appellat. eod.  
lib.* in quibus habetur, quod non valet consuetudo, ut à  
Vicario Episcopi appelletur ad ipsum Episcopum, eo quod  
sit idem Tribunal *utriusque*: pro cuius principij illustra-  
tione videndus Primarius noster D. Samaniego *dict. tract.  
de requir. judicib. in caus. appellat. sect. 3. per tot.* Accedit,  
quod non est licitum appellare ad Judicem, qui judicandi  
non habet potestatem, nisi acceptam ab eo, à quo appella-  
tur, ut notum est; sed Concilium universale autoritatem  
judicandi habet à Papa acceptam, ut superius ex multis  
ostendimus, & constat ex *dist. 17. per tot.* ergo à Papa non  
est licitum appellare ad generale Concilium.

27 His præterea rationibus, & fundamentis ac-  
cedunt Sacro Sanctæ Ecclesiae decreta: nempe antiquissi-  
mi in primis Concilij *Ephesini 1.* ubi statutum invenitur,  
quod à sententia Sedis Apostolicae nulli liceat appellare.  
Idque ipsum liquet ex innumeris Concilijs congregatis à D.

Gonçal. in cap. si duobus 7. de appell. num. 2. immo à Concilio generali ad Romanum Pontificem fuisse appellacionem interpositam constat ex varijs Historijs Ecclesiasticis; ex Leone Papa epist. 25. ad Theodosium Augustum, ubi refert Flavium Episcopum Constantinopolitanum appellasse à Concilio Ephesino 2. ad ipsum Leonem: Liberatus in breviario cap. 12. affirmat Theodoretum Episcopum Cyri ab eodem Concilio appellasse ad eundem Episcopum: Joannes Chrysostomus à Concilio depositus appellavit ad Innocentium, ut constat ex epistola ipsius ad Innocentium, & probat noster Gelasius I. epist. 13. ad Episcopos Dardaniae, & innumeræ hujusmodi historiae passim leguntur apud Scriptores Ecclesiasticos.

28 Constanſ igitur stat à sententia Romani Pontificis non esse appellandum ad Concilium generale; quin immo omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus apostolicis ad universale futurum Concilium appellantes, eorumque Consiliarij, & fautores excommunicantur; universitates vero, Collegia, & Capitula interdicuntur, poenisque criminiſ læſe Majestatis divinæ, & humanæ subjiciuntur à Pio II. in Constitutione, quæ incipit: *execrabilis in fin.* & excommunicantur quotannis in die Coenæ Domini, ut in Bulla Gregorij XIII. incip. *confieverunt.* Quin etiam declarantur veri, & idubitati schismatici, & de Catholica fide male sentientes, in Constitutione Julij II. quæ incipit: *suscepti regiminis.* Ex qua Constitutione sic appellantes in crimen hæresis incidere existimat Cardinalis Albanus de potest. Papæ, & Concilij part. 2. num. 82. quem refert, & sequitur Prosper. Fagnan. in cap. 4. de elect. nam. 63. in fin. juncit. Eminent. Cardinal. de Aguirre d. tract. contra declaration. Cleri Galliani disp. 26. sect. 2. nam. 9. ubi inquit provocationes à sententijs Sedis Apostolice, seu Rom. Pontificis esse proprias hæreticorum, ac schismaticorum hominum.

29 Atque hæc, quam hactenus defendimus, assertio ita intelligenda est, ut nequidem consentiente Pontifice, ab ejus iudicio appellari possit ad Concilium ge-

generale ; quia videlicet tale privilegium Romanæ Sedi defertur propter primatum , quem in universa Ecclesia habet à Christo Domino , ut constat ex finalibus nostri textus verbis : *O hoc nimis pro suo principatu , quem B. Petrus Apostolus Domini voce , O tenuit semper , O tenebit.* Cujus primatus ratione supremus omnium Judex est , cunctaque judicat , & à nemine judicatur , *cap. nemo 13. cum 2. seqq. hae nostra caus. O quest.* Quare Romani Antistites huic privilegio renuntiare , aut Pontificiæ majestati quidquam detrahere non possunt. Quod ea nititur ratione , quia ut appellatio licet interponi possit , ex sui natura necessariò exigit superioritatem in eo judice , ad quem appellatur , ut ex multis ostendimus supra *ex num. 22.* quod autem aliquis mortalium possit esse major Papa , vel ejus superior , fieri non valet , nisi a solo Deo. Et inde fit , ut , cum privilegium hoc exemptionis à potestate , & jurisdictione omnium mortalium sit Pontifici divinitus collatum , Papa Concilio generali se sponte subjicere non possit , ut vel ab eo judicetur , aut illius sententia retractetur. Id quod aperte comprobatur exemplo Marcellini relato in *cap. nunc autem 7. dist. 21.* Nam & si in Concilio conspersus cinere voce clara clamasset , dicens : *Peccavi coram vobis , O.* atque ita se quodammodo supposuit letit judicio Synodi , tamen eum judicare ausus est nemo. Idemque apertius probatur ex *d. cap. nunc autem 7. in fin.* ubi fit mentio Concilij , quod Valentiniani Augusti jussu fuit congregatum , cuique Sixtus à Basso , & Martiniano accusatus se sponte subjicerat , ut ait textus in *cap. mandatis 10. 2. q. 5.* & tamen textus in *d. cap. nunc autem 7.* dicit eum à Concilio tanquam ab inferiori judicari non posuisse , atque ita ipsum Concilium declarasse : ergo prædicti textus manifeste probant Pontificem Maximum etiam volentem à Concilio judicari non posse. Ita sentiunt Bellarm. *lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 26.* & *lib. 2. de Concilijs cap. 18.* Et Turrecrem. *lib. 2. Summ. cap. 104. & 105.* Nec sufficiet dicere , quod Papa consentiente , videtur Christus per Vicarium suum , pariter consentire , nam verosimile non est , Papæ potes-

testatem extendi ad hujusmodi consensum nomine, & loco Christi præstandum, quoniam ei non est data potestas in destru<sup>t</sup>ionem, sed in ædificationem: talis tamen renuntiatio potius esset destructio, quam ædificatio.

30 Neque huic doctrinæ adversatur textus *in cap. Nos si in competenter 41. 2. quest. 7.* ubi Leo IV. iudicio Michaelis Imperatoris, & Legatorum ejus se subjecit; nam hic textus intelligendus est de judicio arbitrio, seu discretivo, non coactivo; Pontifex enim solum potest se submittere judicio alterius tanquam arbitro, non tanquam proprio Judici, jurisdictione utenti in ipsam personam Pontificis, ut cum Angelico Magistro probat P. Suarez *adversus Regem Anglia lib. 4. cap. 7. num. 6.* & 7. Ratio autem est, quia tunc non fertur sententia juridica in jurisdictione, seu superioritate fundata, sed fertur sententia arbitraria fundata in facto, seu conventione aliqua. Et ita in illo actu non se gerit Pontifex, ut Pontifex, sed ut homo, qui ut querelis via præcludatur, cuncta emendare cupit: nec sententia Imperatoris respectu Pontificis vim habebit coactionis, sed duntaxat puræ sententiæ declaratiæ ostendentis Pontificem teneri, si non ex vi præcepti, saltim ex debito justitiae, & vi legis naturalis: Doct. Graña *in cap. 2. de Judicijs num. 3. cum 2. seqq.* Quo modo accipiens est textus *in cap. Concilia 6. §. binc etiam dist. 17.* Ubi Symmachus Papa Regis temporalis judicio se submissit. In quo tamen facto considerandum est, quod in Synodo congregata contra Symmachum autoritate Theodorici Regis duo objecta fuerunt eidem Theodorico. Primum, quod Concilium absque iussu accusati Pontificis congregari non posset: secundum, quod primæ Sedis Antistes inferiorum judicio non subjaceret; quasi diceret, etiam si Concilium præcedente Apostolica autoritate convocaretur, nobis tamen, qui inferiores sumus, contra Pontificem Maximum ferre sententiam non liceret, utique illo modo, ipso etiam consentiente. Unde quamvis primum objectum postea sublatum esset, accedente demum Symmachi *authoritate*; tamen quia superat secundum, quod minori fas

fas non esset in superiorem jus dicere , Episcopi non sunt ausi in eum proferre sententiam , sed dixerunt : *Symmachus Papa Sedis Apostolicae Praeful ab hismodi oppositionibus impetus , quantum ad homines respicit , sit immunitus , ac liber , cuius causam totam Dei iudicio reservamus.* Videndum est P. Suarez ubi sup. num. 7.

<sup>31</sup> Verum licet à sententia Romani Pontificis nemini sit appellare permisum , contra eam tamen in integrum restitutio implorari potest ; quia quilibet judex adversus sententiam à se prolatam restituere potest , licet ab ea appellari non possit , ut probat sic intelligendus textus in cap. *tum ex litteris 5. de in integ. restit.* in cuius specie restitutionis beneficium fuit concessum Ecclesiæ læsæ contra sententiam Pontificis , ipsamque concedit Pontifex , qui in suo supremo auditorio tulit sententiam ; nam judex , qui judicavit , restituit læsum minorum , leg. in causa 16. §. ult. leg. 17. cum seq. ff. de minorib. Ad quæ Romani juris loca respexit proculdubio textus in dict. cap. *tum ex litteris 5. in illis verbis : Es* secundum jura civilia Principes etiam contra res bis judicatas in auditorio suo examinari restitucionem in integrum permisserunt. Appellationis autem , & restitutionis disimilitudo ea nititur ratione ; quia qui appellat , judicem accusat , non se ipsum , qui autem petit restitucionem , se , & sui inconsultam facilitatem , aut errorem proprium accusat. Quæ ratio exprimitur à Consulto in dict. lege 17. ff. de minorib. ibi : *Appellatio quidem iniquitatis sententie querelam ; in integrum verò restitutio , erroris proprij veniae petitionem , vel adversarij circumventionis allegationem continet ; tradit Osual. 21. comm. Donel. cap. 11. lit. E. & cap. ult. lit. B.* Cum ergo per appellacionem judicis laddatur authoritas , cap. *ut debitus 59. de appellat.* ; per restitucionem autem illæsa maneat ipsius judicis fides , & authoritas , ideo prohibetur appellatio à sententia Pontificis , & permittitur adversus eam restitucionis imploratio.

<sup>32</sup> Similiter quamvis à Papa male informato ad eundem bene informandum propriè appellari non possit ,

quia ab eodem ad se ipsum prohibita est appellatio, *cap. non putamus 2. de consuet. lib. 6. cap. Romana 3. de appellat. cod. lib.* potest tamen fieri supplicatio Pontifici, ut sententiam à se latam aut revocet, aut in melius commutet, *juxta text. in cap. ex litteris 4. de in integ. restit. cap. cum olim 12. de re jud. cap. ad Apostolica 2. eod. tit. in 6.* docet Salgado de *supplicat. ad Sanctissimum p. 1. cap. 1. in princ.* quia, ut ait Nicolaus *in cap. Sententiam 6. 35. quæst. 9.* sententia Romanæ Sedis potest in melius commutari, cum aut subrreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu gravium necessitatum dispensatione quædam ordinare disponit. Hoc enim solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non gravetur revocare, quod à se fortè deprehenderit fraudulenter, & non veraciter assecutum, ut inquit D. Bernardus *epist. 180.* cumque Pontifex homo sit, qui & fallere, & falli possit, *cap. à nobis 28. de sent. excommunic.* non debet gravari suum errorem corrigere, utpotè qui positus est errores aliorum corrigere; ne inde nascantur injuriaæ, unde jura nascuntur, ut dicitur in *cap. qualiter & quando 17. de accusat.* Unde Ivo Carnotensis *epist. 159.* manebat ab ipsa Sede ad ipsam configere Clericos, quām ab Ægypto auxilium petere, id est à Regia potestate: *Quoniam* (inquit) *judicia Romana Ecclesia à nemine foris recractari posse,* eadem *Romana Ecclesia docente, didicimus, si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ autoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam configiant, & inde expetant levamen, unde conqueruntur accepisse gravamen: quia quæ aliquando corripit paterna, eadem frequenter colligit materna pietate.* Manet ergo supplicationem à sententia Romani Antistitis locum habere, quamvis ab ea appellatio interponi nequeat.

33 His itaque non inutiliter expositis, superest nunc respondere ad rationes dubitandi suprà adductas, Et quidem non obstat prima *num. 2. proposita ex Matth. cap. 18.* quoniam respondeatur, ibi Christum alloqui omnes

nes Apostolos , & alloqui Petrum ipsum , priusquam ei  
 sui gregis curam commisisset , ut unum ex discipulis , &  
 fidelibus , eosque instruere circa correctionem fraternalm ,  
 & dicere , quod si frater tuus peccaverit , tuæque fra-  
 teræ correctioni non acqueverit , denuntiate illum de-  
 beas Pastori , seu Episcopo proprio , qui ibi nomine Ec-  
 clesiarum venit intelligendus , eò quod eam repræsentet .  
 Ita sentiunt D. Chrysost. homil. 61. in Matth. D. Thom.  
 in 4. dist. 19. & Innocentius III. in cap. novit. 13. de  
 judicij. Quod evidentissimum fit , quia ibi Christus no-  
 mine Ecclesiarum omnes eos intelligit , qui habent in Eccle-  
 sia potestatem ligandi , & solvendi ; illico enim post  
 num. 2. recensita verba subdit : *amen dico vobis , quæ-*  
*cumque alligaveritis super terram , Oe. alias si ibi no-*  
*mine Ecclesiarum veniret universalis Ecclesia per OEcumeni-*  
*cum Concilium repræsentata , dicendum esset , quod quo-*  
*ties aliquis reus esset furti , homicidij , vel similis culpæ*  
*gravis , & in nequitiae luto obstinate voluntaretur , co-*  
*gendum semper foret Concilium generale , & ejus definitio*  
*expectanda ad damnandum peccatorem obduratum . Dein-*  
*de si hoc argumentum quidquam probaret , multum pro-*  
*baturum eadem autoritate convincitur ; nam esset Petrus*  
*ut summus Ecclesiarum Pastor inferior quolibet Ecclesiarum par-*  
*ticulari Prælato ; siquidem si peccaret in fratrem , posset*  
*recurri ad Ecclesiam particularem , vel ad Prælatum illius .*  
*Igitur apparet præceptum illud de correctione fraternali fui-*  
*se Petro , ut discipulo , & non ut universalis Ecclesiarum*  
*Præfuli intimatum , ut late ostendit Turrificrem. lib. 2.*  
*Summ. Eccles. cap. 92.*

34 Similiter non obstat epistola 161. Div. Au-  
 gusti in verbis *supra num. 3. relatis* , quia verba illa ab  
 eo non proferuntur ratione superioritatis , & majoris po-  
 testatis , ad hoc ut sententia à Pontifice semel cum Epis-  
 copis prolata possit à Concilio generali retractari per ap-  
 pellationem ad ipsum interpositam , sed tantum ratione  
 humilitatis , & plenioris examinis ; eò quod S. Pontifex  
 sententiam illam falsis Episcoporum allegationibus com-  
 motus protulisset ; quasi dixisset Augustinus , nihil obsta-

te , illam sententiam Episcoporum fallacia fuisse prolatam ,  
 cum iterum possit ab eodem Pontifice , pleniori Conci-  
 lij generalis examine concurrente , retractari ; quod qui-  
 dem majus Concilij generalis examen nonnumquam à Pon-  
 tifice conceditur ad convincendam malitiam eorum , qui  
 finiquam causam tuentur , ac fovent , & ut in eo magis  
 veritas illucescat , ut notat Germonius lib. 3. de Sacra  
*Immanit.* cap. 11. per tot. atque ideo in praedicto casu  
 potius appellatur à sententia illorum Episcoporum , qui  
 falsis allegationibus Pontifici consilium dedere , quam à  
 sententia ipsius Pontificis. Et cum hac doctrina intelli-  
 gendus , & conciliandus est textus *in leg. 1. §. quasi-*  
*sum 1. ff. de appellat.* cum *leg. 1. ff. à quib. appell. non*  
*licet.* Vid. Pichard. *in manuduct. ad praxim. part. 4. §.*  
 7. Nec etiam obstat altera ejusdem Augusti epistola 162.3  
 quia licet R. Pontifex supremum habeat in causis Eccle-  
 siasticis judicium , tamen in causa Ceciliani Episcopi per-  
 missit post judicium à se latum , aliud proferri , quia  
 hereticis Donatistis erat suspectus ; quapropter Imperator  
 ipse licet invitus causam suscepit , eamque suo judicio  
 terminavit , veniam prius exorans à Pontifice. Aliter præ-  
 fatam D. Angustini epistolam interpretatur noster Eminent.  
 Cardinal. de Aguirre *tract. contra declarat.* Cleri Galli-  
 cani *disp. 36. sect. 2. num. 12.*

35 Nec item refragatur quod *num. 4. expende-*  
*hamus de Concilio Constantiense* , quia hoc Concilium  
 celebratum fuit tempore , quo non regnabat in Ecclesia  
 legitimus Pontifex , & ad tollendum gravissimum schis-  
 ma trium , qui se pro pontificibus gerebant , nempè  
 Ioannis XXIII. Gregorij XII. & Benedicti XIII. : in casu  
 autem , quo Pontifex sit dubius , Concilium generale præ-  
 valet Pontifici , ut docet Fagnan. *in cap. 4. de elect.* *num.*  
 65. & in hoc rerum statu optimè definivit , quod ejus  
 decretis quilibet teneretur obediens ; hanc enim definitio-  
 nem in *Sess. 4. ¶ 5.* fecit his verbis : *Cui ( id est Con-*  
*cilio ) quilibet cuiuscumque status , vel dignitatis , etiam*  
*si papalis existat , obediens tenetur ( adverte quæso verba*  
*sequentia ) in his , quæ pertinent ad fidem , ¶ extirpa-*  
*tio*

tionem dicti schismatis, reformationem generalem Ecclesie  
Dei in capite, & in membris. Certum est autem gene-  
rale Concilium habere autoritatem jure divino ipsi con-  
cessam ad tollendum schisma, & legitimum Pontificem  
declarandum, ut explicant Turrifcr. in *Summ. lib. 2. cap.*  
*99. Martha de Juris. 3. part. cap. 17. num. 7. Exim.*  
*Doct. P. Suarez, adversus Regem Anglie lib. 3. cap. 28.*  
*num. 8. & de facto illico post celebratam canonicam elec-*  
*tionem Martini V. in Pontificem, nihil amplius suo no-*  
*mine Concilium statuit, sed nomine electi Pontificis, ut*  
*videtur est ex ejus *Seff. 42.* quæ est prima post electio-*  
*nem Martini. Et *Seff. ult.* definivit suspectos esse Hussi-*  
*ticæ hæreseos, qui hanc propositionem assererent: *Papa**  
*canonicè electus non est Successor Petri, nec habet in Ec-*  
*clesia Dei supremam autoritatem.* Petijt demum sui con-  
*firmationem à Martino V. per Oratores Regis Poloniae,*  
*sed Pontifex noluit Concilium confirmare, nisi in ijs,*  
*quæ conciliariter decreverat contra Uviclefum, & Hus*  
*hæreticos à Concilio damnatos, in reliquis autem con-*  
*firmationem denegavit, ut videtur est ex actis ejusdem Con-*  
*cilij *Seff. 45.* En igitur Concilium hoc, quo impugna-*  
*re satagebant Adversarij nostram assertionem, evadit va-*  
*lidissimum ejusdem propugnaculum, ex quo Martini V.*  
*id est Romani Pontificis potestas supra Concilium gene-*  
*rale evidentissimè eritur. Nec interest à nonnullis appel-*  
*lationem interpositam fuisse ad futurum Concilium, ut*  
*dicebamus *num. 4. in fin.*; nam hujusmodi appellations,*  
*ut injustas semper Ecclesia execrata est, & novissimè con-*  
*tingit in appellatione à Novatoribus Galliæ interposita à*  
*Constitutione incip: *Unigenitus Dei Filius*, SS. P. N.*  
*Clementis XI. felicis recordationis. Minus obstat textus*  
*in *cap. ad Apostolicæ 2. de re Iud. in 6.* cui satisfecimus*  
*supr. num. 32.*

36 Nec obstat etiam textus in *cap. sane 3. 24.*  
*quaest. 2. in contrarium ponderatus num. 5.* quia respon-  
*detur, Dioscorum fuisse datum à Concilio Chalce-*  
*donensi, eò, quia in Leonem summum Pontificem ex*  
*Communicationem jaculari ausus fuerat, nec Dioscorus*

Appellatus fuit Papa Romanorum , quia esset Successor D. Petri , & Summus Pontifex , sed quia erat Patriarcha Constantinopolis , quæ nova Roma dicebatur , cap. *Constantinopolitanæ* 3. dist. 22. ut notat Petrus Gregor. 15. syntag. cap. 5. num. 4. ubi cap. 2. num. fin. advertit , Papæ nomen apud Græcos , non solum Patriarchis , sed etiam Episcopis commune fuisse. Nec adversatur exemplum Marcellini ; cui in præmissis num. 29. responsum jam est. Minus obstant exempla Pontificum ab Imperatoribus damnatorum ; quia Constantius Imperator Arrianus Liberium , & Theodora Augusta Silverium eo jure in exilium egerunt , quo Nero Martyres persecutus fuit , juxta Baronium ad ann. Domini 538. Joannes verò XII. Pontifex potius toleratus , quām factus , ( quia cum es- set Alberici Potentissimi Romanorum Patritij filius duo de viginti annos natus , in papatum irrupti potentia , & opibus innixus ) cum promissam Othoni amicitiam vio- lasset adjudicando se Adalberto Berengarij filio , & Otho- nis hosti , invalide licet , & sacrilegè fuit in Synodo ab Othono nulliter coacta Papatu exutus , quod impium at- tentatum in alia Romana Synodo datum fuit , & à Clero Romano , & Cardinalibus Benedictus V. fuit legiti- me in Pontificem renunciatus. Gregorium VI. aliqui sen- tiunt , non fuisse verum Pontificem , cum tres eo tempo- re sibi Pontificatum vindicarent , seu ( quod alij ut verius sequuntur ) cum Gregorius timeret ex una parte Henri- cum hostem armatum , & implacabilem , ex altera verò immineret schisma , sponte Papatu se abdicavit. Hæc igitur exempla nil contra nostram catholicam assertionem evincunt , quia sunt de Pontificibus vel intrussis , vel dubijs , vel sponte cedentibus , vel per tyrannidem ejec- tis. Nec refragantur textus in cap. *mandatis* 10. 2. quæst. 5. cap. *nos si in competenter* 41. 2. quæst. 7. quos expli- cuimus suprà num. 29. & 30. Nec etiam obstat textus in cap. *auditum* 18. 2. quæst. 5. ubi Leo III. non se submisit alicuius judicio , sed solum ad tollendum fortas- se scandalum , se voluntariè purgare voluit , utique vel publico juramento , vel alijs probationibus , & rationibus innocentiam suam ostendendo.

37. Præterea nostram assertio[n]em non evenitunt textus in contrarium expensi *suprà num. 7.* nam ad text. in cap. sicut 2. dif[er]t. 15. respondetur, sermonem ibi esse tantum de illis hæreticis, quos illa Concilia condemna-  
runt; nequit enim Pontifex facere, quod non sit hæ-  
sis, quæ hæsis est, aut quod sit verum, quod tale non  
est: hoc autem non est Papam non esse supra Conci-  
lium, sed non esse supra Deum, vel supra fidem. Ex  
quo non evincitur, quod sententia Concilij præponatur  
sententiae Papæ, sed hoc ideo procedit, quia fides una  
est, & incommutabilis, ut inquiunt Leo, & Augusti-  
nus relati à Turrecrem. in cap. *Domino Sanct.* 28. dif[er]t.  
50. Ideoque quidquid semel fuit articulus fidei, semper  
fuit, & erit articulus fidei, ut dicunt DD. in cap. *cum*  
*Christus 7. de hæretic.* Unde etiam fit, ut quamvis sta-  
tuta Papæ non ligent Successorem, quia par in parem non  
habet imperium, cap. *innotuit 20. de elect.* tamen quæ  
semel magistraliter, & ex Cathedra ab uno Pontifice sunt  
definita, à Successore infringi non possunt: quia alioquin  
fides non esset una, & Sedes Apostolica ( quod hæreti-  
cum est asserere ) in fide errasse convinceretur, ut dici-  
tur in cap. *sunt quidam 6. 25. quest.* 1. Eodem modo  
solvuntur textus in cap. 1. cap. 7. & 9. caus. 25. quest.  
1. in quibus vel est sermo de ijs, quæ à Concilijs sta-  
tuta fuerunt, ut ad jus divinum, & naturale pertinentia;  
vel si sit sermo de illis, quæ sunt meri juris humani, ni-  
hil aliud velle possunt objecti textus, quam quod Papa  
ligetur illis quoad vim directivam, non vero quoad coac-  
tivam per text. in cap. *si ea 4. cap. decessorum 19. 25.*  
*quest.* 2. cap. ult. de rescrisp. in 6. ex rationibus tradi-  
tis à D. Thoma 1. 2. quest. 96. art. 5. ad 3. alias di-  
cendum esset R. Pontificem non solum statutis Concilio-  
rum generalium, sed etiam particularium, & Sanctorum  
Patrum subjacere. Ad textus vero in cap. fin. de reb. Ec-  
cles. cap. antiqua 23. de privilegiis. cum alijs congestis su-  
pra num. 7. vide quæ notavimus num. 20. ex quibus  
commodam recipiunt interpretationem.

38. Rursus assertioni nostræ non obsistit difficul-

tas *suprà num.* 8. adducta; nam libenter admittimus, liberum fore unicuique appellare quoties gravatum esse contendit, nisi lex ex justis causis *suprà relatis* id prohibueret, ut in praesenti; quia superior debet corrigere, & in melius reformare, quae fecit inferior judex, non è contra, leg. nam *Magistratus* 4. ff. de arbitris, cap. *inferior* 4. *dist.* 21. cum vulgat. Cum ergo Concilium generale sit inferius R. Pontifice, idcirco ab istius sententia appellatio ad Concilium interponi non potest. Verum licet propriè à Pontifice appellari non possit, potest tamen ad eum in gravaminibus illatis fieri supplicatio, & sperandum est, quod non erit ita immemor suæ salutis; quin cognita veritate gravaminis relevet oppressionem, quam intulit: vel potest in tali casu recurri ad Deum, cuius solius arbitrio reservatus est, cap. *facta subditorum* 15. 9. *quæst.* 3. non tamen per modum appellationis ex ratione jam tradita, sed per modum devotæ supplicationis, quam pius Pater Deus exaudiet vel liberando, vel patientiam tribuendo, vel in melius aliquid aliud, quod petitur, commutando. Sæpè enim, quæ petuntur (secundum Augustinum) non dantur, quando petuntur, vel ut meliora dentur, vel ut convenientiori tempore largiantur. Neque obstat, quod de appellatione dicebamus, juris scilicet naturalis esse, & defensionem naturalem contineare; nam contrarium verius est, nempè quod appellatio contineat defensionem impropriam, civilem, seu positivam, ut probatur ex eo, quod causa à Pontifice, vel Principe, ejusque executio, *appellatione remota*, potest committi, cap. 15. cap. 27. §. porro de offic. deleg. cap. 53. ¶ 71. de appellat. leg. 2. §. interdum. 4. ff. a quib. appell. non licet. quod fieri non posset, si appellatio juris naturalis esset, nam tale jus immutabile est; ac per consequens nec à voluntate Principum pendere potest juxta vulgatum axioma text. in §. sed *naturalia fin.* Inst. de jure nat. gent. ¶ civ. Clem. Pastoralis 2. §. ceterum de re jud.: tradunt Doct. Balboa in cap. 1. de appellat. num. 12. ¶ 3. & alij plures, quos refert, & sequitur D. Samaniego in dict. tract. de requir. judicib. in caus. appell.

*pell. sect. I. num. 12. cum 4. seqq.* Nec item obstat pa-  
 ritas recusationis *d. num. 8. in fin.* adducta ; nam di-  
 cendum est , S. Pontificem recusari non posse , cum im-  
 probum esset , & nimis absolum suspicionis , & injusti-  
 tiae labe Christi Vicarium notare ; nam sicut à sententia  
*R. Pontificis non licet appellare , neque ab alia cuiuslibet*  
*Principis supremi sacerdotalis , leg. I. ff. à quib. appelle-*  
*lar. non licet leg. 27. tit. 23. part. 3. eodem modo , ne-*  
*que locus erit recusationi , quare idem afferendum est*  
*de omnibus Principibus sacerdotalibus , qui superiorem in*  
*temporalibus non recognoscunt. Ita pluribus relatis do-*  
*cent duo Salmaticenses Primarij Doct. Armenteros in*  
*tract. de recusationib. judic. num. 15. & Doct. Balboa*  
*in cap. 61. de appell. num. 7. & an Concilium generale*  
*possit recusari , videndus est idem Balboa in cap. I. de*  
*judicijs num. 25.*

39 Denique nostram assertionem , non infringit  
 difficultas *num. 9. proposita* , cui respondetur , quod li-  
 cèt S. Pontifex , ut homo , & ut privata persona errare  
 possit in quæstionibus facti , & juris , non ideo infertur ,  
 adeundum esse Concilium generale , ut error , seu impe-  
 ritia Pontificis judicantis corrigitur , & emendetur , quia  
 inferior non potest corrigere , & in melius reformare ,  
 quod fecit superior , qualis est Pontifex respectu Conci-  
 liij generalis , ut diximus *num. ant. in princ.* Verum ut  
 hæc doctrina pleniū illustretur , sciendum est , Pontifi-  
 cem , ut privatam personam errare posse non solum in  
 quæstionibus facti , & juris , ex ratione à nobis tradita  
*supra d. num. 9. & probant textus sic intelligendi in cap.*  
*licet 3. de sponsa duor. cap. quanto 7. de divorc.* ubi Dom.  
*Gonç. num. 2. sed etiam in fide , quia nullum adest funda-*  
*mentum in Sacra Scriptura , ut Pontifices , postquam sunt*  
*assumpti ad Pontificatus dignitatem , constituantur impec-*  
*cabiles , & ut tamquam particulares personæ gaudent*  
*privilegio confirmationis in gratia ; nam ut dicam , pro-*  
*missio facta Lucæ cap. 22. Rogabo pro te Petre , ut non*  
*deficiat fides tua , solum intelligi debet erga Petrum , ut*  
*Ecclesiæ caput , & ex Cathedra definiētentem , non vero*  
*ut*


ut privatam personam. In istisque quæstionibus facti , aut juris non solum Pontifex potest errare , sed etiam generale Concilium , immo & Pontifex cum Concilio , quia omnia hæc dependent ab humano testimonio , quod quidem fallibile est , cap. à nobis 28. de sentent. excommun. docet Fagnan. in cap. venerabili 52. de testib. num. 42. & in cap. majores 3. de bantism. a num. 12.

40 Nihilominus aliquæ sunt facti quæstiones , in quibus Pontifex est infallibilis , & errare non potest , quælia sunt facta contenta , aut deducta ex Sacra Scriptura , vel ex traditione , quæ de fide proponuntur à Pontifice , & quæ concernunt statum universalem totius Ecclesiæ , ut in canonizando aliquem solemniter , illum adscribendo Cathalogo Sanctorum , eumque proponendo toti Ecclesiæ , ut ab omnibus pro sancto habeatur , & colatur. Et ratio est , quia in his quæstionibus ad fidem pertinentibus procedit Pontifex ex officio pastorali , tanquam Doctor , Pater , & superior universalis Ecclesiæ , & nullatenus ntititur humano , & fallibili testimonio , sed solum Dei , & infallibili ; alias enim si Pontifex in hoc infallibilitate non gauderet , Ecclesia posset ad malum obligari , scilicet , ad credendum , & colendum tamquam sanctum , qui vere sanctus non esset , itaque deficeret in Ecclesia spiritus veritatis , & quidem in materia religionis , quod maximum est absurdum. Nec huic doctrinæ opponitur dictum Augustini relatum *supra num. 9. in fin.* tum quia illud , licet passim tribuatur Augustino , tamen inter ejus opera non reperitur. Ac præterea estò illius author fuerit Augustinus , exaudiiri debet de impijs , quorum corpora magnificis sepulchris honorantur in terris , vel de falsis Donatistarum , similiisque Sectariorum , principiue in Asia , Martyribus , qui apud suos pro sanctis colebantur , cum tamen animæ eorum crucientur in inferno ; vel tamdem posset in vero sensu intelligi de honore , quem particulares homines possunt exhibere alicui sancto non vero , sed purè existimato , uti loquitur Innocentius III. in cap. audiçimus 1. de reliq. & venerat. sanctor. ubi refert , quod aliquis in ebrietate occissus à quibusdam pro

pro sancto colebatur. Ita D. Covarr. lib. 1. var. cap. 101 num. 13. Fagnanus in dict. cap. 52. de testib. num. 44. & alij plurimi relati à D. Gonçal: in dict. cap. audivimus 1. num. 6. in fin.

41 Ex doctrina num. 39. tradita facile venit intelligendus Adrianus VI. in 4. sent. quæst. de confirmat. à nobis relatus *supra* num. 10. quia ibi Adrianus tanquam particularis Doctor scripsit; quando autem Pontifex, ut particularis Doctor sua sapientia, & Sacrae Scripturæ testimonij private intellectis, sententiam profert, potest ab dubio adhuc in fide errare, non secus ac quilibet alias Doctor: & in hoc sensu supponit Adrianus, Pontificem etiam in expectantibus ad fidem à veritate declinare posse; quia sic resolventi non est specialis Spiritus Sancti assistentia promissa; non vero loquitur Adrianus de Pontifice, ut capite Ecclesiæ, universali Doctore, & Vice-Christo, aut ex Cathedra definitore, quia ita errare nullatenus potest, cum sic operanti sit specialis Spiritus Sancti assistentia ex divino decreto debita. Quod vero Adrianus *cit. loc.* nullatenus sermonem institutum de definitionibus ex Cathedra, ex eo evidentissimum fit, quod ibi loquebatur contra privilegium administrandi Sacramentum confirmationis Presbyteris Sardiniae à Gregorio concessum; quod tamen privilegium non fuit tanquam de fide à Gregorio Ecclesiæ propositum, nec ex Cathedra definitum, sed solum fuit res facti, & in rebus facti, jam diximus, Pontificem à vero declinare posse. Et ita pariter explicandus est D. Cyprianus citatus d. num. 10. nam Cyprianus, cæterique Episcopi Africani non judicarunt Stephanum in suo decreto protulisse sententiam, neque loqui ex Cathedra, sed solum quamdam consuetudinem aliarum nationum retulisse, ut constat ex verbis ipsius Pontificis, quæ ita sunt: *Si quis à quacumque heresi veniat ad nos, nihil innovetur; nisi quod traditum est, nisi ut manus illi imponantur in penitentiam.* Quæ verba potius usum, traditionemque referre, quam definitionem stabilire videntur. Postquam tamen fuerunt de sententia S. Pontificis certiores facti,

statim contrarium protulisse decretum affirmat D. Hieronymus lib. 1. contra Luciferanos , ibi: *Denique illi ipsi Episcopi , qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant , novum emisisse decretum.* Ex quo constat nec Cyprianum , neque Africanos Episcopos contumaciæ prætervia esse damnados , cum D. Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 18. dicat : *Humanæ infirmitatis errorem cooperuit charitas unitatis. Si tamen aliqua culpa ipsis imponitur , fuit pœnitentia extincta.* Et an Concilium generale in causis fidei possit errare , pro intelligentia textus in cap. à Recata 9. 24. q. 1. videndus est Prosper. Fagnan. in cap. majoris 3. de baptismo a num. 5. Denique non obstat ultima dubitandi ratio suprà num. 11. proposita , quæ satis jam enervata manet in præmissis num. 21. Cum quibus finem imponimus tractatui huic in laudem Dei Omnipotens , Virginis Mariæ ab omni labe immunis , sedisque Apostolicæ , sub cuius correctione , quæ in ea diximus , sicut & omnia nostra , subjecta esse volumus , ita ut si quid minus consonum doctrinæ Sacræ Cathedræ D. Petri dixerim , scripserim , vel cogitaverim , ex nunc damno , reprobo , & retracto.





# ELUCUBRATIO A D

*TEXT. IN CAP. NOVIT. 13. DE  
JUDICIJS.*

**D**Ivino Igitur auxilio implorato explicaturis  
aggregior famigeratam epistolam decretalem  
relatam *in cap. novit. 13. de Judicijs.* Cujus  
author laudatur Innocentius III. qui de-  
functo Coelestino III. anno Christi 1198.  
ad fastigium Romani Pontificatus fuit evec-  
tus, antea Lotharius dictus; patria Anagninus, Diaconi-  
nus Cardinalis Tituli Sancti Sergij; qui & summa cum  
prudentia navem Ecclesiæ rexit usque ad annum 1216. ut  
post Platinam, Spondanum, & alios refert D. Gonçal-  
lez, *in cap. 1. de Summ. Trinit. num. 1.* fuitque in  
utroque jure apprimè doctus, ut ejus testantur Epistolæ;  
varia etiam opera edidit, quorum Cathalogum refert Lu-  
dovicus à S. Carolo *in bibliotheca Pontificum lib. 1. li-*  
*tera Y:* quam plurimasque tradidit Constitutiones, &  
decisiones, quas varijs sub titulis transcripsit Raymун-  
dus inter quas

*quantum lenta solent inter viburna cupressi,*  
caput extollit haec, quam aggredimur disputandam, cuius  
hypothesis sequentibus solet delineari clausulis. Inter Phi-  
lip-

Lippum Galliæ Regem , & Joannem Angliæ Principem super Comitatu Pictaviæ , quem Joannes in feudum accep- perat , concordia quædam , & compositio , juramento in- terveniente , celebrata fuit . Galliæ Rex non obstante ju- ramenti religione , violata fide paci , & concordiaæ oc- cupavit dictum Pictaviæ Comitatum : Joannes Angliæ Pri- ceps ex adversa parte sapius illum admonuit super obser- vatione paci , & concordiaæ , & tandem Rege Galliæ non desistente , Angliae Princeps Ecclesiæ denuntiavit . Quamobrèm Innocentius III. cum ratione peccati , præ- cipue pacis fractæ , & juramenti , de omnibus etiam lai- cis cognoscere possit , prælatis Galliæ scripsit qualiter procedere , & quid facere debeant , ut ex litera textus aperte deducitur .

I Ex qua facti specie breviter relata conclusio , quæ communi Interpretum placito disputanda deducitur , hæc est : *Romanus Pontifex de laicis etiam Regibus , O Imperatoribus cognoscere potest ratione peccati , maximè juramenti , O pacis fractæ .* Quæ conclusio firmatur ex cap. venerabilem . 34. de elect. cap. solite . 6. de major. O obed. cap. licet . 10. de for. compet. cap. licet univer- sis . 6. de voto . Jure Decreti ex cap. quoniam 8. dist. 10. cap. in memoriam . 3. cum seq. dist. 19. cap. tibi Domi- no . 33. dist. 63. cap. quis dubitet . 9. cap. duo sunt . 10. cap. Imperator . 2. dist. 96. cap. autoritatem 2. cum 3. seqq. caus. 15. q. 6. Jure Sexti ex cap. granti . 2. de supplend. neglig. prælat. cap. ad Apostolice . 2. de re fud. Jure Clementinar. ex Clem. Pastoralis 2. vers. nos quo- que. de re fud. Clem. 1. de jur. jur. Exornant ultra con- gestos à Doct. Balboa in presenti n. 2. Angelicus Magister lib. 3. de regim. Princip. cap. 10. 15. O 19. O in 2. dist. 44. art. 3. ad 4. Card. Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 12. O lib. 4. cap. 15. O seq. Exim. Doct. P. Suarez in defension. fidei lib. 3. cap. 6. 10. O 21. P. Marquez in gubernat. Christian. lib. 2. cap. 28. Cas- tillo 3. controv. cap. 19. ex num. 118. Carleb. de fudi- cijs. tit. 1. disp. 2. num. 134. D. Solorzan. de Jur. indi- lib. 2. cap. 22. O 23. Anguijan. de legib. lib. 2. controv. 17.

a numer. 29. Barbos. in *Pastoral.* p. 1. cap. 2. numer.  
 3. alijque plures, quos refert hujus nostra Universitatis  
 jam olim Sacrorum Canonum merito Primarius, nunc  
 Regius Consiliarius, Sapientissimus Magister meus D.  
 Doct. D. Mathæus Perezius Galeote, in tratt. Acad. de  
*legib. human.* cap. 1. num. 17. & 18.

**2** Verum licet hæc nostra conclusio solidis Sacro-  
 rum Canonum fundamentis sit stabilita, Doctorumque  
 concordi judicio munita, sequentibus tamen dubitandi  
 rationibus graviter urgeri videtur, quarum prima sic ef-  
 formari potest. Causa, de qua inter Philippum Galliæ  
 Regem, & Joannem Angliæ Principem agebatur, erat  
 prophana, & sacerularis, super feudo videlicet Comitatus  
 Pictaviæ, sed in Romano Pontifice nulla residet potestas  
 circa prophana, & sacerularia: ergo nulla ratione Inno-  
 centius III. se intromittere potuit in cognitione causæ  
 feudalismi, de qua in nostro textu. Major est innegabilis,  
 minor vero probatur ita: Vicarius Christi Domini, &  
 Petri Successor ampliori non gaudet potestate, quam Chris-  
 tus Dominus ut Redemptor executioni mandavit, *leg. ne-*  
*mo plus 54. cum vulg. ff. de reg. jur.* sed nullam potes-  
 tam Christus Dominus verbis, aut factis demonstravit  
 circa prophana, & sacerularia: ergo Ecclesia, aut Christi  
 Vicarius nulla gaudet potestate circa sacerularia, & conse-  
 quenter non potuit Pontifex cognoscere de causa feudali  
 Comitatus Pictaviensis. Major patet, quia servus amplio-  
 ri dominio, quam Dominus non resplendet, nec disci-  
 pulus est supra Magistrum, ut habetur *Matth. cap. 12.*  
 in illis verbis: *Magister dic fratri meo, ut dividat meam*  
*hereditatem: ille dixit ei: homo quis me constituet Ju-*  
*dicem, aut divisorem super vos? ac si diceret, in mun-  
 danis cupiditatibus nec sum Rex, nec Judex, ut colli-*  
*gitur ex Joann. cap. 18. ubi Christus interrogatus de reg-*  
*no respondit: Regnum meum non est de hoc mundo, id*  
*est, non est temporale, & terrenum, sed spirituale,*  
*& coeleste, ut cum multis SS. PP. notat Primarius nos-  
 ter Doct. Balboa hic num. 55. & mihi probatur ex illo*  
*David Psalm. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo*

*super Sion montem sanctum ejus, ubi loquens in persona Christi addit: Prædicens præceptum ejus, ut intelligeremus, potestatem, quam Christus Dominus secum trahebat, esse ad sola spiritualia. Unde Augustinus declarans præfata verba Psalm. 2. tract. 115. super Joann. dixit: Sionis illam, & montem illum non esse de hoc mundo; quod enim est Regnum ejus, ait, nisi credentes in eum? Et iterum, dabo tibi gentes in hereditatem tuam, quas possideas ad earum salutem, & quæ tibi fructificant spiritualia: ergo Christus Dominus nec regiam, nec judiciale potestatem operibus, aut doctrina uilibi expressit; non enim venit ad auferendum regnum temporale, nec de illo pro nutu disponere, sed ad coelestia regna hominibus donanda, ut constat ex Sedulij carmine ab Ecclesia recepto, & celebrato satis,*

*Non eripit mortalia  
qui regna dat coelestia.*

*ergo Christus nec regali, nec judiciali potestate mundana, factis, aut verbis se insignitum ostentat, & consequenter nec etiam Christi Vicarius: ergo Pontifex in causa feudali Comitatus Pictaviæ non potuit, nec debuit regiam, & temporalem usurpare jurisdictionem.*

3. Augetur eadem dubitandi ratio ex Nicolao I. qui ad Albinum Archiepiscopum in cap. inter hęc 6. 33. q. 2. ita scribit: *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem; nomine autem gladij significari solet in jure nostro Canonico potestas temporalis. Praterea idem Nicolaus in cap. quoniam 8. dist. 10. ad Michaelem Imperatorem, sic ait: Quoniam idem mediator Dicit, & hominum homo Christus Jesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit propria. Id ipsum nobis tradidit idem Nicolaus in cap. cum ad verum 6. dist. 96. ibi: Nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quibus consonant textus in cap. duo sunt 10. ead. dist. ibi: Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: authoritas Sacra Pontificum, & regalis potestas. Et Leo Papa in cap. nos si*

Incompetenter 41. §. sed notandum, 2. q. 7. ibi: *Duae sunt perso-  
ne, quibus mundus iste regitur: regalis videlicet, & Sacerdo-  
talis. Sicut Reges præsunt in causis saeculi, ita Sacerdo-  
tes in causis Dei.* Et paulo post: *Sicut ergo Ozias à Do-  
mino lepra percussus est, quia Sacerdotum officia usurpa-  
re voluit; sic Sacerdotibus, & Prophetis Regum officia  
usurpare non licuit.* Quibus omnibus accedit textus in  
cap. solitæ 6. de major. & obed. Ubi idem noster Inno-  
centius III. has duas potestates firmamenti luminaribus  
comparavit, dicens: *Et non negamus quin præcellat Im-  
perator in temporalibus illos dum taxat, qui ab eo suscep-  
tiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit:  
qua tanto sunt temporalibus digniora: quanto anima pre-  
fertur corpori.* Et infra: *ut quanta est inter Solem, &  
Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia aga-  
noscatur:* Ergo ex his omnibus constat, quod potestas  
Ecclesiæ, aut Romani Præsulis ad spiritualia solum ex-  
tenditur, Regibus, & Imperatoribus indemni relicta tem-  
porali potestate. Modo sic: potestas Ecclesiæ ex quo di-  
versa apparet à regia, nec regia temporalis in spiritua-  
lem, nec spiritualis Ecclesiastica in temporalem, tamquam  
in mesem alienam, falcem mittere debet; unicuique  
enim propria servanda est jurisdictio, leg. si quis ex alie-  
na. 5. ff. de judicijs, cap. pervenit. 39. in fin. II. q. 1. &  
constat ex illo Matth. cap. 22. *Reddite que sunt Cæsa-  
ris Cæsari, & qua sunt Dei Deo,* ubi Christus divisit  
temporalem potestatem Imperatoris ab spirituali Dei, &  
Ecclesiæ, quælibetque determinatis circumscribitur termi-  
nis: si enim injustæ reputantur Imperatorum decisiones  
de Ecclesiasticis, & spiritualibus, aliquo quæsito colore  
disponentes, ut passim docent Canonistæ in cap. Eccle-  
sia S. Mariae 10. de constitut. injuxta erit similiter præ-  
sumptio Ecclesiæ se negotijs saecularibus, & temporalibus  
implicantis, ut dicitur 2. ad Timoth. *Nemo militans Deo  
implicet se negotijs saecularibus.*

4 Augetur insuper idem difficultatis assumptum  
ex sequenti juris consideratione; nam Comitatus Picta-  
via, de cuius feudo in præsenti contendebatur inter Gal-  
lia;

liae, & Angliae Regis, continetur intra Galliae limites, ut ex nostro textu, & ejus originali colligitur; ast cognitio cause feudalis regulariter domino feudi competit, ut probant text. in cap. ceterum 5. de judicijs, cap. eorum transmissa 6. cum seq. de for. comp. Et ratio est, quia dominus feudi presumitur peritior, & instructior quolibet alio judice circa subjectam materiam, cum feudi sui conditiones, pacta, & consuetudines, sive usus nulli alij magis, quam ipsi nota esse possint; præcipue cum totum feudorum jus ex consuetudine, & usu cuiuscumque provinciæ regulari soleat: cum ergo in specie nostri textus Galliae Rex esset dominus feudorum, coram ipso debuit controversia feudalis disceptari, tamquam coram judge competenti; ac per consequens non erat, cur Pontifex se intromitteret; nè alias alienam usurpare videretur jurisdictionem, ut ipse inquit illis in verbis: *Non patet aliquis, quod jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendimus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire.* Et paulò inferius: *Non enim intendimus judicare de feudo, cuius ad ipsum ( id est, Regem Galliæ ) spectat judicium.* Quod etiam constat ex cap. causam que 7. qui filij sint legitim. ibi: *Nos attentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se afferit pertinere.* Et in cap. per venerabilem 13: eod. tit. alienam nuncupavit Regis potestatem, & ad se non pertinere expresse fatetur noster Innocentius III. ergo non debuit causæ feudalis cognitionem suscipere, sed illam Regi Galliae tanquam domino feudi relinquere.

5 Neque huic difficultati satisfacies, si dicas; quod superior doctrina docens, super causa feudalí dominum feudi judicem competentem esse, procedere dun taxat videtur, quando inter vassallos controversia vertitur: ceterum si cum ipso domino feudi litem agi contingat, non pertinet cognitio illius causæ ipsimet proper suspicionem, & affectionem, quam ad propriam causam habere præsumi debet, nè quis in porpria causa ju-  
fi-

sibi dicerē valeat , iuxta text. in leg. qui jurisdictioni 10; ff. de jurisdictione. & tot. tit. Consil. ne quis in sua causa. Quod in terminis magistraliter constituisse invenitur Imperator Fridericus in leg. imperiale 5. præterea de prohibita feudi alienat. lib. 2. feudor. ibi : Præterea si inter duos vassallos de feudo sit controversia , domini sit cognitio , & per eum controversia terminetur. Si vero inter dominum , & vassallum lis oriatur , per pares Curiae a domino sub fidelitatis debito conjuratos terminetur. Cum ergo in nostro textu non inter duos vassallos , sed inter ipsum net dominum feudi , Regem scilicet Galliarum , & vassallum feudatarium Comitem Pictaviensem , videlicet Regem Angliae quæstio mota fuisset , ideo ad Innocentium III. non vero ad ipsum Regem Galliarum , quantumvis dominum feudi , spectavit judicium , & cognitio causæ feudalis. Verum haec solutio aperte convincitur ex eo , quod in Principibus non recognoscensibus superiorem limitatur prædicta regula , nè quis in causa propria jus sibi dicere possit ; quia Imperator , & quilibet aliis supremus Princeps jus sibi dicere potest in causa propria , quam habet cum subdito suo , ut probant text. in leg. & hoc Tiberius 41. ff. de hered. inst. leg. proximè 3. ff. de his , quæ in testam. delent. cap. cum venissent 12. de judicijs Et ratio est , quia periculum suspicionis , & affectionis propriæ causæ cessat , & non consideratur in Principiis propter excellentiam , & superiorem prærogativam suæ dignitatis , ut optime tradunt Turrecrem. lib. 2. de Ecclesia cap. 113 & Osuald. lib. 17. comment. Donel. cap. 2. lit. P. Nec huic doctrinæ obstat tex. in cap. 1. de probation. ex quo appareat , Regem Recaredum coram Summo Pontifice convenire voluisse supremum Imperatorem , quasi coram competenti judice ; nam , ut ibidem num. 10. & 12. respondet Primarius noster Doct. Balboa , ex eo textu non constat , Pontificem fuisse interpositum a Recaredo tamquam judicem , quia contra Imperatorem nulla fuit lis inchoata coram Pontifice ; non enim fuit interpositus ut judex , sed ut mediator inter ipsum , & Imperatorem.

6 Rursus fulcitur idem assumptum difficultatis ex eo , nam in Orbe unum debet esse caput , cui membra obedient , *cap. in apibus 41. 7. quæst. 1.* sed illud est Rex , aut Imperator , cui obedire omnes tenentur; ergo Pontifex ex defectu jurisdictionis non potuit cognoscere de lite mota inter Galliæ ; & Angliæ Reges super Comitatu Pictaviæ: inferior enim nullam in superiorem habet jurisdictionem , *cap. cum inferior 16. cum vulg. de major. ¶ obed.* Major probatur ex Apostol. *ad Roman.* *cap. 13.* relato in *cap. omnis anima 2. de censib.* ubi asseritur omnem animam , id est , omnem hominem sublimioribus potestatibus subditum esse. Et ex epist. 1. *Canon. D. Petri cap. 2.* ibi : *Subiecti igitur stote omni humanae creature propter Deum, sive Regi tamquam præcellenti.* Quibus in locis sermo est de potestatibus sacerdotalibus , & nullus excipitur à subjectione , non Clericus , non Episcopus , non Papa , cum dicatur omnis anima subdita esse potestatibus sacerdotalibus , & generaliter Principibus , ac Regibus obediendum esse probatur ex *cap. 22. Exod. vers. 28.* ibi : *Principi populi tui non maledicas,* ut agnoverunt D. Paulus *cap. 23. vers. 5. act. Apostol.* & PP. Concilij Toletan. *5. can. 5.* Deinde hæc eadem subiectio Romanorum Pontificum erga Reges , & Imperatores expressè demonstratur , tum ex *cap. 25. ¶ 26. act. Apostol.* ubi D. Paulus ad Porciū Festū Cæsareæ Præsidem dixisse traditur : *ad Tribunal Cæsarī esto, ibi me oportet judicari;* & infra : *ad Cæarem appello,* quibus verbis constat Apostolum Cæarem judicem cognovisse : tum exemplo Christi Domini , qui quamvis summus esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Psalm. 109.* in ventre adhuc B. Virginis existens , edicto Cæsarī , quo universus orbis erat describendus , obedire non est dignatus , *Lucæ cap. 22.* & ad Pontium Pilatum Palestinae Præsidem ingenuè confessus est , Præsidem in eum à Deo Optimo Maximo potestatem habere , ut ostendunt ejus verba apud *Ioann. cap. 19.* Non haberes potestatem adversus me ullam , nisi tibi datum esset desuper ; Si ergo Christus Dominus noster , & Magister

ter Principibus , & Magistratibus sacerdotalibus obedire voluit , multo magis Principibus sacerdotalibus obedire debent Christi Vicarij , cum discipulus non debeat esse major magistro , nec servus excellentior domino , ut docetur Matth. cap. 10.

7 Ruisus hoc idem suadetur ex eo , quod tri-  
butorum impositio , eorumque praestatio probationem in-  
ducit subjectionis , ut probatur ex Apostol. ad Roman. cap. 13. *Necessitate subditi estote , ideo enim Cœtributa præstatis* ; sed Imperatores , & Reges non solvunt tributa Pontifici , Pontifex vero Imperatoribus , & Regibus ab ipso exordio nascentis Ecclesiae tributum solvit , ut patet Matth. cap. 17. ubi Christus pro se , & Petro tributa do-  
navit , & habetur in cap. si tributum 27. 11. quest. 1. ibi : *Si tributum petit Imperator , non negamus , agri Ecclesiae solvunt tributum.* Id ipsum constat etiam ex cap. tributum 22. 23. quest. 8. ibi : *Quia de exterioribus suis , quæ palam cunctis apparent , Ecclesia tributum reddit;* in quibus verbum reddit debitum iustitiae denotare docet Doct. Balboa in cap. 2. de judicijs num. 101. : Ergo cum ex hucusque dictis expresse evincatur jure divino , & positivo Romanum Pontificem Regibus , & Principibus sacerdotalibus subjectum esse , tributaque praestari in probationem subjectionis , necessario dicendum est , non recte Innocentius III. in nostro textu dixisse , se habere potes-  
tatem , & jurisdictionem in Gallia , & Anglia Reges , atque ideo cognoscere posse de causa inter eos agitata su-  
per comitatu Pictaviæ. Id quod denique probatur ex fac-  
to Regis Salomonis relato lib. 3. Reg. cap. 2. nam cum Rex esset , Abiathar summum Sacerdotem depositus , con-  
stituitque ipsius loco Sadoch : unde cognoscitur precellen-  
tia regalis sceptri supra Sacerdotium , etiam in lege ve-  
teri : & idem in lege nova suaderi potest ex cap. nos si incomptenter 41. 2. quest. 7. ubi Leo Pontifex fatetur , si ipse aliquid incompetenter gessit , per Ludovicum Re-  
gem esse judicandum : Igitur quia Romani Pontifices sub-  
funt Imperatoribus , & Principibus sacerdotalibus ; conse-  
quenterque lege jurisdictionis , seu subjectionis cog-  
no-

noscere non potuit Pontifex de causa feudali , &c.

8 Vidistis jam ( Auditores Clarissimi ) dubitan-  
di rationes , quibus Innocentij III. Catholicam decisionem  
impugnare conantur hæretici , sed immerito , ut ex di-  
cendis constabit , quod ut demonstrem , accipite quæ la-  
bor noster congérere potuit. Sciendum igitur est , duas  
esse potestates in Républica christiana in se realiter , &  
essentialiter distinctas , unam spiritualem , seu Ecclesiast-  
icam , quæ directè versatur circa regenda , & gubernan-  
da supernaturalia ad finem supernaturalem salutis æternæ;  
aliam verò temporalem , seu sacerdotalem , quæ versatur  
circa gubernanda naturalia ad finem naturalem , & ad  
benè , honeste , tranquillèque vivendum , ut testatur Ge-  
lasius Papa in cap. duō sunt 10. dist. 96. ubi inquit:  
*Duo sunt , quibus principaliter hic mundus regitur : au-  
thoritas sacra Pontificum , & regalis potestas.* Et Leo  
Papa in cap. nos si incompetenter 41. §. sed notandum  
est 2. quest. 7. ibi: *Due sunt personæ , quibus mundus  
iste regitur : regalis videlicet , & Sacerdotalis ; quam  
doctrinam multis confirmat Primarius noster Doct. Balboa  
in textu nostro num. 20. cum 3. seqq. : Et mihi sequen-  
ti consideratione recte declaratur ; nam ut vulgo omnes  
in præsenti considerant , in principio (& non in princi-  
pijs) creavit Deus Cœlum , & Terram , & duo lumi-  
naria magna à primo ad quartum diem creationis , ut  
constat Genes. cap. 1. creavit enim solem , qui luminare  
majus est , ut præcesset diei , & lunam , quæ est lumina-  
re minus , ut præcesset nocti. Sic etiam ad firmamentum  
Ecclesia universalis instituit hæc duo luminaria , quæ sunt  
duæ illæ potestates , altera spiritualis , seu Ecclesiastica ,  
quæ major est , ut præcesset rebus diei , id est , rebus  
spiritualibus , altera vero sacerdotalis , seu temporalis , &  
minor , ut præcesset rebus noctis , quales sunt res tempo-  
rales ; quæ duæ potestates etiam significantur illis duo-  
bus gladijs , de quibus Lucæ cap. 22. *Ecce duo gladij*  
*bic.**

9 Supposita ergo utriusque potestatis differentia ,  
sciendum etiam est , has duas potestates , spiritualem vi-  
de-

delicet , & temporalen , seu politicam residere penes sumum Ecclesie Antistitem, ut unanimiter tenent Theologi , & juris nostri Doctores , & probatur ex Nicolao II. in cap. omnes 1. dist. 22. ubi sic ait : *Qui Beato Petro aeterno clavigero terreni simul , & cœlestis Imperij jura comisit.* Cui consonat text. in Extravag. unic. Joann. 22. Ne sede vacan. aliquid innov. ibi : *Cum in illo ad seculari rem judicem nequeat haberi recursus , ad Summum Pontificiem , cui in persona B. Petri terreni simul , & cœlestis Imperij jura Deus ipse commisit.* Et in Extravag. Unam sanctam 1. de major. & obed. Bonifacius Papa tacite approbans sententiam D. Bernardi lib. 4. de considerat. ad Eugen. cap. 3. dixit , in sede Petri non solum esse spirituale gladium , sed etiam temporale , ibi : *Sed is quidem pro Ecclesia , ille vero ab Ecclesia exercendus , ille Sacerdotis , is manu Regum , & militum , sed ad nutum , & patientiam Sacerdotis , oportet autem gladium , esse sub gladio.* Atque eodem modo Nicolaus Papa II. in cap. autoritatem 2. 15. quest. 6. Episcopis Galliæ, eorumque defensoribus mandat , ut spirituali simul , & temporali gladio malignos quosdam usque ad recuperationem honorum Ecclesiæ insequantur. Idque ipsum constat ex illo Hieremiaz cap. 1. ibi : *Ecce constitui te hodie super gentes , & regna , ut evellas , & dissipas , adfices , & plantes :* Quæ verba intelligunt ibidem Theologi non solum de jurisdictione spirituali , sed etiam de temporali , & prophano imperio. Idque in Deuteron. cap. 17. significatur , dum Deus Moysi præcepit , quod si in causis ad utramque jurisdictionem pertinentibus difficultas , vel ambiguitas esset , ad summum recurreret Sacerdotem.

10 Hęc spiritualis , sive Pontifica potestas non solum circa spiritualia , verum etiam circa temporalia sequenti ratiocinio evidenter ostenditur. Pontifex ut Christi Vicarius habet omnem potestatem plenam , absolutam , & perfectam , qua Christus degens in terris pollebat sed Christus gaudebat plena , perfectissima , absolutaque potestate non solum circa spiritualia , verum etiam circa

temporalia in universo Orbe : ergò Pontifex ut Christi Vicarius gaudet plena , absolute , perfectissimaque potestate non solum circa spiritualia , verum etiam circa temporalia in universo Orbe. Major suadetur ; tum quia catholicè credi debet , quòd Pontifex Christum repræsentat : & quòd sicut alia ptivilegia , imò excellenriora , ( nempè circa spiritualia ) ei contulit , debuit etiam potestatem circa temporalia , quæ minoris sunt authoritatis , illi communicare , juxta text. in cap. quanto 3. de translat. Episcop. cap. Ut nostrum un. Ut Ecclesiast. benef. sine dimin. Tum , quia Pontifex est Vicarius Christi , & cum eo idem Tribunal constituit , cap. inter corporalia 2. cap. Itet 4. de translat. Episcop. : Tum etiam , quia Christi , & Ecclesia idem est Regnum , & eadem potestas , ut constat ex illo Matth. cap. 16. : quodecumque ligaveris super terram , erit ligatum & in Cœlis : & ex illo Joann. cap. 21. : Pascœ oves meas , ubi Petro , & ejus Successoribus immediate Christus illam tradidit potestatem : tum denique , quia Ecclesia apud omnes SS. PP. est dilecta Christi sponsa , ut habetur Cant. 4. & 5. : Veni de libano sponsa mea : Et neutiquam decet denegari sponsæ , quod in persona sponsi ipsi conceditur , leg. Princeps 31. ff. de legibus . ibi : Augusta autem licet legibus soluta non sit , Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit , quæ & ipse habet ; unum quippe corpus , unamque vocem debent habere sponsus , & sponsa ; quin obstet textus in leg. si Augustæ 57. ff. de legat. 2. pro cuius conciliacione cum d. leg. Princeps 31. consulendus est Primarius noster D. Puga in Acad. de cœfes. legator. cap. 1. numer. 27. & 28.

ii Sed dices : non esse rectam hanc illationem : hoc potuit Christus , quæ homo : ergò & potest Papa , quæ ejus Vicarius : Christus namque , quæ homo sine dubio facultatem habuit faciendi virtute propria miracula , instituendi sacramenta , remittendi sine sacramentis peccata , qua quidem potestate Papam carere certissimum est : ergo similiter non erit recta consequentia : Christus habuit temporalem jurisdictionem : ergo & Papa ut ejus

Vicarius. Verum hæc obijcientes audiendi non sunt; tum quia instituere sacramenta, sine sacramentis condonare peccata, virtute propria miracula patrare, & id genus alia pertinent ad potestatem excellentiæ Christi ut Dei, non ut hominis, & capit is Ecclesiæ; potestas vero circa temporalia convenit Christo ut homini, ad finemque sui principatus deservit: tum quia Vicarius Christi operatur nomine Christi, & nomine proprio miracula patrare non potest, sed solum Christi nomine: nec instituere sacramenta, nec debitum peccati remittere sine sacramentis, quia hoc propriissimum est dominij proprietatis; & non Vicarij alterius nomine operantis: unde quamvis ex potestate circa spiritualia inferatur potestas circa temporalia; ex potestate tamen spirituali, & temporali inefficax est deductio ad potestatem excellentissimam faciendi miracula, instituendi sacramenta, & id generis alia, ut ex Angel. Magistro, Eximio Suarez, & alijs docent Fermonin. *bis quest. 4. num. 2. cum 4. seqq.* & doctissimus Primarius noster Doct. Balboa in cap. 1. de caus. possess. *& propr. num. 74.*

12 Ex quibus omnibus aperte liquet, in supremo Ecclesiæ Antistite dari amplissimam, supremam potestatem, simulque universalem jurisdictionem, non solum circa spiritualia, verum etiam circa temporalia. Ideoque illam attentè animadvertis quidam Anglicus relatus à Glossa verbo: *Papa in Proem. Clementinar. stupore admiratus dixit:*

*Papa stupor est mundi, qui maximè rerum  
nec Deus est, nec homo, quasi neuter inter  
utrumque.*

Verum in assignando modo, quo hæc potestas, seu jurisdictione temporalis resideat penes Summum Pontificem, aliquantulum dissentient Theologi à Jurisprudentiæ Professoribus. Theologi enim existimant potestatem hanc in ipso non residere formaliter, directè, & in actu, sed solum indirectè, in habitu, & in potentia, ut aliquando illam exerceat, quando videlicet expediens sit ad finis supernaturalis affectionem, ad defendenda spiritualia,

52

& Ecclesiastica , sive ad conservandam communem utilitatem , pacificamque fidelium unitatem, ut colligi videtur ex D. Thom. de regimin. princip. lib. 3. cap. 13. Eximio Doctore P. Suarez in defens. fidei lib. 3. cap. 5. per tot. & alijs, quos refert Pereira de man. reg. prælud. 2. num. 4. & D. Solorçan. de jur. ind. lib. 2. cap. 22. num. 19. & cap. 23. num. 50. qui multis ducti fundamentis affirmant in Christi Vicario dari non solum indirectam , verum etiam directam , formaliter , & in actu temporalem potestatem. Suadetut ; quia in Christo Domino fuit talis potestas temporalis in actu , formaliter , & directe : ergo directe , & in actu invenitur etiam in Papa. Consequentia patet ex dictis num. 10. eò quod in Papa sit eadem potestas , quae in Christo residet , & quia idem est Christi , & Pontificis quantum ad gubernacionem dominium, sicut eadem est jurisdictio delegantis , & delegati , cap. Janè 11. de offi. deleg. : Ergo si in Christo est dominium , & potestas temporalis directe , & in actu , in Papa talis potestas temporalis invenietur directe , & in actu : in actu enim fateri necesse est potestatem , quamvis non exerceatur. Aliud namque est potestatem dari in actu , aliud vero dari actum , & exercitium talis potestatis , ut sequentibus patebit exemplis. Magnus Rex noster Philippus V. cum nullam Regiam potestatem exerceat , absurdio est Rex in actu , quamvis pro tunc Regiam potentiam per exercitium non exprimat. Similiter homo dormiens in actu habet intellectum , & potestatem suorum actuum , quamvis in illarum actus somnio sopitus non erumpat : ergo licet Papa frequenter non exerceat temporalem potestatem , illam tamen in actu habet : ideoque responsum Christo Domino dedere Apostoli : *Ecce duo gladij hic* ; quasi esset uterque ad exercitium paratus.

13 Ut autem haec omnia plenius explicemus , admonendi sumus , potestatem aliquam haberi directe , duplicitate posse intelligi. Primo , ita ut talis potestas sit , quod principaliter intenditur , & hoc pacto finis dicitur à Philosophis esse principaliter , & directe intentus ; me-

diū verò ad illius affectionem necessarium indirecte , & minus principaliter attractum. In hoc sensu fatemur , temporalem potestatem indirecte reperi in Papa , sicut & in Deo , & in Christo Domino , cum temporalia non sint , quæ Deus directe , & principaliter intendit ; intentione namque Ecclesia , sicut & Dei , & Christi est bonum æternum , & spirituale , ad quod cætera omnia tamquam minus principalia ordinantur. Secundò dicitur dari unam potestatem directe , & aliam indirecte , quando una potestas communicari intenditur , non vero alia ; quia tamen hæc necessaria est pro alterius exercitio , indirecte , & quasi præter intentionem communicatur ; & in hoc sensu dici nequit , potestatem circa temporalia indirecte residere in Papa , quia Christus Dominus ejus Vicario utramque communicare intendit ; absolute enim suum gregem commisit , suamque tradidit potestatem sine aliqua restrictione illis verbis : *Pasce oves meas* , ut docet P. Suarez in defens. fidei lib. 3. cap. 10. num. 16.

14 Similiter potestas in habitu , & in potentia dicitur , quando non potest executioni mandari , eò quod potentia expedita , & actuata non sit , sed necessario requirit circumstantiarum cumulum , ratione cuius proxime potens ad actum constituatur. Quod vim habet in praesenti , ut colligitur ex Extravag. unam sanctam de major. Obed. in illis verbis : *Mitte gladium tuum in vaginam* : ac si diceret : Pontifex gladium temporale debet habere repositum , & invaginatum ; vibratum vero , & evaginatum , aut cum usu , non nisi urgentissima occurrente necessitate , quando videlicet id expediens sit in ordine ad finem supernaturalem. Hac potestate materiali , & temporali directe , & in actu , omnibus retro sacerdotiis , prout exposcebat necessitas , usus fuit semper Ecclesia , dum Summi Pontifices contra Reges , & Imperatores , aliosque Magnates non solum spiritualem excommunicationis gladium vibrarunt , sed etiam opportune gladium materialem evaginarunt , illosque à suis Regnis , & Imperijs deposituerunt ; sic fecit propter defectum particula-  
lis justitiae Zacharias Pontifex Childericus non tam pro-

Iua iniquitate, quam pro sua inutilitate Regno Francie privans, & Pipinum Caroli Magni Imperatoris Patrem ejus loco substituens, ut habetur *in cap. alias 3. 15. q. 6.* Propter universalis justitiae defectum idem Zacharias Papa Desiderium ultimum Longovardorum Regem Ecclesiastiam persequentem, promissaque non adimplentem, Imperatoris Caroli Magni auxilio, Regno privatum ab illo dejecit, ut constat *ex cap. Adriani 22. dist. 63.* & refertur à Platina *in vita Zachariae*: Eadem causa Innocentius IV. Sanctum Lusitanæ Regem ab administratione Regni depositus, ejusque loco subrogavit ejus Fratrem Ildephonsum III. ut habetur *in cap. grandi 2. de supplena. negl. pralat. in 6.* Pariterque idem Innocentius IV. Gregorio IX. in Concilio Lugdunensi subrogatus Fredericu Imperio, Siciliæ, Apuliaeque Regno jure materno posseditis privavit, ut constat *ex cap. ad Apostolica, 2. de re jud. in 6.* Julius II. Joannem de Ladrid Navarræ Regem, ejusque conjugem schismaticos declaravit, & Regno privavit, illudque donavit Catholico Regi nostro Ferdinando V. ut refert Palacios Rubios *in tract. de just. obtent. & ret. Regni Navarræ 2. p. §. 7.* & Doct. Balboa *bis num. 51.* Felicis recordationis S. Pius V. per suam constitutionem incip. *regnans in excelsis*, Angliae Regnum concessit cuicunque Catholico Principi illud afferenti ab impia tyrannide Elisabethæ Estuardæ. Postea Sixtus V. anno 1588. de Regno Britaniæ, & Angliae Philippum II. Catholicum Regem nostrum investivit, ut refert Bobadilla *lib. 2. politica cap. 17. n. 5.*

15 Nec obstabit, si dicas; si ex facto Pontificum in Reges, & Imperatores temporalis exercita potestas convinceretur, eodem jure demonstraretur Imperatores jure deponendi Pontifices potiri: nam Constantinus in exilium Liberum Papam missit, Justinianus Silverium, Theodoricus Rex Joannem I. in carcerem conjecit, Otto, I. Joannem XII. depositus, & Leonem VIII. substituit, Henricus III. Gregorium VI. de throno ejecit, & Clementem II. ordinavit, ut retulimus in nostra solemni elucubratione *ad tex. in cap. cuncta per mundum 17.9.q.3.num.5.* Non, imquam, obli-

obstat ; tum quia sicut per Ethnicos Imperatores fuerunt Pontifices plurimi vita , & dignitate privati , ita per hæreticos , & schismaticos Imperatores fuerunt in exilium tyranicè damnati. Quo namque jure memorati Imperatores hæc patraverint , ipsi viderint : certo quippe constat , Constantimum , & Theodoricum fuisse Arianos , & Justinianum Euthychianistam , & ita Constantinus injustè Liberum in exilium depulit , ut tradit Athanasius *in epist. ad solitar. vitam agentes.* De Silverio idem expressè tenet Liberatus *in Breviario cap. 22.* Joannem I. injustè fuisse vinculis alligatum à Theodoro Rege Ariano tradidit D. Greg. *lib. 4. dialog. cap. 30.* Ab Ottone autem I. fuit depositus Joannes XII. ; quoniam Imperator quantumcumque Pius , minus tamen rerum Ecclesiastica- rum peritus , zelo Dei inebriatus , & pestis à Joanne XII. introducendæ , sublevandæ Ecclesiae desiderio , illum potuisse deponere existimavit ; quia illius temporis politici Jurisperiti , & aulici Theologi adulazione Imperatoris magis , quam ignorantia cœcutientes , temerè illud potuisse asseverarunt. Henricus III. non depositus Gregorium VI. sed quia certè agnovit fuisse simoniacè electum , illi opportunè potius , quam importunè persuasit , ut Pontificatui renunciaret , eoque sponte cedente fuit Clemens electus , ut refert P. Suarez *in defens. fidei lib. 3. cap. 29. num. 10.* : Tum etiam , quia omnia hæc cum ab Imperatoribus tyranicè in Pontifices fuerint executa sine Ecclesiae consensu , nec populi acceptatione , nec succendentium Imperatorum approbatione , clarè malitiam , & insultiam ostendunt : quæ verò à Pontificibus deponentibus Imperatores , & Reges sunt acta , ab Ecclesia , & succendentibus Pontificibus continuantur , Regesque , & Imperatores ab Ecclesia electi , & eorum Successores universo populi consensu , & acceptatione sine controversia regnant.

16 Ex his non solum perfectam jurisdictionem , sed etiam exercitium temporale deponendi Imperatores , & Reges à Christo Domino stabilitum residere in Papa , Christi Vicario , liquido constat ; sicèt ut prudens non  
de:

**E**debeat remedijs durioribus , & severioribus uti , prius quam mitiora , & faciliora monitionis , & correctionis experimento agnoscat , juxta illud Ovid. lib. 1. Metham.

*Cuncta prius tentanda sunt, sed immedicable vulnus  
ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur.*

Quæ sanè doctrina adeo vera est , ut absolutè negantes in supremo Ecclesiæ capite utriusque clavis potestatem , & exercitum , & quod Imperia , & Regna ad Ecclesia dependent , hæreticos esse , vel saltim hæresi affines non sit dubium , ut expreſſe definitur ab Bonifacio VIII. in Extravag. Unam sanctam 1. de major. & obcd. illis verbis: Qui cumque igitur bute potestati à Deo sic ordinata resistit, Dei ordinationi resistit , nisi due ( sicut Manichæus ) singulare principia , quod falsum , & hæreticum judicamus. Quamobrem judicantes temporalem potestatem aliqualiter à iuprem oAntitrite non dimanare in Manichæismum visibile incidit. Sicut enim Manichæi duos somniabant Deos, alium boni , alium mali causam , unumque ab alio independentem ; ita chymerizantes duas supremas potestates , aliam spiritualem , aliam temporalem , unamque ab alia non dimanantem , duo visibilia prima principia constituunt , quod falsum , & hæreticum Pontifex declarat. Et sanè quod in Christi Vicario non resideat ex jure divino temporalis potestas , & jurisdictione deponendi Reges ex delicto peccaminoso hujus , vel alterius poenæ condigno : & quod in duabus clavibus Petro concessis non significetur alia spiritualium , alia temporalium , sed quod per unam clavem significetur potestas spiritualis , & per aliam scientia , aut discretio , fuit error Calvini , & aliorum Sectariorum merito damnatus in cap. omnes 1. diff. 22. cap. violatores 5. 25. qu-ſt. 1. & validissimis rationibus confutatus ab hæreticorum malleo Eminentissimo Bellarm. tom. 1. contr. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 1. & 9.

17 Ceterum hanc verissimam doctrinam funditus evertere videtur noster Innocentius III. in cap. per generabilem 13. qui filij sint legit. illis in verbis : Insu-

per cum Rex ipse superiorem in temporalibus minime recognoscat; ex quibus aperte probari videtur, Supremos Reges non agnoscere superiorem in temporalibus, & ita in his rebus Summum Pontificem non habere jurisdictionem in Reges, & Imperatores. Sed respondetur, quod ibi agebatur de disparitate inter nobilem virum Regi subjectum, & Regem Galliarum, ut videlicet legitimati fuissent filii Regis, non vero illius Domini de Monte Persulanus: & inter disparitates ponitur illa, quia vir ille quantumvis nobilis in temporalibus superiorem habebat, non ita Rex Galliarum. Præterea in eodem capite dicitur: Non solum in Ecclesiæ patrimonio, verum etiam in alijs regionibus, justis causis inspectis temporalem jurisdictionem exercemus: ergo ex dicto cap. potius colligitur Pontificem gaudere potestate in secularia, & temporalia. Rursus, Rex in temporalibus dicitur superiorem non recognoscere, quia alium pure temporalem dominum non cognoscit; agnoscit tamen Romanum Pontificem, Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia judicare potest; temporalia enim, cum à Deo, vel ejus Vicario reguntur, potius spiritualia, quam temporalia dici debent; eò quod ad supernaturalem finem ordinantur: sicut bona sæcularia, quæ usui Ecclesiæ traduntur, spiritualizantur ratione finis, & pro eodem habentur, ac si essent spiritualia, cap. noverint. 6. 10. quest. 1. Lara de Capellan. lib. 2. cap. 1. ibi: Nam sicut Ecclesia, & Clerici, ita eis datum, seu relictum est in patrimonio, & regimine Ecclesiæ, docet, licet non ita se explicet, D. Gonçal. in not. ad d. cap. per venerabilem 13. num. 8.

18 Ex quibus placide fluit decidendi ratio ad nostrum textum, in cuius specie ideo Pontifex Maximus contra Regem Francorum procedere potuit, quia ipse Pontifex utramque jurisdictionem habet, temporalem in habitu, & potentia, modo quo explicuimus supra num. 13. & 14., & spiritualem in actu; potestque temporalem ad actum reducere, quando id tendit ad finem supernaturalem; cumque Rex Francorum esset fractor pacis,

& juramenti violator , ratione peccati subjectus est actuali jurisdictioni Pontificis. Ob quod communis Doctorum invaluit sententia , ratione peccati ceteros prelatos Ecclesiasticos cognitionem in laicos habere , ut in cap. multi. 18. 2. quest. 1. cap. 1. de offi. ord. : nam peccati periculum justissima reputatur causa , ut temporalis jurisdiction , quam Pontifex habet in habitu , reducatur ad actum , & haec fuit aperta nostri textus sententia , quam probat Augustinus in cap. quo jure 1. dist. 8. Nazianzenus in cap. suscipitis 6. & Nicolaus Papa in cap. quoniam 8. dist. 10. : quibus consonat D. Bernardus lib. 1. de considerat. cap. 6. ibi : Ergo in criminibus , non in possessionibus potestas vestra ; quoniam propter illa , O non propter has accepisti claves Regni Cœlorum , prævaricatores utique exclusuri , non possessores. Idque declarat Bonifacius VIII. in Extravag. Unam sanctam de major. O obed. dum ait , quod qui constitutus est à Deo super gentes , & regna , quando terrena potestas deviavit , illos poterit temporaliter judicare : cum ergo Summus Pontifex super gentes , & regna sit constitutus , & Rex Francorum à recto justitiae tramite diviaret , ideo potuit de illo recte cognoscere , ut cum multis explicat Doctor Balboa hic num. 59.

19 His ergo qualiquali illustratione , Pro ingenij nostri tenuitate , expositis , supereft modo respondere ad argumenta in initio pro dubitandi ratione expensa. Et ad primum num. 3. adductum respondetur , Romanum Pontificem non gaudere aliqua potestate , & jurisdictione , quæ in Christo Domino propriissime non resplendeat ; nec contrarium suadetur ex Luca cap. 12. illis verbis : *Quis me constituit iudicem super vos?* Ex quibus intendebatur probare , Christum caruisse jurisdictione circa sacerdotalia. Nam ex præfatis verbis solùm evincitur , Christum Dominum non assumpisse tunc munus temporalis judicis , non tamen fuisse orbatum potestate , si judicare vellet : ideoque Christus non negavit , sed innuit se à nemine ad hoc munus obeundum fuisse deputatum. Ad ejusdem assumpti probationem ex Joann. cap. 18. *Regnum meum non eft*

*de hoc mundo; respondetur, Christum se non immiscuisse mundano Regno, nec dominia rerum, quæ liberaliter hominibus indulserat, sibi appropriare voluntatis potius, quam potestatis defectu; eo quod humilem vitam, temporalia contemnens, agere destinaverit; nullatenus tamen negavit se esse Regem temporalem, sed solum curavit, genus humanum peccato primi parentis infectum redire, peccatoresque ab æterna morte liberare, juxta illud Joan. cap. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Quare postquam dixit: *Regnum meum non est hoc mundo*, addit: *nunc autem Regnum meum non est hinc*; id est, nunc cum patior, Regnum, quod habeo, voluntarie relinquere volo, sed post consummatam hominum redemptionem, & meam resurrectionem, jam gloriosus, impassibilis, & immortalis omnem mei Regni potestatem, atque usum assumam; & in hoc sensu se esse verum Regem Pilato respondit.

20 Secundo, & quidem facilius, responderi potest, si duo in Christo Domino considerentur tempora: primum ante passionem, & tunc esse Regem, iudicareque recusavit propter humilitatem; quare testimonia negantia Christum esse Regem, loquuntur de hoc tempore. Secundum post Resurrectionem, & tunc verificantur omnia loca dicentia, Christum esse Regem, absolutaque potestate gaudere. Vel tertio dici potest, Christum negare, ejus Regnum esse de hoc mundo, non tamen negare ejus Imperium esse in hoc mundo, & ita non negare, se habere temporale dominium totius orbis; quia cum dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo, solum intendit, & exprimit, quod ejus Regnum nullatenus ortum habet à mundo, nec ab hominibus, nec ab electione populorum, nec jure sanguinis, quæ omnia sunt de hoc mundo; sed quod ejus Regnum est à Deo triplici titulo, scilicet, jure creationis, merito redemptionis, & dono patris, quæ non sunt de his mundanis titulis, sed cœlestibus: Doct. Balboa hic num. 31. Ad Verba Ecclesiæ in hymno Sedulij: Non eripit mortalis,*

*qui Regna dat cœlestia ; respondeo , Christum non venisse ad auferenda regna temporalia , sed ad demanda hominibus cœlestia : quamvis enim erat Rex totius orbis, non tamen hujus , vel illius Regni dominium auferre intendebat ; hoc tamen non aufert à Christo , esse universalem dominum , & totius orbis adhuc in temporalibus Regem : sicut enim Deus , quatenus Deus , est dominus universalis omnium bonorum , ita ut cum domino universalis divino non pugnet particularē dominium creaturarum , ita etiam nec Regnum universale temporale Christi repugnat dominationi particulari Herodis , ideoque ab Ecclesia jure Optimo iniquus Rex imprudentis timoris reprehenditur.*

21 Ad difficultatem deductam ex juribus *num.*  
 3. allatis distinguenter Pontificis , & Imperatoris potestates , respondetur , generaliter verum esse , duas istas potestates regulatiter distinctas esse , & non confundi , sed se juvare , illis tamen juribus non negatur , quod in Romano Pontifice tanquam in supremo universalis Ecclesiæ capite , & mundi Vice-Deo , quod utraque potestas residet , & ab eo tam totius spiritualis jurisdictionis fons , quam temporalis potestatis origo dimanet , ut cum judicaverit expedire , illa utatur . Nec contrarium probat text. *in cap. inter hac 6. 33. q. 2.* : quia in ordine ad causam , de qua ibi agitur , scilicet utrum marito liceret interficere uxorem in adulterio deprehensam ? Optimè respondet Nicolaus Papa , Ecclesiam gladium non habere nisi spiritualem , ut denotet , in Ecclesia non esse gladium ad ferendum , & interficiendum , & etiam ut statuat , potestatem Ecclesiæ non esse Regis , aut Imperialibus legibus subjectam , & ideo non curare de lege Lombardica , nec de alijs permittentibus homicidium in adulterio vindictam . Similiter nec contrarium suadet *textus in cap. quoniam 8. difst. 10.* ; nam ibi idem Nicolaus solum statuit , quod acibus , & distinctis dignitatibus officia utriusque potestatis Christi Dominus discrevit , non vero ipsas potestates ; quia officium potestatis dicitur exercitium potestatis : & ita voluit temporalia per Imperatores , &

Reges exerceri ; spiritualia autem per Episcopos , & Sacerdotes , ut habetur etiam in Extravag. unam sanctam de major. O obed. illis in verbis : Gladius materialis manus Regum , O militum , sed ad nutum , O patientiam Sacerdotis. Eodem modo respondetur ad cap. duo sunt. 10. dist. 96. & ad cap. nos si incompetenter 41. §. sed notandum est. 2. q. 7.

22 Nec item adversatur textus in cap. cum ad verum: 6. dist. 96. quia ibi statuitur , Imperatorem non solum nomen Pontificis sibi non posse appropriare, ( quod numquam in dubium venit ) sed etiam nec ejus jura , & ita se non intronittere in spiritualibus ; at vero Pontifici prescribit , quod nomen Imperatoris non usurpet , jura tamen super Imperium , & Imperatorem retinens , ut ex ipsius textus verbis clare liquet , ibi : *Nec Imperator iuria Pontificatus , nec Pontifex nomen Imperatorium :* non ergo dicit , Pontifex , iura Imperatoris non usurpet , quia Pontifex est supra Imperium , & Imperatorem. Ideo autem nequit Imperator nominari , quia tale nomen alienum est à Pontifica dignitate : nam in tali voce includitur & dominium , & superbia adhuc in conspectu gentium. Hacque ratione Sancti Pontifices pro merito humilitatis se se nominari *servos servorum Dei* successivè passi sunt , ut denotetur , non ut Imperatores , & Dominos , sed ut Christi Vicarios , & fideles spiritualium dispensatores loco Dei illa statuere. Non me latet , quod Papa aliquando Imperator appellatur , ut in cap. Constantinus 14. dist. 96. & Princeps Principum mundi alias superiorum non recognoscunt , & culmen omnium dignitatum , ut in cap. corpora. 37. de consecr. dist. 1. Sed videndus est D. Gonç. in cap. 2. de judicijs. num. 9. Pariter assertioni nostrae non oblitus text. in cap. solitae 6. de major. O obed. in quo noster Innocentius III. reprehendit Imperatorem II. Constantinopolitanum , eo quod Patriarcham juxta suos pedes sedere faciebat : & similiter respondet ineptæ intelligentiæ verborum D. Petri: *Subditæ estote omni humanae creaturæ :* & concludit , ex divina institutione Sacerdotalem dignitatem præcedere Im-

periali, refertque reverentiam, quam alij Reges Episcopis libenter profitentur, ex quo potius nostra confirmatur conclusio. Deinde *in eodem cap.* Innocentius tribuit Papæ autoritatem, Imperatori vero potestatem, Papæ jus faciendi, Imperatori actum, & exercitium; tamen ex hoc non sequitur, quod temporalis jurisdictionis Imperialis ab spirituali, & temporali Papæ non dependeat. Sicut licet in coelo duo videantur luminaria magna distincta; luna tamen à sole lumen mutuatur, & ideo in *d. cap. solita 6.* : dicitur : *Quanta est inter solem, & lunam, tanta est inter Papam, & Imperatoram differentia.* Quod crudite convicit Valençuel. *monit. contra Venetos 4. p. num. 178.* ubi concludit, quod Christus translatis omnimodam potestatem in Petrum, & Successores etiam quoad temporalium administrationem: attamen ut Sacerdotes divinis ex corde vacarent, & Pontifex saluti animalium intenderet, permissa est Imperatoribus, & Regibus temporalium administratio *cap. 6. dist. 96.*

23 Deinde assertionem nostram non infringit consideratio *d. n. 3. in fin.* proposita; nam respondet, potestatem spiritualem, & temporalem solum diversificari ratione materiae; quia materia spiritualis ex aequo apparet à temporali diversa, non vero ex parte potestatis, quæ eadem realiter esse potest, ut in Deo, & Christo Domino liquet, & probatur ex eo, quod juxta Philosophum. *2. politior. effectus* debet sapere naturam sui efficiens; sed juxta Apostol. ad Roman. *cap. 13. Non est potestas nisi a Deo :* ergo Deus est efficiens potestatis: unde cum in Deo sit una realiter, & indivisibilis potestas ad spiritualia, & saecularia, in ejus Vicario, (in quo residet omnis Dei potestas, quapropter Deus vivens in terris nuncupatur) debet similiter una, & eadem potestas reperiri circaspiritualia, & saecularia. Potestas enim in Ecclesia duplex est, ut recte notat Doct. Balboa in *c. p. 2. b. tit. num. 3.* alia ordinis, alia jurisdictionis, vel administrationis. Potestas ordinis est, quæ respicit Corpus Christi verum, potestas jurisdictionis, vel administrationis, quæ respicit Corpus Christi mysticum. Potestas

ordinis est una , & eadem in omnibus Sacerdotibus , & non plurificatur ratione subjectorum , in quibus residet , quia omnes offerunt in persona unius Sacerdotis , Christi scilicet , de quo verba consecrationis à diversis Sacerdotibus prolata verificantur , non verò de persona ministro , rum. Est etiam idem corpus oblatum ; non enim per unum Sacerdotem ponitur unum Christi corpus , & per alium aliud , sed idem realiter Corpus Christi à verbis consecrationis cuja libet Sacerdotis per transubstantiationem sub diversis speciebus collocatur. Potestas etiam jurisdictionis , vel administrationis tam circa spiritualia , quam circa sacerdotalia est eadem respectu corporis Christi mystici ; nam omnes fideles tam Ecclesiastici , quam sacerulares componunt idem , non diversum mysticum Christi Corpus , cum triplici inter se ordine , videlicet , cum ordine , quo clericī ordinantur ad clericos , quo laici ordinantur ad clericos , & quo laici ordinantur ad laicos , quæ propriè corporalis , aut temporalis ordinatio dicitur ; quia tamen omnes istæ ordinationes respiciunt idem Corpus Christi mysticum , debent in eadem unius Christi Vicarij potestate residere. Constat ergo potestatem spiritualem , & corporalem unam , eamdemque esse solum cum diversitate materiae , in qua exercetur , quæ non valet potestates ita diversificare , ut inter se quasi naturali incompatibilitatis pugna repugnare videantur.

24 Quibus praædictis jam non obstat Matth. caput 22. illis verbis : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari , &c. Nam respondeo , quod Pharisaï Religionis pallio induiti cum factoribus , & Protectoribus Cæsarei tributi accesserunt ad Christum interrogantes , an liceret tributum solvere Cæsari ? Ea tamen intentione , ut si negative responsum præberet , contra Christum causam inimicitiae cum Cæsare testibus comprobarent , ideoque Christus dixit : Ut quid me tentatis hypocritæ . Postea vero accepit numismata census , & respiciens imaginem , & Cæsaris Circumscriptionem dixit : Cujus est imago , & circumscriptionis ? Responderunt , Cæsaris : reddite ergo ( concludit ) quæ sunt Cæsaris Cæsari , ac si diceret : hoc non est yes :

vestrum , sed Cæsaris , unicuique tribuite , quod suum est , restituite imaginem suo prototypo , & animam , quæ Dei est , Deo ; in quo tamen nec resolvit tributa solvere , nec impedit solutionem census , sed solum quamdam naturalem restitutionem commendat , in quo nullatenus utramque potestatem diversam esse innuere videtur : aliter respondet P. Suarez in defens. fidei lib. 3. cap. 9. num. 7. Ad illud vero , quod dicebamus ex Apost. 2. ad Timoth. cap. 2. *Nemo militans Deo impliet se negotijs sæcularibus* , facile respondeatur , dicens , quod negotium sæculare non dicitur gubernatio politica , maxime quando ad finem supernaturalem ordinatur , ideoque nec Episcopis , nec Clericis prohibetur . Negotium sæculare dicitur emptio , venditio , & alij contractus usurarij , & lucrativi , qui ex se dirigi non possunt ad finem supernaturalem ; quamvis enim finis supernaturalis non intenderetur , omnia illa essent necessaria ad vitæ conservationem , & ambitionis humanae commodum , ut dicitur per tot. dñst. 88. & in cap. 1. Ne Cleri , vel Monach. Itaque quod prohibit Apostolus , solum est , quod in sæculari negotiatione commercij se Ecclesiastici intromittant , ut liberè possint Deo vacare ; at vero eos , qui in dæcione civili , & administratione juris ex officio , inservient , Deo servire , & multum spiritualis fructus affere non est , qui dubitet , ajente Apostolo 1. ad Corinth. cap. 6. : *Nescitis quoniam Angelos judicavimus? Quantò magis sæcularia?* Quod expendit noster Innocentius in cap. per venerabilem 13. circa fin. vers. Paulus etiam ; qui filij sint legit. in quo non negotium sæculare , sed spirituale exercere judicamus , quippè Deo militant , & proximorum saluti.

25 Ad difficultatem num. 4. deductam ex nostro textu respondeo , quod Pontifex ibi dixit , quod ratione peccati , vel juramenti est sine controversia certum , ad ipsius spectare judicium id , super quod tunc judicabatur , ut patet ex illis verbis: *Sed decernere de peccato , cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura.* Deinde , ut singulariter notat D. Solorzanus tom. 2. de jur. Ind. lib. 2. cap. 13.

num. 172: Pontifex non dicit, quod non poterat, sed  
 quod non intendebat judicare de feudo; quia cognitio,  
 & jurisdictio feudi regulariter domino relinquitur, etiam si  
 contra personas Ecclesiasticas agatur, *cap. ceterum 5.b. tit.*  
*cap. extrammissa 6. cum seq. de for. comp.* & ideo quilibet  
 ab altero feudum recognoscens, etiam si sit Imperator, vel  
 Rex, super feudalibus controversijs debet judicari à di-  
 recto domino feudi. Hacque ratione in nostro textu Regi  
 Galliæ domino feudi Pontifex usurparet aperte jurisdictio-  
 nem, si de feudo cognoscere intenderet, licet cum ipso  
 Rege quæstio, & controversia moveretur: quamvis enim  
 Rex Angliæ, qui ex adversa parte litigabat, superiorem  
 pariter, ac ipse Rex Galliæ non recognosceret, nihilomi-  
 nus consideratur in eo qualitas inferior respectu feudi,  
 cuius ratione tanquam vassallus se gerere debet; hoc est,  
 quamvis ut Rex Angliæ minimè Regi Galliæ subjectus esse  
 posset, tamen ut Comes Pictaviensis ipsum tanquam feudi  
 dominum superiorem agnoscerre inconveniens non erat;  
 nam ex hoc Rex nullatenus suam amittit dignitatem, &  
 excellentiam; siquidem Rex feudatarius solum obligatur  
 ad præstanta servitia his, à quibus feendum accipit, non  
 quæ Rex, sed quæ vassallus, quin sibi, neque regno præ-  
 judicet quoad plenitudinem regiæ potestatis, ut exemplo  
 Clerici, & Episcopi feudatarij tradunt Canonistæ *in dict.*  
*cap. 5. b. tit.* Nec timeri valet ad effectum, ut talis cognitio  
 auferri debeat Regi Galliæ, quod adversus pacem, &  
 concordiam juramento firmatam processisse proponatur, ac  
 proinde præsumptionem legitimam contra se habere, ut  
 minimè ab eo recta administratio justitiæ sperari possit;  
 nam si hoc contingere, & justitiam Regi Angliæ exhibere  
 contempserit, ut conjectari potest ex eo, quod Rex parvi  
 habuisset juris jurandi religionem, qua pacis foedera firma-  
 verat; tunc Pontifex competens erit Judex, quia publi-  
 cum animarum periculum tunc immineret; faciliè enim in-  
 ter predicta duo regna cruenta bella exardescere propter  
 injustitiam valerent; quapropter simili in casu injustitiae,  
 omissionis, & negligentiae Regis, remanet præservata Pon-  
 tificis potestas, ut damno occurtere possit.

26 Ad ejusdem difficultatis confirmationem ex cap. causam 7. qui filij sint legit. dico, quod attenta consideratione Pontificis in possessionibus, ex quibus nullum majus emolumentum Ecclesiae acrescet, recte docuit pertinere ad Regem, non ad Ecclesiam: magis namque expediens erat a Rege fieri judicium de talibus possessionibus, quia Rex causam agnoverat, quam a Pontifice, qui illius causa ferè notitiam non habebat, & ita dixit: *Nos attendentes quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare:* & quia Pontifex non utitur gladio temporali, nisi in bonum commune, & aliqua existente causa ibi autem nulla apparebat. Quare D. Bernardus lib. 1. de considerat. ad Eugen. cap. 6. absolutè docuit, in criminibus, non in possessionibus Pontificem potestatem habere; nam hec infirma, & terrena sunt Regibus terræ relinquenda: quia licet Pontifex absolute posset, magis illi congruit, ut per alios possessionis executioni mandetur, & ideo subdit D. Bernardus: *Non quia indigni vos, sed quia indignum talibus insisteremus: quippe potioribus occupatis.* Ex quo patet, quod non negatur judicium possessionis Pontifici ex defectu potestatis, sed ex utilitate materiae.

27 Ad illud Pauli ad Roman. cap. 13. ubi jubet omnem animam debere esse subjectam sublimioribus, respondeo, quod ibi tantum præcipit Christianis, ad quos scribit, ut obedient Principibus sacerdotibus, etiam Ethnicis, ne peccent, nam Principes non incutunt timorem boni operis, sed mali, quare dicit Paulus: *Vis non timere potestatem? Fac bonum.* Ulterius illud dictum Pauli retorqueri potest contra adversarios. Paulus enim inibi dicit, omnem animam subditam esse potestati sublimiori; sed Romani Pontifices sunt sublimiores, & digniores Regibus, & Imperatoribus: ergo Reges, & Imperatores subduntur Romanis Pontificibus, non è contra. Ita ex allegato loco intulit D. Bernardus Epist. 138. ad Conradum Imperatorem electum, mellitus alloquens: *Regis Conradi Imperatoris electi dedecus, regni ve diminutionem nunquam volui, volentes edidit anima mea. Legi quippe, omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit, O qui potestati resistit, Dei or-*

ditioni resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, O omnibus modis custodire in exhibenda reverentia summa, Apostolicae Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo vestro servari imperio. Alter citatum Pauli locum interpretatur Doct. Balboa in cap. 2. h. tit. pum. 99. & Dom. Gonçal. in cap. 8. eod. tit. num. 11. circa fin. Quod autem num. 6. dicebamus de appellatione Pauli ad Cæfarem, nihil refert; non enim valet illatio. Paulus appellavit ad Cæfarem: ergo erat illi subjectus, cum ideo ad eum appellaverit, quia is unicè erat Superior Festi, à quo Paulus appellabat, maximè cum Cæsar esset gentilis, & non admitteret jus Christi; undè si Paulus coram ipso allegasset, illud, vel irrisiōnibus exposuisset, vel adidisset stimulos validiores persecutoribus suis, & Evangelij. Sicut ergo, potestas, quam Christus asseruit Pilato, non erat potestas juris, sed facti, quæ omnes Tyranni prædicti sunt, & de qua Lucæ cap. 22. idem Christus dixerat: Hæc est hora vestra, O potestas tenetiarum; ita similiter in præsenti.

28 Rursus assertioni nostræ non obſiſtit caput 17. Matth.; quia licet Christus omnium habeat plenum, perfectissimumque dominium, tributum tamen Imperatori solvit, nè in scandalum inducerentur ignorantes, ut habetur in cap. jam nunc 8. 28. quæſt. 1. Quod facere potuit, quia solvere tributum, est indicium, non verò probatio inferioritatis, & Christus Dominus plurima humilitatis in exemplum nobis apposuit testimonia, ut cum tyrannicè cogeretur Ecclesia quæ libera est, tributum solvens serva videretur. Nec refragantur text. in cap. si tributum 27. 11. quæſt. 1. cap. tributum 22. 23. quæſt. 8. pro quorum intelligentia scire opportet: quod bona tam Ecclesiarum, quam Clericorum etiam patrimonialia, quæ, antequam in eorum manus transirent, vigore alicujus paeti, vel contractus erant aliquo onere reali, & quidem certò, & invariabili gravata, tranſeunt ad Ecclesiās, vel Clericos cum onere suo. Ratio est, quia res transit cum suo onere, cap. ex literis 5. de pignorib. & ex alia parte favor religionis, & causæ piæ non potest inverttere ordinem justitiæ, & privare alios jure, quod habent prius adquisitum super talibus bonis ex pacto, vel contractu præ-

cedente. Ita docet Doct. Balboa *in cap. 2. b. tit. num. 104.* & *105.* Et hac doctrina retenta facile explicabis præfata jura; ibi enim, ut placet Eminent. Turrecremat. *in dd. can.* sermo habetur de agris, vel bonis Ecclesiæ, quæ prius gravata erant aliquo hujusmodi onere reali, à quo, ut diximus, non eximuntur ex eo, quod postea Ecclesiastica fiant. Quæ solutio pariter applicanda est *cap. sanctum 25. 23. quest. 8.* & *cap. 1. de censib. in fin.* si forte objectentur. Vel potes etiam dicere, Ambrosium, & Urbanum locutos potius fuisse de facto, quam de jure, aptantes sermonem usui suorum temporum, quibus ad vitanda scandalia, & majora pericula, quæ Ecclesiæ imminabant, non utebatur Ecclesia tota immunitate, qua nunc fruitur, & qua de jure frui debet.

*29* Ad factum Salomonis, de quo *lib. 3. Reg. cap. 2.* respondent Card Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pontific. cap. ult.* & Eximus Doct. P. Suarez *in defens. Fidei. lib. 3. cap. 26.* potestatem Sacerdotij in Lege veteri non fuisse spiritualem, sed temporalem. Et si fateamur etiam in Lege veteri ordinem Sacerdotij esse regali potestate majorem, facile etiam dici potest, Salomonem non tanquam Regem, sed tanquam executorem Divinæ Justitiae deposuisse Sacerdotem. Nec tandem obstat text. *in cap. nos si incompetenter 41. 2. quest. 7.* nam Imperator non jurisdictione propria potuit judicare Pontificem, sed quia ipse Pontifex humilitatis causa se subjecit Imperatori, forsam ad removendam suspicionem, & scandulum scandalum, ut *in cap. in synodo 23. dist. 73.* Et eodem modo intelligas velim text. *in cap. satagendum 10. 25. quest. 1.* in illis verbis: *Obsequium confessionis nostra Legibus, & Regibus ministremus: quibus etiam nos esse subditos Sacra Scriptura præcipiunt.* Circa quam partem vindenda sunt, quæ diximus in nostra solemni elucubratione *ad text. in cap. cuncta per mundum 17. 9. quest. 3. numer. 29.* & *30.* quibus jam absolutis, licet pro tenuitate nostra parum discussis, elucubrationi huic finem imponimus.

\*\*\*

AD

*1. fol. 56v. lib. 1.  
Dr. 1. cap. 6. n. 143.*

69

# A D

## TEXTUM SORTE OBLATUM

*IN CAP. MAJORES 3. DE BAPTISMO,  
ET EJUS EFFECTU*

## EXTEMPORANEA ELUCUBRATIO

ELABORATA INTRA METAS XXIV. HORARUM

## A D<sup>OCT.</sup> D. DOMINICO

NICOLAO ESCOLANO,

JURIS CANONICI PUBLICO PROFESSORE:

Quæ ijsdem verbis, eodemque ornatu, quo  
ex suggesto sine ullo lapsu, relapsuvè ab  
ipso fuit recitata in Maximo Salmantino  
Lycæo. Die 14. Octob. Anno 1720.  
nunc primum in lucem  
prodit.

**I** NTER plures epistolas Decretales Pon-  
tificum, quas nobis hesterna fors  
obtulit, fecit quoque eam offerri,  
quam diù hic exponere cupiebam,  
& ad ejus expositionem vos ( Au-  
ditores clarissimi ) maximè intentos  
desidero; est enim, si quæ alia in  
universo Jure Canonico, satis celebris.  
Ea igitur est Innocentij III. Decretalis epistola, quæ refertur

*In cap. Majores 3. de Baptismo, & ejus effectu; cuius seriem audite, ut ex ea postmodum jus defensandum desumere liceat. In primis ergo Pontifex inquit, majores Ecclesiae causas, præsertim, quæ ad articulos fidei expectant, ad Sedem Apostolicam deferendas esse, quia soli Petro, & ejus Successoribus data est à Christo Domino potestas regendi universalem Ecclesiam. Postea dicit, Baptismum successisse Circumcisioni; comparatque illa verbas Gen. cap. 17. : *Masculus, cuius preputij caro circumcisâ non fuerit, delebitur anima ejus de Populo suo*, cum illis verbis Joannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Cœlorum.* Insuper addit, plus conferre nunc Baptismum, quam olim Circumcisionem: quoniam (verba sunt Innocentij) *Etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad Regnum Cœlorum, quod usquæ ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: Sed per Sacramentum Baptismi culpa remittitur, & ad Regnum Cœlorum pervenitur.* Deinde declarat, Sacramentum Baptismi utiliter conferri parvulis, licet nec actu credant, nec actu intelligent, nec actu diligent; nam illa verba Jacob. cap. 5. *Charitas operit multitudinem peccatorum, & Lucæ cap. 5. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, non nisi de adultis intelligi debent.* Nam licet parvulis fides, gratia, & charitas, aliæquæ virtutes infundantur, quo ad habitum, non tamen infunduntur, quo ad usum, donec perveniant ad ætatem adultam, usumvè rationis.*

I Ex qua textus serie, & specie conclusio, quæ ab Interpretibus deduci solet, hæc est. *Sacramentum Baptismi utiliter confertur parvulis, licet non credant, nec intelligent, & remittitur eis peccatum originale.* Quam conclusionem probant, & illustrant textus *in cap. per baptismum 2. cap. firmissime 3. cap. quod autem 5. cum 4. seqq. de consecrat. dist. 4. cap. parvuli 138. cap. nulla 142. cap. quis autem 144. cap. placuit 153. cum alijs sed. dist. 4. de consecrat. cap. firmissime 3. 15. quæst. 1. cap.*

cap. ad limina 7. 30. quest. 1. Ex Concilijs comprobant  
Concil. Milevit. can. 2. Concil. Gerundense can. 5. Bra-  
char. 1. can. 7. Viennense in Clement. 1. de Summ. Tri-  
nit. Concil. Trident. Sess. 5. de peccato origin. cap. 4. &  
Sess. 7. de baptismo can. 12. cum 2. seqq. Exornant ultra  
congestos à Barbos. in collect. ad nostrum textum à num.  
3. Castro adversus hæreses, verbo Baptismus. Diana part.  
3. tract. 4. resolut. 8. Bellarm. tom. 2. centrov. lib. 1.  
de Baptismo cap. 9. Bonacina de sacrament. disp. 2. quest.  
2. punct. 6. num. 1. Eximus Suarez tom. 3. de Sacra-  
ment. disp. 28. sect. 1. Gregorius de Valentia part. 4.  
tract. 1. de Baptism. quest. 3. P. Vazquez 3. part. in 3.  
disp. 154. cap. 1. & 2. Nuño, & Aragon ad D. Thomam  
3. part. quest. 68. art. 9. pluresque alij relati à  
Doct. Graña in praesenti num. 1. & à D. Gonçal. num.  
4. circa fin.

2 Verum licet hæc nostra conclusio , utpote  
fidei catholicæ consona , aperto jure , & ita multorum  
etiam magni nominis DD. autoritate suffulta sit ; nihiloi-  
minus eam impugnare contendunt hæretici , affirmantes  
parvulos incapaces esse Sacramenti baptismi , in cuius  
confirmationem sequentia proferunt fundamenta. Parvuli  
recenter nati capaces non sunt suscipiendi Sacramentum  
baptismi : ergo minus recte deciditur in prima nostra  
conclusionis parte. Antecedens probatur ex eo ; nam ad  
valorem Sacramenti baptismi necessariò requiritur , ut qui  
illud recipit , eliceat saltem actum attritionis , & doloris  
de peccatis commissis , cum proposito servandi mandata  
Dei , & legem Christi , juxta illud Act. Apostol. cap. 2.  
pœnitentiam agite , ut baptizetur unusquisque vestrum :  
& firmat Tertullianus lib. de baptismo cap. 20. Ibi : In-  
gressurus baptismum , orationibus , jejunijs , & cum con-  
fessione omnium retro delictorum. Ob quam rationem  
Joannes Christi Præcursor prædicans pœnitentiam præpa-  
ravit homines ad baptismum Christi suscipiendum ; sed  
parvuli pœnitere nesciunt : ergo baptismi suscipiendi  
capaces non sunt. Augetur , & fulcitur eadem difficultas  
*Ex Matth. cap. uit. ibi : Docete omnes gentes & baptizan-*

*tes eos in nomine Patris, &c. & ex Marc. cap. ult. ibi:  
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Ex  
quibus authoritatibus aperte probatur juxta Christi Do-  
mini institutionem, & voluntatem, eos tantum esse ca-  
paces baptismi, & salutis, qui sunt capaces doctrinæ,  
& fidei; hæc enim præmittenda esse ante baptismum  
Christus præcepit; at qui parvuli ante usum rationis in  
capaces sunt doctrinæ, & fidei: igitur cum parvuli  
nec doceri, nec instrui in fide possint, nec baptizari  
valebunt; non enim potest fieri, ut corpus baptismi  
recipiat Sacramentum, nisi antea anima fidei suscepere  
veritatem.*

3. Augetur insuper, & illustratur idem assump-  
tum difficultatis ex eo, quod baptismum est Sacra-  
mentum fidei, ut constat ex *cap. firmissimè 3. 15. quæst.  
I. cap. nihil 76. de consecr. dist. 4. cap. fin. de presbyt.  
non baptiz.* Concil. Trid. *de justificat. Sess. 6. cap. 7.* &  
constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis,  
ut legitur in *cap. verus 150. de consecr. dist. 4.* & me-  
ritò, nam per baptismum fidem Christi solemniter profi-  
temur, eique incorporamur, & in eo regeneramur: un-  
de expostulat fidem in suscipiente, ut ait Apolitoius ad  
Roman. cap. 10. *Corde creditur ad justiciam, ore autem  
confessio fit ad salutem;* sed parvuli non habent, fidem,  
quæ consistit in credentium voluntate, ut inquit D. Au-  
gustinus *super Joann. cap. 69. art. 1.* nec corde credunt,  
nec ore confitentur: ergo parvuli baptizari non possunt.  
Nec satisfacie huic difficultati, si dicas, quod licet  
parvuli fidem non habeant, possunt tamen salvari in fi-  
de parentum, hancque fidem sufficere eis ad baptismum  
suscipiendum. Nam parentes quandoque sunt infideles, &  
sic magis per eorum infidelitatem damnarentur: ergo  
dicendum videtur, quod parvuli recenter nati non pos-  
sunt Sacramentum baptismi suscipere. Rursus eadem du-  
bitandi ratio robur accipit ex eo; nam ad Sacramentum  
baptismi validè suscipiendum requiritur ex parte recipien-  
tis, quod habeat intentionem, & voluntatem forma-  
lem, aut virtualem, seu interpretativam suscipiendi Sa-  
cra-

cramentum , ut probat noster textus in §. item quartitur fin. & docent D. Bonaventura *dist.* 4. *arr.* 2. *quest.* 1. Durandus *ibidem quest.* 7. Silvester in verbo : *Baptismus* 4. *quest.* 1. *Præceptor Angelicus* in 3. *part.* *quest.* 68. *art.* 7. *in corp.* & alij , quos refert Prosp. Fagnan. *in nostro text. num.* 68. *cum seq.*; atqui parvuli hujusmodi intentionem , seu voluntatem habere non possunt , cum non habeant usum liberi arbitrij , & omnia , quæ videntur , ignorent , *leg. fin. ff. de jur.* & *fact. ignor. leg. si plures* 12. *ff. rem pupill. salvam.* Furiosoque æquiparentur , *leg. cum Prator* 12. §. *non autem 2. ff. de Judiciis,* §. *pupillus* 9. *Inst. de inutil. stipulat.* ubi Arnold. Vinnius *num.* 3. : ergo ex defectu voluntatis , seu intentionis parvuli Sacramenti baptismi incapaces censerit debent.

4. Præterea eadem nostræ assertionis pars difficultis etiam redditur ex eo , quod baptisatus est stipulatio bona conscientiæ , ut constat ex D. Petro *epist. 1. cap.* 3. & ex Tertullian. *de Spectaculis* , ubi docet in baptismo sese hominem Deo per sponsionem obligare : & de *fuga in persecutione cap. 12.* ibi : *Apud inferos emancipatio nostra est , & stipulatio nostra in Cœlis.* Unde Ecclesia baptizandum super præcipuis fidei nostræ articulis interrogat , illiusque publicam professionem ab eo exigit ; sed infantes stipulari , aut promittere non possunt , *leg. 1. in pr. leg. 70. ff. de verb. oblig. d. §. pupillus* 9. *Inst. de inutil. stipul.* : ergo nec baptizari. Fulcitur hæc difficultas ex text. *in cap. baptizandos* 58. *de consecrat. dist.* 4. ubi ex Concilio Laodicensi *cap. 46.* docetur , baptizandos oportere prius dicere fidei symbolum ; sed Infantes illud recitare nequeunt : igitur nec baptizari possunt. Quibus omnibus accedit sequens consideratio : qualibet Christi Domini actio , nostra debet esse instructio , *cap. significasti 4. de elect.* & *electi potest;* sed Christus Dominus cum esset annorum 30. fuit baptizatus , ut constat *Luce cap. 3.* ubi Evangelista narrat baptismum Christi contigisse anno 15. Imperij Tiberij Cæsarialis , quando ipse Jesus erat incipiens quasi anno-

rum 30., & probat Baronius *in apparatu*, & tom. I.  
anno 31. & 34. num. 61.: ergo & omnes in ea ætate  
ad ejus exemplum baptizari debent, consequenterque  
non recte Innocentius III. in nostro textu decidit parvu-  
lis baptismum utiliter conferri posse.

5 Secunda dubitandi ratio militabit adversus illam  
partem nostri textus, in qua indistinctè affirmatur, par-  
vulis baptismum conferri posse; contra quam sic argui  
potest. Et si filijs fidelium; & qui adhuc Sacramentum  
baptismi non suscepserunt, baptismus utiliter conferatur,  
non item filijs fidelium jam baptizatorum, vel quorum  
alter saltem fidelis est: ergo minus recte noster Pontifex  
indistinctè assertit posse parvulis baptismum conferri. Ante-  
cedens probatur: eatenus baptismus utiliter fidelium filijs  
conferri posset, quatenus baptismo indigerent, ut eis  
peccatum originale remitteretur; atqui fidelium filij bap-  
tismo non egent ad hujusmodi peccati remissionem, cum  
peccatum originale non habeant: ergo filijs parentum  
fidelium inutiliter baptismus confertur, contra quod cau-  
tum est ab Innocentio III. in secunda nostræ assertionis  
parte. Major est certa, minor vero probatur sic: nam  
certum utriusque juris principium est, neminem posse in  
alium transferre, quod in se non habet, *leg. nemo plus 54 ff. de  
regul. jur. cap. nemo 79. eod. tit. in 6. cum vulgat.* Sed parentes  
fideles non habent peccatum originale, quod possint in filios  
transferre, cum per baptismum jam sit abolitum: ergo filij  
fidelium peccatum originale non habent, consequente-  
que non indigent baptismum. Assumptum difficultatis miri-  
ficè confirmatur ex illo *Geneseos cap. 17.* ubi Dominus  
ad Abraham dicit: *Statuam pactum meum inter me, &  
te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis,  
foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, & semen tui  
post te.* Ex qua sacri textus autoritate aperte liquet, fi-  
lios fidelium non propriè per baptismum, sed per istam  
promissionem divinam iustificari, hoc ipso, quod sint  
filii fidelium, atque ideo semen Abrahæ. Id quod ex-  
pressius suadetur ex *Paul. I. ad Corinth. cap. 7.* in illis  
verbis: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem,*

**O** sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: quibus verbis non obscurè probatur, filios fidelium sanctos esse, atque ita sine baptismo justificari, & quidem quamvis alter tantum parentum fidelis fuerit: ergo filij fidelium non indigent baptismum, ac per consequens falsum est, parvulis indistincte baptismum posse utiliter conferri.

**6** Tertiò, & ultimò dubia, difficilisque redduntur nostri textu decisio, ubi in ultima ejus parte statuitur, baptismum esse remedium simpliciter necessarium, ut parvulis peccatum originale remittatur; contra quam partem sic argumentor. Illud dicitur medium simpliciter necessarium ad assecutionem alicujus finis: sine quo finis ipse consequi nequit; sed gratia, & vita æterna, quæ est finis baptismi, aliundè quam per Sacramentum baptismi, consequi valet: ergo baptismus non est medium simpliciter necessarium parvulis ad remissionem peccati originalis. Assumptum difficultatis suadetur ex eo, quod adultri, & si Sacramentum baptismi non suscipiant, possunt tamen per fidem, charitatem, & veram poenitentiam salvari cum solo voto baptismi, vel explicito, vel saltem implicito, ut docet Doctor Angelic. 3. part. quest. 69. art. 2. ad 2.: ergo baptismus, quamvis sit causa efficax gratiae, non est simpliciter necessarius ad gratiam assequendam. Augetur difficultas; nam parvuli, cum interdum baptizari nequeant, poterunt absdubio salvari per fidem parentum, sicut ante institutum baptismum in lege naturæ salvi fiebant, ut constat ex cap. quod autem 5. cap. illud. 7. de consecrat. dist. 4. illis verbis: Creditur prodeesse parvulo fides eorum, à quibus consecrandus offeritur: tenet D. Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 9. & Eximus Doct. P. Suarez tom. 3. de Sacrament. disp. 5. sett. 1. Et sanè in lege veteri post institutam circumcisionem parvulos, qui ante octavum diem non poterant circumcidiri, posse per protestationem fidei parentum in Christum venturum salvos fieri, docet Exim. Doctor ubi nuper, §. ante pen. cum seq.: ergo nè fides illa

dicatur majoris virtutis, quam fides Christiutorum credentium Christum jam venisse, dicendum est, baptismum non esse simpliciter necessarium parvulis; alias enim carerent hoc remedio necessario ad salutem, quod dici nequit, ut potè repugnans Dei providentiaz, & bonitati, qui Paulo testante 1. ad Timoth. cap. 1. ¶ 2. vult omnes homines salvos fieri: ergò baptismus non est medium simpliciter necessarium ad hoc, ut parvuli remissionem peccati originalis consequi valeant.

7 Confirmatur utriusque difficultatis assumptum ex textu *in cap. debitum 4. hoc tit.* ubi idem noster Innocentius III. docet, decedentem cum voto baptismi protinus ad patriam cœlestem evolare per Sacramenti fidem, & si non propter fidei Sacramentum, id est propter fidem, & votum Sacramenti, quamvis re ipsa non suscipiat Sacramentum fidei, ut est baptismus, *cap. firmissime 3. cauf. 15. queſt. 1.* cum alijs congestis *supra num. 3.* Id ipsum clarius ostendit idem Innocentius III. *in cap. veniens 3. de Presbyter. non baptiz.* ibi: *Nam cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur proculdubio membrum Christi,* ¶ *qui Christum habet per fidem, si baptismum non habeat, habet utique fundamentum.* Unde in Concil. Trident. *Sess. 6. de justificat. cap. 4.* definitum est, in lavacro regenerationis, aut ejus voto impium justificari. Quod & in voto Sacramenti poenitentiaz locum habet juxta idem Tridentin. *Sess. 14. cap. 4.*: ergò absque baptismo re ipsa suscepto possunt parvuli sola Sacramenti fide ad indulgentiam peccati originalis pervenire. Neque vim, & efficaciam hujus dubitandi rationis enervat, quod dicitur *in cap. Apostolicam 2. de Presbyter. non baptiz.* ubi pro eo, qui sine baptismo in re suscepto, & si cum ejus voto decedat, jubetur preces, hostiasque Deo offerri: quod sane ostendit, non fuisse ab omni poenæ reatu per fidem baptismi liberum, neque per votum baptismi in Regnum Cœleste convolasse.

8 Hoc, inquam, non enervat superiorem difficultatem; nam ideo preces, & sacrificia offerri jubentur, non

non quidem ut significetur, decedentem cu[m] solo voto baptismi in Cœlum non migrasse, sed quia illi multis modis prodeſſe poterant, quamvis in Cœlis exiſtat; tūm ad gratiarum actionem, cap. tempus 23. cauſ. 13. quaſt. 2. tūm ad gloriam accidentalem, quæ potest contingere beatis, ut dicitur Lucæ cap. 15. gaudium esse Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente: tūm etiam ad vivorum solatium, & recommendationem mysterij redēptionis, ut docet D. Thomas in 4. diſt. 12. quaſt. 2. art. 1. tūm denique, ut, ſi forte per aliquod tempus in purgatō extiterit, proſit illi ad ſatisfactionem pro pœna temporali, argumento textus in diſt. cap. tempus 23. 13. quaſt. 2. ut eleganter tradit magnus Praeſes Covarrub. in cap. alma ma-ter. 1. part. §. 5. num. fin. ergo ex eo quod in diſt. cap. Apostolicam 2. preces, & suffragia fundi Deo pro deceden-tibus ſolo baptismi deſiderio præcipiatur, minimè infer-tur, votum baptismi fuſcipiendi non ſufficere ad aſsequen-dam originalis peccati remiſſionem: ergo quia baptismus non eſt medium ad tale remiſſionem ſimpliciter neceſſarium. Quod denique probatur ex eo, quod per marty-rium pro Christo fuſcepturnon ſolum ſalvantur adulti, cap. baptiſmi 34. cap. Cathecumenum 37. de Conſecrat. diſt. 4. ſed etiam parvuli, imò & qui una cum matre in utero materno occiduntur odio Christianæ Religionis, ut docent D. Thomas 2. 2. quaſt. 12. art. 4. Navari. lib. 3. conſil. ult. de baptiſm. Eximius Suarez tom. 3. de Sacram. diſp. 29. ſect. 1. & alij communiter: ergo baptismus non eſt medium par-vulſ ſimpliciter neceſſarium, conſequenterque corruit de-ciſio noſtri textus quoad omnes ejus partes.

9. Quibus dubitandi rationibus minime refragan-tibus veriſiſima eſt Innocentij III. deſicio, cuius priuſquam genuinam, & congruentem rationem decidendi tradamus, quædam obſervatione digna operæ pretium præmonenda duximus. Et quidem primò præmonendum eſt, quemlibet hominem in ſtu viæ capacem eſſe baptismi fuſcipiendi, cum Christus Dominus dixerit apud Matth. cap. ult. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos. Et de adultis quidem nulla eſt diſſiſtua, cum ſicut ad doſtrinam Evangelicam

audiendum, sic etiam ad suscipiendum baptismum sint idonei : de infantibus vero rationis usum nondum assecutis negant Anabaptistæ, qui ut refert Eminentissimus doctrina æquè ac pura Cardinal. Bellarm. lib. I. de baptism. cap. 8. ) contendunt, non nisi adultis conferendum esse baptismum; ideoque infantes jam baptizatos , cum ad ætatem adultam perveniunt, iterum rebaptizant: contra quos fides Catholica docet , parvulos nondum rationis usum assecutos, sive à parentibus Catholicis , sive ab hereticis , aut infidelibus prognati sint , baptismi suscipiendi esse capaces.

10 Probatur hæc Catholica veritas , primò ex verbis Christi Domini apud Matth. cap. 19. vers. 24. *Sinite parvulos , & nolite eos prohibere venire ad me ; talium enim est Regnum Cœlorum :* ergò parvuli gratiam, & Regnum Cœlorum consequendi per baptisum capaces sunt. Neque hujus sacri textus vim facile effugiunt hæretici, dum respondent , Christum Dominum ibi non loqui de infantibus, sed de pueris jam usum rationis habentibus, cum infantes non possint venire ad Christum , sed portari. Nam hoc effagium manifestè refellitur ex Luca cap. 18. in illis verbis : *Afferebant autem ad illum , & infantes , ut illos tangeret ;* quibus aperte significatur , Christum Dominum loqui de infantibus , qui ab alijs portabantur. Secundò probatur eadem veritas ex transitu maris rubri , qui fuit figura baptismi secundum Apost. I. ad Corinth. cap. 10. sed in illo transitu non solum adulti , verum etiam parvuli salvati sunt: ergò parvulus particeps esse potest gratiæ Christi , quæ per baptismum confertur . Tertiò ex illo Joan. cap. 3. ibi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei :* quibus utique verbis tam adulti , quam parvuli comprehenduntur, ut docent communiter Ecclesiæ Patres , affirmantes , parvulos sine baptismo realiter suscepto , aut martyrio nequam Cœlum ingredi posse. Quod etiam totius Ecclesiæ Catholicæ consuetudo firmavit , quæ traditione Apostolorum

rum edocta semper parvulos baptizavit , & baptizandos esse decrevit in remedium peccati originalis. Quartò deinde eadem assertio hac evidenti ratione ostenditur vera; nam baptismus necessarius est omnibus habentibus peccatum originale juxta D. Joann. *dict. cap. 3.* sed parvuli ex Adam nascendo contrahunt originale peccatum : ergò si sunt capaces originalis peccati , debent etiam esse capaces remedij , seu justitiae , & regenerationis in Christo : aliàs enim plus prodebet culpa , quam gratia , contra sententiam Apostoli ad Roman. *cap. 5.* dicentis: *Si unius delicto* (hoc est Adæ) *mors regnavit per unum , multò magis abundantiam gratiae , & donationis , & justitiae accipientes , invit a regnabunt per unum Iesum Christum.*

11 Hæc Catholica veritas diversis Conciliorum decretis confirmata etiam appareat. Tum ex Concil. Milevitano *can. 2.* ubi habetur: *Placuit , ut quicumque parvulos recenter ab uteris matrum baptizandos negat , anathema sit.* Tum ex Concil. Viennensi generali sub Clemente V. in *Clem. 1. de Summ. Trinit.* Tum etiam ex Trident. *Sess. 7. de Baptism. can. 12.* cum 2. seq. & *Sess. 5. de peccat. origin. cap. 1.* ubi eadem veritas definita est. Sanctorum Pattum etiam concors sententia est apprimè hanc Catholicam veritatem defensantium, ut videre licet apud D. Ambrosium, Cyprianum, Augustinum, & alios SS Patres, quos congerit D. Gonçal. in *præsenti num. 4. circa fin.* Ex quibus liquido appetet, parvulos recenter natos baptismi suscipiendi capaces esse , atque eis esse simpliciter necessarium ad salutem , id est , ad gratiam , & vitam æternam consequendam.

12 Sed hanc Catholicam doctrinam labefactare intendunt Pelagianistæ , qui (ut refert D. August. *lib. 3. de peccator. merit. cap. 6.* & *de heresib. heresi 88.*) asserebant, Parvulos nullum ex primo parente peccatum contrahere: mortem , & alios ejusmodi defectus fuisse ipsis in prima creatione naturales: hominesque tales post Adami peccatum nasci, quales ante ipsius peccatum nati fuissent: adeoque peccatum illud Adami humano generi obfuisse , non Propagatione , sed exemplo , quatenus immitati sunt eum

omnes, qui postea peccaverunt. Huic Pelagianorum errori postea subscripsent Albigenes, Anabaptistæ, & alij, qui videri possunt apud Eminent. Bellatmin. lib. 4. de baptism. cap. 2.

13 Verum refellitur hic error, & opposita veritas probatur primò ex Scriptura; nam Apostolus ad Roman. cap. 5. inquit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Probatur secundò ex eo; quia si omnis, qui carnaliter gignitur, peccati originalis damnationem ex ipsa carnali conceptione non contraheret; ad quid, quæso, suam conceptionem deploraret Regius Propheta in Psalmo 50. dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea;* quæ verba de peccato originali explicat D. August. in narratione in ipsum Psalm. Idem probatur auctoritate Concilij Arausic. 2. can. 2. & Concil. Trident. seff. 5. can. 2. in quibus definitum fuit, per primi hominis inobedientiam, non tantum mortem, & poenas, corporis, sed etiam peccatum (quod est mors animæ) in omne genus humanum transiisse. Deinde ex D. Cypriano lib. 3. epist. 8. ad Fidum: *Infans (inquit) recens natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Id ipsum constat ex D. Ambrosio lib. de apologia David, cap. 11. Adhæc, pro eadem Catholica doctrina denique facit, quod baptismus ex Christi institutione, & præcepto necessarius est, non solum adultis, sed etiam infantibus, ut è potestate Dæmonis eripiantur, & remissionem peccati percipient, ut diximus supra num. 10. & patet ex orationibus, quas baptismi Sacramento Ecclesia præmittit: at baptismus non conferitur infantibus in remissionem peccatorum actualium, quæ committere non potuerunt, & ob quæ in potestate Dæmonis esse dici non possunt: ergo baptismus datur illis in remissionem alicuius peccati, quod à primo parente contraxerunt. Ex quibus omnibus istorum hæreticorum error aperte manet convictus.

14 Verum ut hæc Catholica doctrina clarius eluci-

cescat, eorum referam fundamenta, & ea solum, quae aliquam videntur ingerere difficultatem, proponam. Primum deducunt ex natura, & peccati conditione, etenim juxta D. Augustini doctrinam *in cap. merito 1. 15. quest. 1.* necesse est ad rationem peccati, ut sit voluntarium, seu ut a libero voluntatis consensu, & delinquentis arbitrio procedat: at posteri Adae voluntatem ad peccatum non praestiterunt, cum tempore prævaricationis nondum fuissent progeniti: aliunde nec mandatum dederunt: nec ratum habuerunt: ergo in posteros Adae peccatum originale non potuit aliquo modo traduci. Secundum fundamentum desumunt ex eo, quod filii non imputantur peccata parentum juxta illud Ezechiel. *cap. 18. vers. 20.* ibi: *Filius non portabit iniuriam patris; nec pater iniuriam filij;* quia cum homo in se ipso est, ab eo, qui genuit eum, alter effectus, peccato alterius sine sua confessione non tenetur obnoxius, ut utar verbis D. Augustini relati a Gratiano *in cap. jam itaque 8. 1. quest. 4.* unde crimen, vel poenam paternam nullam maculam filiis infligere posse, cavyetur *in cap. crimen 6. ead. caus.* Et quest. cui consonat text. *in leg. 2. §. in filiis 2. ¶ §. nullum 7. ff. de Decurion.* ibi: *Nullum patris delictum innocentis filio pena esse debet.* Et ratio est; quia cum culpa personalis sit, suos tantum debet tenere autores, ut constat *ex dict. cap. crimen 6. 1. quest. 4.* in illis verbis: *Nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur:* quæ verba defumpsit Gratianus *ex leg. crimen 26. ff. de penis;* & merito; nam quis locus innocentiae relinquitur, si alienum crimen maculat nescientem, ut exclamat D. Augustinus *Epist. 48. ad Vicentium in cap. quis locus 2. 1. quest. 4.* igitur omnino a juris, & aequitatis ratione alienum est, parvulos primi parentis peccato puniri posse, consequenterque non recte assertuimus, baptisum esse parvulis simpliciter necessarium ad expiandum peccatum ex naturæ necessitate contractum.

*15* Porro ut clarius, & efficacius hæc objectio solvatur, & hereticorum error refellatur. prius explicare oportet, qualiter peccatum originale a primo nostro pa-

rente in ejus posteris derivetur. Pro cuius pleniori , plau-  
niorique intelligentia observandum est , post creationem  
cæterarum omnium rerum, quæ ad mundi constitutionem,  
& ornatum spectant , sex diebus factam, ipsomet sexto die  
Adamum à Deo creatum fuisse , constat ex Genes. cap. 1.  
&c in creatione gratiam sanctificantem ab ipso Deo acce-  
pisse, sive eam post creationem à Deo accepterit, sive (quod  
probabilius videtur) in ea creatus fuerit juxta illud Eccles.  
cap. 7. ibi : *Fecit Deus hominem rectum*; atqui non potuisset  
esse rectus sine gratia ; quia passim in Scriptura rectitudi-  
nis nomine denotatur gratia , & sanctitas , Job cap. 1. ibi;  
*Erat vir simplex , & rectus.* Item Ephes. cap. 7. ibi : *Reno-  
vamini spiritu mentis vestrae: & induite novum hominem,*  
*qui secundum Deum creatus est in justitia , & sanctitate;*  
quibus verbis significat Apostolus, nos per Christi Domini  
merita renovari ad eam justitiam , & sanctitatem , in qua  
initio conditi sumus. Id ipsum probatur ex Concil. Trident.  
*Jeff. 5. de peccat. orig. cap. 1.* illis in verbis : *sanc*t*itatem, &  
justitiam , in qua constitutus fuerat ;* quæ utique verba non  
obscure denotant , Adamum justum factum; in quo  
statu permanxit , donec per prævaricationem , & transgres-  
sionem, præcepit nè de ligno vitæ comederet, eam ammisit,  
& iram , atque indignationem Dei promeruit ; quo facto  
commissum fuit peccatum, quod originale dicitur, ut notat  
Doct. Graña *bic num. 4.*

16 Deinde observandum est ; primum parentem  
non sibi soli justitiam originalem à Deo accepisse , sed  
etiam suis posteris; id est , gratiam accepit ea conditione,  
ut si non peccasset , illam in posteros transfanderet. Id ex  
fide certum est, ut patet ex doctrina , & definitione Con-  
cilij Trident. *dict. Jeff. 5. can. 2.* ubi anathema dicitur ei, qui  
asserit , Adæ prævaricationem sibi soli , & non ejus propa-  
gini nocuisse , & illum , acceptam à Deo sanctitatem ; &  
justitiam , quam perdidit sibi soli , & non etiam nobis per-  
didisse: hanc autem ille nobis perdere non potuisset , nisi  
eam nobis transfundendam accepisset , cum privatio habi-  
tum præsupponat , cap. ad dissolvendum 13. de despensat.  
*impuber. leg. nam & si 5. ff. de injust. irrit. testam.* Illud  
de-

Denique observandum etiam est , Adamum per suam prævaricationem non tantum sibi nocuisse , sed etiam posteris suis , ut expressè definitum habetur in Concil. Trid. diet. sess. 5. can. 2. ipsosque proinde simul cum illo per primum ejus peccatum amisisse originalem justitiam , ejusque dotes omnes , mortemque , ac ærumnas varias corporis , & animæ incurrisse ; quia gratia illa fuit Adamo donata hac lege , & conditione , ut per inobedientiam non solum sibi , sed ejus posteris etiam prejudicaret . Quod nemini mirum videri debet , tūm quia , sicut alias permisum est Principi privilegium concedenti , modum , seu conditionem adjicere , ut ea non servata , privilegium ad libitum revocetur argum. text. in cap. 4. de cond. apposit. leg. 1. O<sup>r</sup> 3. Cod. de donat. que sub modo : ita petuit Deus gratiam elargiri ea conditione , ut unius peccato intercideret . Tūm etiam , quia sicut gratia illa fuit singularis in hoc , quod ex unius persona successionis propagine diffundi posset , cum alias justitia patris filio non perficiat , cap. si baptizata 132. vers. Et quamvis , de consecrat. dist. 4. ita etiam ejusdem peccato amitti potuit ; nam ex qua persona quis lucrum capit , ex ea damnum sentire potest , leg. ex qua persona 149. ff. de regnl. jur.

17 His præmissis observationibus , jam patet facilis responsio ad difficultatem *suprà num. 14. expensam*; fatemur enim ad rationem peccati , & ut propriè peccatum dici possit , necessariò requiri , quod sit voluntarium , seu quod propria delinquentis voluntate commitatur juxta D. August. in lib. de *Vera Relig.* cap. 14. at negamus Adæ peccatum non fuisse à posteris commissum propria eorum voluntate , licet non phisicè propria , saltim propria moraliter ; eo quod in Adamo ut Principe , & capite totius humani generis omnium ejus posterorum voluntates quodammodo continebantur ; non secus ac subditorum voluntates in Principis voluntate continentur . Quod ut facile percipi valeat , sciendum est , Adamum fuisse à Deo constitutum caput morale hominum , id est , ex decreto Dei voluntates posterorum fuisse positas in voluntate Adami , ita ut quod vellet Adamus in ordine ad aliquod opus , posteri mora-

liter velle censerentur; nám cum Deus sit perfectissimè Dominus nostrarum voluntatum , & actionum , potest voluntates unius , vel plurium alligare voluntati alterius in ordine ad aliquem effectum , ita ut quod alter velit , velle censeantur & illi , quorum voluntates sunt transfusa. Quod exemplis moralibus aperte confirmatur: quando quis vices suas alteri committit , transfundit suam in alterius voluntatem, ita ut censeatur moraliter velle, quod alter physicè vult: ita contrahitur matrimonium per procuratorem : ita in spiritualibus Christus Dominus transtulit suam voluntatem in Sacramentorum ministros. Deinde non solum ego, sed etiam alius potest meam in alterius voluntatem transfundere: ita Respublica transfert voluntatem pupilli in voluntatem tutoris : & capita Reipublicæ , quando emittunt votum jejunandi in tali die , transferunt in suam , voluntatem civium non solum præsentium , sed etiam futurorum. Cum ergo voluntates posteriorum essent transfusa in voluntatem Adæ in ordine ad peccatum , stat , quòd peccatum fuerit à posteris moraliter commissum , & licet non per physicam transgressionem , neque per inobedientiam physicè ab illis elicita , fuit tamen commissum per moralem transgressionem , & per inobedientiam moraliter ab ipsis elicita; itaque peccatum originale dicitur voluntarium, voluntate physicè aliena , & moraliter propria : unde cessant jura , & fundamenta in contrarium expensa.

18 Secundò responderi potest , argumentum procedere in peccatis actualibus , in quibus verum est voluntatem desiderari , quia propria actione , & consensu committuntur , ut constat ex nostro textu vers. *Verum: ideoque peccata parentum filijs non nocent;* at in peccato originali aliter observatur, quod absque consenui contrahitur , & derivatur in posteros omnes , quia omnis caro , quæ ex Adamo provenit , prima ipsius prævaricatione fuit maculata: quare necessarium fuit Sacramentum fidei , hoc est, baptismus , ut amissam Dei gratiam omnes recuperarent. Neque obstabit , si urgeas dicendo , quòd peccatum originale poenitentia Adæ fuit expiatum , ut probatur ex Sapientiæ cap. 10. ibi : *Eduxit illum a delicto suo.* Qui locus (ut

Cum *ibidem* notat Nicolaus de Lyra) agit de Adamo, ex eoque liquet Adamum poenitentiam egisse peccati, ut docet Card. Bellarm. *de ammissione gratiae*, lib. 3. cap. 12. ergo sicut Adæ prævaricatio nocuit posteris, ita ejus poenitentia prodesse debuit argumento à contrario ex reg. text. in leg. *ex qua persona* 149. ff. *de reg. jur.* : & consequenter peccatum illud non potuit in posteros traduci, cum jam esset abolitum ipsius Adæ poenitentia. Non, inquam, hoc officit, nam respondetur, peccatum ex Adamo in posteros traduci potuisse, & similiter gratiam, si non peccasset, sed illius poenitentia proprium tantum peccatum suisse abolitum, non posteriorum; quia hæc lex non fuit data à Deo circa poenitentiam, & reconciliationem, hoc est, ut alij, quam poenitenti prodefficeret autem data circa traductionem, & amissionem primivæ gratiæ; siquidem ex dono Dei pendet (M) gratiam clargiri, & modum imponere amissioni, & restitutio-  
(M)  
Hæc di-  
centi fig-  
num de-  
dit cære-  
moniarū  
Magis-  
ter.  
ni, ut colligitur ex Apostol. *ad Roman.* cap. 5. dum inquit, unius delictum in omnes diffundi, sed unius gratia non reconciliari, nisi per eam gratiam, quam promeruit Christus mediator. Hinc oportuit gratiam illam applicari omnibus per Sacramentum baptismi, sine quo nullus ad originalium indulgentiam pervenire potest, ut ajebat D. Augustinus *lib. 3. de anima*, cap. 2. & definitum est in Concil. Trident. *Seff. 5. can. 2.*

19 Unde obiter venit rejiciendus Emin. Cardin. Cajetanus vir alias apprimè doctus, ad 3. part. *D. Thoma*, *quaest. 68. art. 2.* ubi affirmat, parvulos jam natos sine baptismo, aut martyrio, si facultas illos baptizandi non suppetat, posse nihilominus salvare per votum, & fidem parentum; & in *art. 12.* tenet, simile votum, & fidem parentum proficere parvulis, qui in uteris maternis moriuntur, si quolibet religioso signo externo, v.g. signo crucis, vel alio simili cum invocatione Trinitatis Deo offerantur. Hæc, inquam, Cajetani sententia aperte repugnat superiori nostræ Catholicæ assertioni, & illius veritatis fundamentis à nobis hucusque traditis: ideoque hanc Cajetani opinionem plerique gravissimi

DD. nota hæresis damnat, ut damnarunt Soto *in 4. disp.*  
*5. quæst. un. art. 2.* & Alphonsus de Castro *lib. 3. de*  
*hæresib.* verbo : *Baptismus hæresi* 9. alij autem erroris,  
& temeritatis nota dignam appellant, ut Catherineus *contra*  
*Cajetanum*, Vega *in Tridentin.* cap. ult. & eruditissi-  
mus P. Vazquez, qui *in 3. part. disp. 151. cap. 3. in*  
*princip.* recte notat, quod quamvis verum sit, Deum  
posse id facere sine baptismo, cum non habeat poten-  
tiam suam Sacramentis alligatam, si tamen non constet  
peculiari revelatione, illud cum aliquo fuisse factum, te-  
merarium esset dicere, salvare posse contra legem com-  
munem. Quapropter Cajetani opinio jussu Sanctissimi Pij  
V. expuncta est à Commentarijs D. Thomæ in editione  
Romana, ut tradit Eximus Doct. P. Suarez *in 3. part.*  
*de Sacrament.* *disp. 27. sect. 3.* qui præfatam opinionem  
solidissimis rationibus, & fundamentis refutat, & nos-  
gram ab objectionibus vindicat.

20 Ex eadem Catholica doctrina infertur, bap-  
tismum non minus esse necessarium filiis à parentibus  
fidelibus, seu jam baptizatis prognatis, quam filiis, qui  
ex infidelibus nascuntur; tum quia omnes homines na-  
scuntur in peccato originali, & filii iræ, ut ait Aposto-  
lus *ad Ephes.* cap. 2. & *ad Rom.* cap. 5. quare indigent  
incorporari Christo, ejusque caræctere insigniti: tum  
etiam, quia omnia testimonia suprà adducta generalia  
sunt, ut universus Ecclesiæ usus declarat, expressèque  
definivit Concilium Trident. *Sess. 5. can. 4.* & ostendit  
D. Augustinus *in cap. si baptizata* 132. cap. *regenerante*  
136. *de consecrat.* *disp. 4.* dicens, quod licet parentibus  
sit remissum peccatum originale, nihilominus per eorum  
carnalem generationem transfunditur peccatum originale  
in filios; nam eos non generant, ut Sancti, sed ut filii  
Adæ. Ex quibus constat quam falsò, & irrationaliter  
Calvinus *lib. 4. institut.* cap. 26. sect. 24. & 25. & alij  
noviores hæretici tenuerint, non oriri in peccato origi-  
nali filios fidelium, vel quorum alter saltem fidelis esset,  
quos eleganter, & solidè, de more, coavincunt Cardin.  
Bellarm. *lib. 1. de baptismo*, cap. 4. P. Suarez *dispu-*  
*tat.*

tat. 27. sect. 1. Vazquez disp. 149. cap. 2. & communiter  
Theologi omnes.

21 Neque quidquam pro haereticis facit locus  
Pauli 1. ad Corinth. cap. 7. illis in verbis : *Sanctificatus  
est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctifi-  
cata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filij  
vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ex qui-  
bus probari contendunt, filios fidelium sanctos esse, at-  
que ita etiam sine baptismo salvati posse, & quidem quam-  
vis alter tantum parentum fidelis fuerit. Etenim respon-  
detur cum D. Augustino lib. 3. de peccator. merit. cap.  
12. ex hac sacri textus autoritate deduci non posse filios  
fidelium eò præcisè, quod ex parentibus fidelibus oriun-  
tur, sanctos esse, & mundos à culpa originali sine bap-  
tismo. Quod ex eo manifeste probat, nam ibidem Apo-  
tolus inquit, sanctificari conjugem infidelem, per fide-  
lem ; & tamen non, nisi stultissime quis crederet, con-  
jugem infidelem sine conversione ad Deum, & baptismō  
Christi posse pervenire ad remissionem peccatorum ex eo  
solum, quod adhæret conjugi fidi : ergo similiter in  
nostro casu. Quare sensus verborum Apostoli hic est, filij  
fidelium sancti sunt, quatenus parentum fide, diligentia,  
& exemplo facile posunt sanctificari, & in eodem sensu  
intelligenda est sanctificatio mulieris infidelis per virum  
fidelem. Secundo idem D. Augustinus Serm. 14. de verb.  
Apost. circa finem, & lib. 2. de peccat. merit. cap. 26.  
D. Ambrosius, & Doctor Angelicus in eum locum, &  
alij Sancti PP. exponunt Apostoli verba, ita ut ibi vo-  
centur sancti fidelium filij sanctitate quadam civili, quod  
scilicet legitimi, non spurij sint. Nam cum alter conju-  
gum infidelis esset, dubitari poterat, an legitimū esset  
conjugium propter disparitatem religionis, (de quo ar-  
ticulo tractant Canonistæ in cap. gaudemus 8. de divor-  
tiss, in cuius perdocta relectione omnino videndus est  
Salmaticensis Primarius noster D. Balboa) & respon-  
det Apostolus, ut fidelis infidelem non relinquat, si ille  
vult pacifice cohabitare, neque alteri se matrimonio con-  
jungat; ait enim si quis vestrum oppositum ficeret, filij

vestri ex tali secundo matrimonio immundi , hoc est, spurij , & illigitimi essent , eò quòd potius scortatio, quam conjungium verum foret ; nunc autem dum in pri-  
mo perseveratis , filij , quos inde habetis , sancti , hoc  
est , legitimi sunt. Ecce ergò quomodo sanctificatio , seu  
sanctitas , de qua Apostolus , non excludit necessitatem  
baptismi. Neque huic doctrinæ refragatur , quòd baptis-  
mus maximè videtur esse institutus in remedium peccati  
originalis ; sed ille , qui est baptizatus , cum non habeat  
originale peccatum , non videtur , quod possit illud trans-  
fundere in prolem : ergò filij baptizatorum baptizandi non  
sunt. Etenim respondeatur , quòd quāvis parentibus bap-  
tizatis sit remissum peccatum quoad personalem maculam,  
non tamen quoad communem naturæ defectum ; quare  
per eorum carnalem generationem transfunditur peccatum  
originale in posteros , ut *num. antec. in fin.* diximus.

22 His non inutiliter expositis jam non obstant  
argumenta contra nostram catholicam assertionem ab hæ-  
reticis allegata *supra ex num. 2.* Nam ad primum re-  
spondetur , quod poenitentia solum necessaria est in bap-  
tismo adulorum , de quo agebatur in dictis autoritatibus  
*Act. Apostolor.* & *Tertulliani* , ob peccata actualia,  
quæ commisserunt ; itaque ut gratiam sanctificantem ope  
baptismi , & remissionem omnium criminum , tām pec-  
cati originalis , quām actualium , consequantur , debent  
elicer saltem actum attritionis , & doloris de peccatis  
actualibus commissis : peccatum autem originale non est  
materia poenitentiae , ideoque non desideratur poenitentia  
in eo , qui tantū illud habet. De quibus adultis etiam  
acciendi sunt autoritates *Matth. cap. ult.* & *Marci cap.*  
*ult.* non vero de parvulis ante usum rationis , qui non  
possunt credere , ut docet *Innocentius hic prope fin.* Chris-  
tus enim Dominus *in d. cap. ult.* Apostolos docuit ordi-  
nem , quem servare debeant in conversione gentilium  
adulorum , ut scilicet , prius eos instruerent in fide:  
deinde baptizarent ; postremo docerent servare ejus præ-  
cepta ; qui quidem ordo in parvulis servari non valet  
propter incapacitatem doctrinæ. Ita post D. Thom. Sua-  
rez,

rez , & alios observant *in praesenti* Doct. Graña num. 3: & D. Gonçal. num. 5. Neque obstat, quod baptismus, cum sit Sacramentum fidei , expostulat fidem in suscipiente, unde consequens videbatur , parvulos , qui neque fidem habent , nec corde credunt , neque ore confitentur , non esse capaces baptismi. Nam respondeatur, in adultis fidem propriam desiderari,in parvulis autem fidem alienam,nem-pe Christi , & Ecclesiae ad susceptionem Sacramenti fidei. Ut enim docet Augustinus lib. I. de peccator. merit. cap. 25. (cujus verba extant in cap. mater 139. de consecr. dist. 4.) Mater Ecclesia os maternum parvulis praefat , ut Sacris Mysterijs imbuantur , quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam , nec ore proprio confiteri ad salutem. Indeque provenit , quod pueri, dum baptizantur, censentur credere , proindeque credentium numero adscribuntur ab Ecclesia: *Quis enim nesciat credere esse infantibus baptizari?* Non credere autem non baptizari. Verba sunt Augustini relata in cap. quis autem 144. de consecr. dist. 4. Non item adversatur difficultas num. 3. in fin. proposita; quia procedit in adultis , qui debent habere saltem voluntatem , & intentionem habitualem suscipiendi baptismum , non vero in parvulis , qui ut potè ejusmodi voluntatis expertes , baptizantur in fide parentum.

23 Similiter non refagatur argumentum num. 4. propositum ; nam licet verum sit , tempore baptismi stipulationem intervenire, quandoquidem qui Christianæ militie nomen dat , rogatur , credis ? & respondeat, credo: ut constat ex Concil. Constantinop. cap. 7. & Turonens. cap. 18. tamen cum infantes per se respondere nequeant , susceptores eorum, id est patrini, id faciunt eorum nomine , fidem profitendo , & promittendo. Ceterum in adultis aliter observatur ; cum enim in ijs ad suscipiendum baptismum sit necessaria fides propria, sufficiensque doctrinæ Catholicæ notitia, ut constat ex D. Marc. cap. ult. & Act. cap. 8. ubi Eu-nucho baptismum postulanti S. Philippus respondebit: *Si credis ex toto corde , licet ;* ideo Ecclesia baptizandum super præcipuis fidei nostræ articulis interrogat , illiusque publicam professionem ab eo exigit. De adultis *etiam* acci-

piendus est textus in cap. baptizandos 58. de consecrat. dif<sup>st.</sup> 4.  
juxta veterem ritum recitandi symbolum fidei à Catechumenis , & nomen dandi. Nec favet contrariae sententiae exemplum Christi Domini dict. num. 4. in fin. à nobis c<sup>on</sup>pensum; nam ut recte respondit Nazianç. Sermon in Sanctum lavacrum , non omnia , quæ Christus fecit à nobis eodem modo peragi possunt , aut debent. Deinde , nam Christus Dominus distulit baptismum ad annum trigesimum : tum quia non egebat ipse baptismus: tum quia non erat periculum , né morte præveniretur: tum etiam , quia Christus Dominus circuncisus fuerat in infancia.

24 Ad secundam difficultatem num. 5. propositam jam à nobis responsum est sup. num. 21. Ad locum autem Genes. cap. 17. ex quo inferebat Calvinus , filios fideliūm non propriè per baptismum , sed per Divinam promissionem justificari, hoc ipso quod filij sint fidelium , atque ideo semen Abrahæ: respondetur , quod semen Abrahæ , ad quod illa promissio pertinet , intelligi debet non secundum carnalem nativitatem , sed secundum spiritum , ut docet Apostolus ad Roman. cap. 12. O alibi sape : semen autem secundum spiritum sunt hi , qui vel credunt ipsis , sicut credidit Abraham , vel certè per Sacramentum fidei , id est baptismum , sunt filii promissionis Abrahæ , ut docent Cardinal. Bellarm. lib. 1. de baptismo , cap. 4. Eximius Suarez disput. 27. sect. 1. Vazquez disput. 149 cap. 2. numer. 15. qui alias insuper expositiones ad illum locum trahunt.

25 Deinde nihil detrahit veritati nostræ conclusionis difficultas supra num. 6. O 7. adducta. Cui , ut faciamus satis , dicendum est , adultis esse necessarium baptismum in re , vel saltem in voto , quando scilicet ob necessitatem , vel aliquod impedimentum non possunt opportune illum recipere in re ; tunc enim sufficit illis contritio includens votum baptismi ad remissionem peccati originalis , & primam gratiam obtinendam , ut probatur Ezechiel. cap. 18. ibi : Convertimini ad me , O ego convertar ad vos : O cap. 33. ibi : In quacunque hora ingemuerit peccator , O c. & ex decreto nostri Innocentij III. in cap. Apost.

tolicam 2. de Presbyt. nond. baptiz. & Trident. *seff. 6.* de  
 justificat. *cap. 4.* ubi decretum est, lavacro regenerationis,  
 aut ejus voto impios justificari, hoc est, transferri in adop-  
 tionem filiorum Dei ab eo statu, in quo nascuntur filij  
 iræ; quod novum non est; nam voto etiam Sacramenti  
 poenitentiae contritio informatur, & effectum justificandi  
 habet, juxta idem Trident. *seff. 14. cap. 4.* docent Div. Am-  
 brosius, Bernard. Augustinus, & alij SS. PP. quos refert  
 Henriquez *lib. 2. de baptismo, cap. 1.* qui omnes hoc votum,  
 & desiderium nuncupant baptismum flaminis, qui effectum  
 justificandi operatur, sicut Sacramentum baptismi, *cap. 34.*  
*in princip.* O in §. *conversio de pœnit.* *dist. 1.* & juxta hanc  
 doctrinam intelligendi sunt textus *in cap. 2.* O *3. de Presbyt.*  
*non baptiz.* in quibus habetur, non minus salvare homi-  
 nes Sacramento fidei, quam fide Sacramenti, hoc est voto,  
 & desiderio illius: P *in cap. 4. hoc tit.* ubi Innocentius noster  
 decidit, decedentem cum hac fide Sacramenti ad patriam  
 cœlestem evolare; ea scilicet ratione, quia ut diximus, vo-  
 tum baptismi, & illius flagrans desiderium sufficiens est  
 ad justificationem, & ad obtainendam æternam salutem; ac  
 proinde eadem consequi possunt Catechumeni, qui appe-  
 tentes, & petentes baptismum decedunt cum fide, & chari-  
 tate, quæ efficit filios Dei, *cap. 3.* O *5. de pœnit.* *dist. 2.*  
 Nec tunc oblitat textus *in cap. non dubito 149. vers.* *Sicut*  
 autem, *de consecrat.* *dist. 4.* ubi dicitur bono Catechumeno  
 baptismum deesse ad capessendum Regnum Cœlorum; nam  
 intelligendus est de Catechumeno, qui licet baptismum  
 desideret, illud tamen accipere contemnit, cum possit, ut  
 ibidem notat Turrifcretat; tali enim non prodest votum,  
 quod imperfectum est, *cap. quando 128. de consecr.* *dist. 4.*  
 Quibus sic expositis, facile responderetur ad difficultatem  
 dict. num. 6. propositam; nam ex eo, quod per votum bap-  
 tismi homines justificari valcent, non ideo quidquam de  
 ejus necessitate detrahitur, immo si post veram contritionem,  
 & illius votum haberet potest, adhuc suscipi debet,  
*cap. veniens 3. de Presbyter.* *non baptiz.* Ex quo fit, quod  
 cum parvuli ante rationis usum hoc votum, & deside-  
 riū habere non possint, non aliter salvare possunt, se-


**cundum legem ordinariam ,quàm si eis re ipsa applicetur verum baptismi Sacramentum.**

**26** Neque verò quidquam facit contra nostram assertionem , quod in vi argumenti *suprà num. 6. tradi-*  
*dimus ex cap. quod autem 5. cap. illud 7. de conser. disf. 4.*  
*nempè in lege naturæ parvulos fide sola eorum , à quibus*  
*consecrandi oblati erant , justificari. Etenim respondeatur,*  
*quod & si maximè sola parentum fides satis esset pro jus-*  
*tificatione parvolorum ante Legem Evangelicam , adhuc*  
*tamen hoc non evincit in Lege Gratiae parvulos sola pa-*  
*rentum fide salvati , nam Christus Dominus instituit pro*  
*remedio unico ad salutem baptismum re ipsa susceptum*  
*pro parvulis ante usum rationis decedentibus , ut constat*  
*ex Joann. cap. 3. atque ita absque eo salvati non poterunt.*  
*Neque ex hoc deduci valet , quod fides antiquorum fue-*  
*rit majoris virtutis , circa parvolorum salutem , quàm fides*  
*Christianorum ; nam id non provenit secundum se , & ex*  
*sui natura , sed duntaxat ex institutione Dei , qui voluit*  
*fidem antiquorum professe suis parvulis sine determina-*  
*tione ad certum signum externum , non tamen fidem Chri-*  
*stianorum , instituto jam baptismo in Lege Gratiae , qui de-*  
*determinatur ad ablutionem aquæ , ut post alios considerat*  
*P. Suarez de Sacram. disput. 27. sect. 3. per tot. Nec inde*  
*sequitur , post Legem Evangelicam parvulos deterioris esse*  
*conditionis , quàm parvuli Judæorum , qui in defectum cir-*  
*cumcisionis , quam accipere non poterant ante octavum*  
*diem , aliud habebant remedium ad salutem , nempè fidem*  
*parentum illis applicatam: Tùm quia hodie parvuli instan-*  
*te periculo mortis baptizari possunt quocumque tempore ,*  
*& à quocumque ; non sic in lege veteri , quia necessitas*  
*circumcisionis non urgebat usque ad octavum diem: Tùm*  
*etiam , quia per baptismum re ipsa susceptum datur ubi-*  
*rior gratia parvulis Christianorum , quam quæ dabatur fide*  
*parentum parvulis legis scriptæ , & naturæ: Tùm denique ,*  
*quia istis decedentibus cum baptismo statim Regnum Cœ-*  
*lorum aperiebatur , non vero illis , ut dicitur in nostro*  
*textu vers. *Cautè tamen.* Constat enim in Novo Testamento ,*  
*instituto baptismo , ampliorem per illum patere viam ad*

salutem, quām in veteri, aut in statu naturæ. Sed urgebit aliquis dicendo; quod si parvulis non sufficeret parentum fides, pueri in utero materno periclitantes, & qui diligentia humana baptismum re ipsa suscipere nequeunt, manerent sine remedio sufficienti ad salutem, contra Divinam Providentiam, & Dei bonitatem. Respondeo, quod et si aliquando accidere possit, ut isti parvuli sine salutis remedio decedant, id non provenit ex defectu ipsius baptismi per se considerati, nec quantum est ex parte Dei, qui omne remedium salutis, id est baptismum divinitus præparavit, sed per accidens contingit; atque ita si sine baptismo decedant, justissimè excluduntur à Cœlesti beatitudine propter peccatum originale; non enim extraordinaria, aut miraculosa providentia tenetur Deus illis subvenire. Ita respondent D. August. lib. 2. contra heres Pelagianor. cap. 7. & Eximus Suarez disput. 27. sect. 3. circa fin.

27 Tandem non obstat, quod *suprà num. 8. in fin.* objiciebamus; nam respondendum est, verum esse, infantes occisos in odium fidei unā cum matre, & in utero materno existentes, virtute martyrij, quod baptismus, sanguinis appellatur, consequi salutem speciali Dei privilegio sine baptismo aquæ ex verbis Christi *Matth. cap. 10. vers. 32.* dicentis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego coram patre meo.* Hæc autem confessio non tantum fit verbis, sed etiam facto, & opere, ut de innocentibus iusti Regis Herodis occisis cantat Ecclesia. Unde infantes etiam in uteris maternis existentes capaces sunt Martyrij; nam et si usu rationis, & voluntate careant materialiter tamen morte pro Christo perpesa suscipiunt martyrium, & illis efficaciter prodest ob meritum, & voluntatem Christi. Neque ex hoc sequitur, quod etiam in fide parentum possint salvari sine baptismo aquæ, vel sanguinis; nam martyrium ex speciali Dei privilegio supplet vicem baptismi aquæ, non vero fides parentum. P. Suarez disput. 27. sect. 1. ad fin. quinimò neque baptismus aquæ, quo mulier pregnans baptizatur, filio, qui in utero est, prodesse potest; nam ille baptismus est matris, non filij, quem utpote non natum non attingit, cap. si ad matris 114.

cum duob. seqq. de consecr. dist. 4. cum alijs add. à D. Gonçal.  
 in præsenti num. 7. circa med. sanguinis autem baptismus  
 illum attingit , qui in utero est. Circa quam partem illud  
 observare licet, quod in adultis rationis usum habentibus,  
 ut martyrij fructum recipient , & per illud salutem con-  
 sequantur , exigitur voluntas, id est , quod vulnus volun-  
 tariè acceptent; nam habenti liberam voluntatem nihil Deus  
 deputat ad méritum, vel demeritum, nisi ex morali actione  
 illius. Unde si aliquis fidelis inter dormiendum à Tyrano  
 occidatur in odium fidei , si nullam voluntatem prius ha-  
 buit circa mortem illam , non erit martyr , nec ex illa ali-  
 quem fructum gratiæ , aut remissionem culpæ , vel poenæ  
 consequetur. Sicut alias baptismus dormientibus, & amen-  
 titibus inutiliter confertur , ut constat ex nostro textu, §. fin.  
 ubi nos latè diximus in ejus extemporanea prælectione,  
 nisi forte jam ille fuisset in vinculis retentus, & ante som-  
 nium se ad martyrium præparasset , quippè antecedens vo-  
 luntas , quæ habitu perdurare censetur, sufficiens est, imò  
 & virtualis voluntas suscipiendi martyrium. Ita Eximius  
 Doctor P. Suarez disput. 27. sect. 2. Soto dist. 5. artic. 4.  
 conclus. 3. Henriquez lib. 2. cap. 34. §. 2. apud quos  
 cætera requisita ad verum martyrium  
 necessaria traduntur , &  
 exponuntur.



# ELUCUBRATIO

## A D

*TEXTUM IN CAP. GRATIA I. CAUS. I.*

*Q U A E S T. I.*

**LEO PAPA.**

*Gratia si non gratis datur, vel accipitur gratia non est. Simoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant? Profectò, quod habent: quid autem habent? Spiritum utique mendacij. Quomodo hoc probamus? Quia si spiritus veritatis (testante ipsa veritate, de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio spiritus mendacij esse convincitur, qui non gratis accipitur.*

I  X qua textus litera sequens deducitur illustranda conclusio. *Qui non gratis Sacra-  
menta querunt, gratiam,  
quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non  
accipiunt, nec illam alijs  
dare possunt. Quam probant  
textus in cap. in ordinan-  
do I. cap. non satis 8. cap. nemo 14. cap. ea, quæ 16. cap.  
in tantum 36. cap. sicut 39. de Simonia, ex Gratiam de-  
cre-*

Creto comprobant textus in cap. quicumque 2. cap. quos  
confiterit 6. cap. qui per pecuniam 9. cap. qui studet 11.  
cap. qui perfectionem 17. cap. placuit 22. cum pluribus alijs  
hac ead. caus. O quest. 1. Extravag. cum detestabile de Simon.  
Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 14. quibus de jure  
Regio consonat textus in Leg. 1. O 2. tit. 17. part. 1. Se-  
cunda conclusionis pars firmatur ex cap. Daibertum 24.  
cap. per illicitam 25. 1. quest. 7. cap. quomodo 41. de con-  
secrat. dist. 4. cap. nemo 79. de regul. jur. in 6. leg. nemo 54.  
leg. 120. ff. eod. tit. Illustrant Panorm. in cap. cum in Ecclesiæ 9.  
& in cap. consulere 38. de Simon. Soto de just. O jur.  
lib. 9. quest. 6. artic. 1. Gutierrez. lib. 1. Canon qq. capit. 29.  
Prosper. Fagnan. in cap. cum pridem 4. de paetis, à num. 31.  
P. Pirhing. in lib. 5. Decretal. titul. de Simon. sect. 2. §. 1.  
per tot. Exim. Doct. P. Suarez lib. 4. de Simon. cap. 9. cum  
3. seqq. Angelicus Praeceptor 2.2. quest. 100. art. 1. O seqq.  
Barbos. lib. 1. de Jur. Eccles. cap. 33. num. 199 Duaren. de  
Sacr. Eccles. min. lib. 6. cap. 2. Illustriß. D. Fr. Joannes de  
Montalban Episcopus Plasentinus hujus nostræ Universi-  
tatis, totiusque Dominicana Familia decus, & ornamen-  
tum in Epistol. Pastoral. Epist. 2. de Simon. artic. 1. per tot.  
pluresque aliij, quos refert D. Gonçal. in cap. 1. de Simon.  
num. 9.

2 Sed hæc conclusio, licet tot munita authori-  
tatis luce meridiana pateat clarior, quarundam tamen  
difficultatum nebulis obscurari, & turbari videtur. Et qui-  
dem contra primam nostri textus partem, qua cautum est,  
non esse licitum pro Sacramentorum gratia pecuniam seu  
dare, seu accipere, sic valet argumentari. Pro rebus spi-  
ritualibus, seu pro spirituali gratia Sacramentorum fas est  
pecuniam tum dare, tum etiam accipere: ergo qui non  
gratis Sacramentorum gratiam querunt, illam accipiunt,  
alijsque dare possunt. Antecedens probatur: nam Baptis-  
mus est omnium Sacramentorum janua, ut constat ex cap.  
bi qui 51. O 52. hac ead. caus. O quest. cap. veniens 3.  
de Presbyter. non baptiz. sed aliquando licet baptismum  
pretio recipere: ut quando iniquus Sacerdos puerum jam  
jam morientem absque pretio baptizari nequit, & aliunde  
pater

pater ejus manus , aut linguam non habet , quibus ipsius sumtingere possit , & quamvis habeat , formam tamen baptismi ignorat : tunc enim prudenter se gereret pater , & consequenter absque ullo simoniae crimine , si pecuniam Sacerdoti offerat : ut cum Abbatे , Cajetano , & Soto tenet Prosper . Fagnan . in cap . cum pridem 4 . de paet . num . 83 . & 84 . ergo aliquando fas est pro Sacramentis , eorumque spirituali gratia aliquid temporale offerre . Minor ex eo evidenter probatur ; nam unicuique licitum est jus suum redimere , quando injuste ab aliquo vexatur , uti probant textus in cap . dilectus 27 . de simon . cap . quæsum 4 . caus . 1 . quest . 3 . sed iste parens , qui impotens est ad baptizandum filium , ingentem patitur injuriam , & graviorem parvulus ; quippe cui jus divinum , naturale , & humanum suffragantur , ut ille nequam Sacerdos ipsum baptizare teneatur : ergo licitum erit parenti suo , qui liberi vicem gerit , illam injuriam , & vexationem pretio redimere . Nam cum jura omnia ad animorum salutem referantur , neque ullum aliud misero infanti remedium suppetat , potius est vexatio illa pretio redimenda , quam Infans à Regno Cœlorum in æternum excludendus .

3 Fulcitur , & confirmatur assumptum difficultatis ex eo ; namqui in extrema constitutus necessitate inducit ad mutuandum sibi sub usuris eum , qui sine illis non esset mutuaturus , est liber ab omni peccato , ut docent communiter Canonistæ in cap . 1 . de jure jur . & ibi doctissimus Primarius noster Doct . Balboa num . 104 . & ratio est , quia hoc non est proximum ad peccandum inducere , nec illius peccato cooperari , sed potius propriæ consulere necessitatî , & majus peccatum vitare ; id est , ut potius peccatum usuræ , quam homicidium committat ; hoc enim licitum est , cap . si quod verius 9 . 33 . quest . 2 . & minus malum permittitur , ut majus vitetur , juxta textum in capit . bi , qui 3 . 26 . quest . 2 . : ergo licet etiam parenti ad baptizandum inepto , & in extrema necessitate constituto absque ulla simoniae labe premium pro baptismo offerre sacrilego Sacerdoti , qui aliter

baptizare non vult parvulum in extremis agentem ; con-  
sequenterque sacramenta accipientes pretio , aut aliquo  
munere temporali , illorum effectum consequi poterunt,  
alijsque illum præstare.

4 Cui dubitandi rationi non parum roboris ad-  
dit sequens consideratio. Nam matrimonium est quoddam  
sacramentum gratiæ collativum , ut constat ex *Trid. Sy-  
nod. Seff. 24. de matrim. can. 1.* itaque Cardinalis Tole-  
tus lib. 7. *Summae* , cap. 5. matrimonium definit per hoc;  
quod sit contractus viri , & fœminæ legitimus , quo mu-  
tua corporum potestas traditur , gratiæ spiritualis collati-  
vus ; atqui in contractu matrimonij pretium intervenire  
potest , ita ut eo non soluto matrimonium nullum red-  
datur , ut expressè habetur in cap. de illis 4. de condit.  
apposit. illis in verbis : *Ego te in uxorem accipient , si  
tantum mihi donaveris , reus perjurij non habetur , si  
eam nolentem sibi solvere , quod sibi dari petijt , non ac-  
ceperit in uxorem :* ergò etiam si pretio interveniente sa-  
cramenta accipientur , gratia in illis confertur , illamque  
accipientes alijs præstare poterunt , contra quod assertum  
est in prima nostri textus parte. Nec hujus difficultatis  
nodum facile dissolvet , qui respondeat , quod ideo pro  
contrahendo matrimonio licitum est pecuniam tum dare ,  
tum etiam accipere , quia & si sacramentum sit , per il-  
lud tamen non confertur gratia : ideoque in matrimonio  
non dari simoniam tenuerunt Glossa in cap. cum in Ec-  
clesie 9. de simon. & Durand. in 4. dist. 26. quest. 3.  
Verum hæc evasio falsitatis convincitur ; tum quia con-  
tinet errorem expresse damnatum à Trident. d. Seff. 24.  
can. 1. ubi hæc habentur verba : *Siquis dixerit matri-  
monium non esse verè , & propriè unum ex septem Sa-  
cramentis , à Christo Domino institutum , sed ab homi-  
nibus in Ecclesia inventum , neque gratiam conferre ana-  
tbema sit :* Tum etiam , quia & si sacramentum hoc non  
conferret gratiam , ut falsò supponunt Glossa , & Duran-  
dus , non benè inde infertur , licitam esse ejus vendi-  
tionem , cum alias benedictiones ab Ecclesia institutæ sint ,  
quæ quamvis gratiam non conferant ex opere operato ,

tamen si pretium pro eis detur , committitur simonia, cap.  
*cum in Ecclesiæ 9. cap. suam 28. de simon.* ergo etiam  
si matrimonium non conferret gratiam ex opere operato,  
tamen si esset sacramentum , ut fatentur Glossa , & Du-  
randus , in eo simonia committeretur , quando pro ejus  
celebratione pecunia promittitur.

5 Adauget idem difficultatis assumptum sequens  
consideratio. Consuetudo in causa est , ut quod antea  
illecitum erat , licetè fiat ; qua utique ratione ait D. Au-  
gustinus lib. 22. contra Faustum Manich. cap. 47. plures  
habere uxores , quando mos erat , non fuisse crimen: viget  
etiam apud quosdam consuetudo , ut pro exequijs mor-  
tuorum , seu sepulturis , vel benedictionibus nubentium ,  
vel administratione Sacramentorum , aliquid temporale  
detur , accipiaturque , uti probat text. in cap. ad Aposto-  
tolicam 41. de simon. ubi consuetudo illa tanquam lauda-  
bilis observari jubetur : ergo licitum est pro spirituali  
Sacramentorum gratia temporale aliquid tum dare , tum  
etiam accipere. Quæ illatio non solum est difficilis adver-  
sus primam nostri textus partem , sed difficilior reddi-  
tur , si conferatur cum decisione textus in cap. *cum in*  
*Ecclesiæ 9. eod. tit.* ubi habetur nullam esse consuetudi-  
nem , per quam introductum sit , ut pro universis hu-  
jusmodi actionibus quidquam percipiatur , seu detur. Pro  
quorum jurium conciliatione in eam frequenter itum est  
sententiam , quæ discrimen constituit inter consuetudi-  
nem , quæ initium habuit à gratuitis fidelium oblationi-  
bus ex mera eorum liberalitate ; & inter eam , quæ ex  
necessitate , & exactione originem trahit : priori casu  
consuetudo laudabilis observanda est , ut in dict. cap. ad  
Apostolicam 41. cum non possit in ea considerari aliquo  
modo pretium rei spiritualis , & per consequens simo-  
nia. Secundo vero casu consuetudo ut corruptela damna-  
tur , ut in 4. cap. *cum in Ecclesiæ 9.* cum turpe lucrum  
contineat , sive ex objecto suo , sive ex circunstantijs ; &  
ita nec ejus diuturnitas excusabit dantem & accipientem  
à culpa. Verum hæc solutio , quantumvis in scholis nos-  
tris communiter recepta sit , si verum fari licet , non ple-

nē propositae difficultati satisfacere videtur ex eo, quod etiam is, qui ratione consuetudinis temporale pro spirituali præstat, non id præstat ratione pietatis, & liberalitatis, sed potius necessitatis; ratione videlicet consuetudinis semel jam receptæ, quæ licet ex actibus à principio voluntarijs inducatur, *leg. de quibus 32. ff. de legibus*, tamen transcursu temporis ex ipsa iuris necessitate observari compellitur, juxta text. *in leg. 1. Cod. quæ sit longa consuetudo.*

6 Augetur insuper eadem dubitandi ratio ex eo, quod ordinis est unum ex septem Ecclesiæ sacramentis, cuius primus, & præcipuus effectus est conferre gratiam secundam unā cum auxilijs necessarijs ad rite exercendum munus annexum tali ordini, ut constat ex *Trident. Sess. 23. can. 3.* ita ut contrarium afferens incidat in hæresim, & excommunicationem, ut patet ex *cod. Trident. Sess. 7. can. 8.* & *9.* docet Præceptor meus Dom. Galeote in tract. *Acad. de Sacrament. ordin. art. 5. num. 1.* at qui pro sacramento ordinis, ejusque spirituali gratia licetum est pretium seu dare, seu accipere: ergo non recte Leo Papa in nostro textu affirmat, eos, qui non gratis sacramenta querunt, gratiam, quæ in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipere. Minor probatur; nam sub munere à lingua continentur preces humanæ, supplicationes, intercessiones, & adulaciones, quæ intrinsecè afferunt promissionem favoris temporalis, & humanæ amicitie, quæ sunt pretio æstimabilia, ut docent D. Thomas 2. 2. *quest. 100. art. 5. in corpore.* Eximus Doct. P. Suarez lib. 4. de simonia, cap. 40. num. 1.; sed ordinis collatio precibus facta non est simoniaca, immo fieri potest absque scrupulo simoniacæ pravitatis, ut expressè probant textus *in cap. Latorem 121. cap. filium 122. can. 1. quest. 1.* ubi Gregorius fatetur se precibus suis induxit ad quosdam ordinandos: ergo quia datio rei temporalis pro ordinum collatione illicita non est, & consequenter gratia, quæ in eis operatur, accipitur. Id quod probari etiam videtur ex eo, quod in materia simoniae non minus reprobatur datio, seu acceptio rei tem-

temporalis pro spirituali , quām conventio ; seu conditio juxta *text. in cap. fin. de pact.* ubi latè , & doctè Primarius noster Doct. Balboa ; sed pactio , seu conditio pro ordinum collatione interposita simoniæ labem non inducit : ergò sicut conventio super ordinibus Ecclesiasticis licet absque simoniæ labe fieri potest , pariter datio , seu acceptio rei temporalis pro ejisdem ordinibus conferendis , seu recipiendis licita erit. Minor dísertè probatur ex *cap. nullus 4. de servis non ordin.* ubi si dominus seruo suo libertatem donaverit , ut Episcopus eum in presbyterum ordinaret , si ille , presbyter jam factus , in superbiam elatus pfallere horas Canonicas renuerit , suo domino accusatus apud Episcopum , qui eum ordinavit , in servitutem redigitur. Ex cuius textus hipothesi clarè constat , dominum servum suum manumisisse , ea conditione ut in presbyterum ordinaretur , & obsequium spirituale illi præstaretur , quod si presbyter jam factus non præstiterit , revocatur in servitutem : ergò quia licita est conditio , seu conventio in ordinum collatione absque simoniæ labe : pariter ergò datio , seu acceptio muneric temporalis licita erit , contra quod in prima textus parte affectum est.

7 Id ipsum clariū ostendi potest ex *cap. pertuis 34. de simonia* , ubi proponitur , quod quidam Monachus à Dioceſano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus : sed postmodum didicit , quod licet idem Episcopus , alias vir esset honestus , multoies tamen vitium simoniæ commisserat , propter quod Monachus , renuit , & formidat in Subdiaconatus ordine suscepto ministrare , nec ab ipso simoniaco Episcopo Dioceſano suo superiores ordines suscipere vult . Consultus super hoc Innocentius III. an videlicet ob simoniā , qua affectus erat Episcopus , à quo ordinem recepit , impeditus esset ministrare , nec ne ; respondet Pontifex , quod prædictus Monachus securè , & licet ministraret in ordine suscepto ab antistite simoniaco , sed quia nimis scrupulosus erat , & securitatem conscientiæ suæ dubiam habebat , jubet , ut deponat dubium , & errorem , in quem fuit collapsus , nam alias

securus non erit: & quod superiores ordines suscipie-  
dos præcepit, nè audeat recipere a predicto Episcopo,  
nè quod vult adificare ad gratię augmentum, adificet ad  
gehennam, id est perditionem: ergo quia ordines collati  
ab Episcopo simoniaco validi, & liciti sunt. Nec pro hujus  
difficultatis solutione sufficiet dicere, ideò in d. cap. 34. po-  
tuisse Monachum secure, & licite ministrare, quia cum  
dispensationem ab Innocentio III. impetrasset, virtute dis-  
pensationis omnis malitia, seu labes simoniaci ordinis abo-  
lita fuit; nam huic solutioni resistunt illa textus verba:  
*Nisi deponat errorem.* Ex quibus convincitur, Monachum,  
ex eo quod formidabat, & timebat ministrare in ordine  
suscepto ab Episcopo simoniaco, in errorem suisse lap-  
sum: ergo quia ei licebat ministrare absque Pontificis  
dispensatione; nam si non liceret, timor, & formido  
Monachi non fuisset erronea, sed justa: ergo ex his evin-  
citur ordinem simoniacum per se tribuere jus ministrandi  
in ordine sic suscepto, ac per consequens etiam si pre-  
mium in Sacramentorum perceptione, aut collatione inter-  
fit, ipsa poterunt suum effectum producere, & simonia-  
ci alijs gratiam conferre.

8 Rursus eadem dubitandi ratio vires accipit ex  
sequenti ratiocinio; nam si propter aliquam rationem  
impediretur effectus Sacramentorum, eò vel maximè es-  
set, quia hoc impedimentum se teneret vel ex parte ac-  
cipientis, vel ex parte dantis, id est, ministri conferen-  
tis Sacramentum: hoc autem non obest, quominus  
gratia spiritualis Sacramentorum, etiam pretio interve-  
niente, &c accipiatur, & alijs conferatur: ergo licitum  
est pro Sacrementis, eorumque spirituali gratia pretium  
dare, seu accipere. Minor probatur ex D. Augustino in  
cap. *Si justus 30. 1. quest. 1.* ubi dicitur, quod sive  
bonus, sive malus sit minister, per utrumque effectus gra-  
tiæ confertur: ergo etiam si vitium simonia se teneat ex  
parte ministri, non ideo Sacramentum accipiens carebit  
effectu gratiæ. Id ipsum probari poterit ex eo, quod in  
Sacramentis solùm requiritur, quod veritas subsistat, &  
in illis verba non deficiant, ut virtus eorum præstetur.

Deus

Deus enim sic adest Sacramentis , & verbis suis , ut ubi-  
cumque hæc inveniantur , rata sint Sacra menta , dummo-  
do ab Ecclesiæ forma non discedatur , ut habetur *in cap.*  
*sic autem Deus 32. cap. detrabe 54. ead. caus.* & quæst.  
ergò etiam si pretium interveniat in Sacramentorum  
collatione , aut receptione non obserbit , quin ea suum  
sortiantur effectum . Id quod expressius probatur *ex cap.*  
*neque 36. cap. nonne 37. eadem caus.* & quæst. ubi dicitur ,  
quod Sacra menta Dei fugienda non sunt , à quocumque  
ministrantur : & quod hominum malitia illa nequit pro-  
fanare . Et ratio est , quia efficacia , & valor Sacra men-  
torum non pendet à bonitate , vel malitia ministri confe-  
rentis Sacra menta , sed à principali agente , qui est Christus ,  
qui principaliter in Sacramentis operatur , *cap. Do-*  
*minus 87. §. memento , cap. non nocet 89. d. caus.* &  
quæst. docent Fagnan . *in cap. 1. de baptismo , num. 16. D.*  
*Gonçal.* *in cap. 1. de Cleric. non ordin. num. 8. circa*  
*med. Magister meus in d. tract. de Sacram. ordin. art. 3.*  
*num. 3.* ergò quamvis in Sacramentorum collatione , seu  
receptione , ex parte tam dantis , quam accipientis simo-  
niæ vitium interveniat , non ideo eorum impeditur ef-  
fectus .

9 Tandem , pluribus consultò omissis , reddi-  
tur difficilis eadem pars nostri textus ex eo , quod pro-  
phetia est donum Spiritus Sancti , ut constat *ex cap. pla-*  
*cuit 22. §. item opponitur hac caus.* & quæst. 1. ; sed  
hæc in veteri testamento à Sanctis Prophetis vendi con-  
sueverat : ergò in lege nova , etiam si emptio , & ven-  
ditio in Sacramentorum receptione , aut collatione inter-  
veniat , suum poterunt effectum conferre . Minor liquet  
*ex lib. 1. Reg. cap. 9.* ubi refertur , Saulem volentem  
ire ad Samuelem pro vaticinio expetendo , dixisse pueru  
suo , ad eum se ire non posse , quia non habebat pre-  
tium , quod pro vaticinio offerret . Cui puer respondit  
per hæc verba : *Ecce inventa est in manu mea quarta*  
*pars suli pecunie , & dabo viro Dei , & annuntiabit*  
*nobis viam nostram.* Hoc ipsum sonat in *lib. 3. Reg. cap.*  
*14. quod uxor Hieroboam , infirmata filio , ad Achiam*  
ho-

hominem Dei , non nisi cum muneribus accessit , defens ei decem panes , & crustulam , & vas mellis. Tandem Christus Dominus , etiam si venditus fuit à Juda , quām plurima fuit operatus miracula , & auriculam servi sanavit , ut habetur *Lucae cap. 22.* Exemplo igitur Saülis , & uxoris Hieroboam patet , non esse peccatum emere , vel vendere donum Spiritus Sancti : insimulque exemplo Christi Domini apertè liquet , quod Spiritus Sanctus , et si injuste à simoniacis venalis putetur , virtutis tamen suæ non obliviscitur , nec desinit effectum suæ gratiæ , etiam venditus præstare ; ergo etiam si donum Spiritus Sancti ematur , vel vendatur , gratia poterit conferri ei , qui emit , & consequenter suscipientes sacramenta pretio interveniente , illorum effectum participabunt.

10 Secunda , & ultima nostri textus pars , in qua Leo Papa affimat , ideo simoniacos , qui gratis Sacramenta non querunt , alijs gratiam præstare non posse , quia illam non accipiunt , ex regula *leg. nemo 54.* ¶ 120. *ff. de reg. jur. cap. nemo 79. cod. tit. in 6.* difficultis etiam redditur ex eo , quod etsi simoniaci gratiam non accipient , nihilominus hoc non impedit , quomodo illam in alios transferre possint : ergo minus recte in nostro textu deciditur , quod quia simoniaci gratiam non habent , eam alijs dare non possunt. Antecedens ex sequentibus uberrime probatur ; & primo quidem ex decisione textus *in cap. suffraganeis 11. de electione.* in cuius specie dicitur , Metropolitanum non consecratum , licet nondum receperit pallium , posse consecrationem sui suffraganei Episcopo delegare , cum tamen ipse hoc facere non possit : quinimo non solum consecrationem delegare , verum & per se ipsum eam exercere posse , licet non sit consecratus , nec pallium receperit , videtur probari ex *cap. 1. de translat. Episcop. in fin.* ex cuius ultimis verbis deducitur , Archiepiscopum , pallio non accepto , Episcopum Valiensen confirmasse : ergo quia Archiepiscopus per se , pallio non recepto , potest Episcopos ordinare , seu consecrare , quamvis ipse consecrationem non habeat : ergo etiam si simoniaci gratiam cum

eramentis non accipient ea tamen alijs dare, seu præstare poterunt. Id ipsum suaderi potest ex dec. text. in cap. statuimus 1. de supplend. neglig. Prælat. Ex quo aperte probatur; posse quem alijs dare, quod non habet; ibi enim dicitur, quod si Episcopus tertio requisitus benedicere Abbatem sine causa renuerit, ipse potest, non accepta benedictione, proprios monachos benedicere, perinde ac si esset benedictus: ergo stat optimè, quod quemadmodum Abbas, quamvis benedictionem non habent, eam alijs dare potest, ita pariter, quamvis simoniaci spiritualem gratiam Sacramentorum nostra accipient, nihilominus eam alijs conferre valeant.

11. Præterea idem difficultatis assumptum fortius augetur ex sequenti ratiocinio; nam de fide est baptismum sub legitima forma collatum à quocumque sive sit Judeus, sive Paganus, ratum esse, ut definitum legimus in cap. 1. S. una verò de Summa Trinit. Concil. Floreat. in decreto fidei, S. primum; & probatur ex cap. Romanus 23. cap. à quodam Iudeo 24. de consecrat. dist. 4. modo sicc. Pagani dicuntur, qui adhuc baptismum non suscep- runt; sed Pagani baptismum alijs conferre possunt: ergo idem quod prius. Vel aliter: baptismus est Sacramentum fidei, cap. firmissime 3. 15. quest. 1. cap. nihil 76. de consecrat. dist. 4. Concil. Trident. de justificat. Sess. 6. cap. 7. sed Pagani, qui numquam fidem Christi profes- si fuerunt, illam alijs communicare possunt: pari igitur modo simoniaci, & si gratiam Sacramentorum non habent, eam tamen alij præstare poterunt. Denique ful- citur assumptum ex leg. non est novum 46. ff. de adquir. rer. dom. ubi creditor transfert in emptorem dominium pignoris, quamvis dominus non sit; siquidem dominium rei oppignorata remanet penes debitorem, & possessio unicè in creditorem transfertur, leg. 35. S. 1. leg. 37. ff. de pign. act. leg. 36. O' 40. de adquir. posses. cum alijs congestis à Magno Praeceptore D. Puga, qui inter primarios Juris Cælarei Interpretes merito extulit caput, in tract. Acad. de adquir. posses. cap. 1. num. 2. O' 3. ergo non subsistit ultima nostri textus pars.

12 Hæc sunt, quæ adducere potuimus ad impugnandam nostram conclusionem, & ex quibus difficultima videri potest; eam tamen defendere pro viribus con-nabor, & antequam decisivam rationem demonstrem, aliqua prænotanda sunt ad faciliorem nostræ assertionis, & textus intelligentiam. Primo igitur prænotandum est, simoniæ peccatum à Simone Mago nomen accepisse, eò quod primus dona Spiritus Sancti pecunia emere voluerit, ut constat *Act. cap. 8.* & ut loquitur D. Augustinus *tract. 10. in S. Joann.* volebat emere Spiritum Sanctum, quia volebat vendere Spiritum Sanctum. Ex quo factum est, ut peccatum illud, quo spirituale aliquid, aut spirituali annexum pecunia, aut aliqua re pretio estimabili emitur, aut venditur, simonia nuncupetur. Quam grave sit hoc simoniæ peccatum, patet, tum ex objurgatione asperrima, qua D. Petrus erga præfatum Simonem usus est, tum etiam ex eo, quod in *cap. reperiuntur 7. 1. quest. 1.* appellatur execrabile flagitium: & in *cap. sicuti 1. de simon.* dicitur, simoniacam pestem sui magnitudine alios animæ morbos vincere: & in *cap. Presbyter 3. cap. quis 5. d. caus. 1.* & *quest. 1.* dicitur, simoniām hæresim esse, ac simoniacos hæreticos. Et merito; nam licet per se hæresis non sit, cum constet, aliquem esse simoniacum ex sola depravatione affectus per avaritiam, remanente judicio recto intellectus; quæ depravatio voluntatis, licet sit culpabilis, & flagitiosa, nullam tamen hæresim inducit; neque enim potest esse hæresis sine depravatione intellectus errantis in ijs, quæ fides tradit, ut docet D. Gonçal. in *cap. 1. de heretic. num. 5.* & 6. nihilominus præsumptione juris, vel operis simoniacus omnis in fide suspectus haberi potest.

13 Ratio autem, cur simoniacus hæreticus præsumatur, ista inter alias mihi maximè arridet; quod cum simoniaci criminis labes non qualicunque poenitentia abs-tergatur; sed cessione à divinis, cessione beneficij, restituzione fructuum male partorum, & alijs poenis, de quibus latè agit D. Gonçal. in *cap. 10. cap. 12.* & 29. *de simon.* requirit hominem non solum in peccato, sed

in peccati statu permanentem , affectuque peccandi continuo constitutum , in quo facile est voluntati callum obduci , eamque indurari , indurata autem voluntate , & assuefacta peccato , quo sibi blandiatur , mentem saepius in errorem trahit , & fidei lumine illustratum intellectum excusat . Quapropter licet in actu , & causa prima haeresis non sit , est tamen proximè , ut fiat . Nec solum simoniām haeresim esse , verum & omnium haeresum maximam , & primam habitam fuisse probavit Gofridus Abbas Vindocinensis in *Opuscul. de simonia* , missio Calixto Papæ ; nam afferit , quod nihil propriè haeresis dicitur , nisi quod à Patris unitate filium , vel Spiritum Sanctum conatur separare , vel personarum alteram altera minorem , vel majorem afferere : igitur Simon Magus haeticorum primus , & pessimus extitit , quia non solum à Patris aequalitate separari posse Spiritum Sanctum existimavit , sed etiam se esse majorem ipso Spiritu Sancto concupivit , cum pecunia se posse possidere ipsum Spiritum Sanctum existimavit ; major siquidem est , qui possidet , quam qui possidetur . Cui Vindocinensis argumentationi consentit Gregorius Magnus lib. 7. epist. 14. qui hoc crimen infectos etiam idolatras vocat lib. 9. epist. 53. ad *Theodosie. Reg. Francor.* Hec , & alia hujus criminis nomina prosequuntur Eximus Doct. P. Suarez tom. 1. de *Religion.* lib. 4. cap. 5. Hallier. de *Sacris elect. sect. 7. art. 2.* & alij plures congesti à D. Gonçal. in cap. 1. de *simon. num. 12.*

**14** Est autem triplex simoniæ species , mentalis scilicet , conventionalis , & realis , ut docent Cardinal. Toletus lib. 5. *Summae* , cap. 86. & D. Gonçal. in cap. *insinuatum 12. de simon. num. 3.* Mentalis duplaci modo contigere potest , primò cum quis deliberatè vult emere , aut vendere aliiquid spirituale : secundò cum aliiquid exterius facit cum intentione emendi , aut vendendi aliiquid spirituale sine ullo pacto externo ; ut si quis obsequium praestet prælato , aut patrono hac intentione , ut conferatur illi beneficium in obsequijs mercedem . Conventionalis dicitur , quando videlicet aliquod pactum externum su-

per spiritualibus intercessit , nulla secuta , aut interveniente rei traditione , & temporali datione , de qua agitur in cap. 4. & fin. de paet. ubi latè , & doctè Primarius noster Doct. Balboa. Simonia verò realis est , quando ex utraque parte traditio intervenit , & pactum executioni mandatum est. In eo tamen differunt simoniacus conventionalis , & realis à mentali ; quòd ille varijs poenis puniatur , iste verò , & si graviter peccet , nulla tamen poena punitur , ita ut non teneatur restituere id , quòd per simoniā mentalem acquisivit , sed sufficit per poenitentiam Deo satisfacere creatori , juxta Gregorij IX. responsum in cap. fin. de simon. Cum enim in corde suo peccaverit , quod Deus respicit , cap. qui pejerare 13. 22. quest. 5. cap. cum voluntate 54. de sent. excommun. tenebitur quoad Deum per solam poenitentiam satisfacere ; sola enim cogitatio à Deo punitur , quamvis non per venerit ad actum , cap. in Civitate 6. de usur. Est enim Deus secretorum cognitor , quem non latet peccati qualitas , nec peccantis affectus , cap. Deus. 38. 24. quest. 3. Verum adversus hanc doctrinam non leviter digladiatur textus in cap. consuluit 10. de usur. ubi Urbanus III. asserit , mutuantem ea mente , ut ultra sortem aliquid recipiat , restituere debere in foro animæ , quidquid possit ultra sortem acceperit , etiam si usurarius mentalis tantum sit : pari igitur modo simoniacus mentalis ad restitutionem teneri debet , contra textum in d. cap. fin de simon.

15 Quorum jurium difficultate oppressi , & per territi cuncti fermè Canonici Juris Interpretes , & Theologi relati à D. Gonçal. in d. cap. fin. num. 4. varias excogitarunt differentię rationes inter usurarium mentalem , & simoniaccum mentalem , è quibus verior differentia ratio illa mihi videtur , quæ ex verbis prohibitionis usuræ , & simoniæ colligitur , deducta à suis principijs , & considerato prohibitionis origine , nempè quòd in multo non solum usura conventionalis , sed etiam mentalis jure divino est prohibita , ut patet Luca cap. 6. ibi : Mutuum dantes , nihil inde sperantes ; non itaque licet promu-

mutuo aliquid ultra sortem etiam mente sperare , & si contraria fiat , hoc est , si corrupta mente quis mutuetur pecuniam , inde aliquid ultra sortem sperans recipere , & postea illud recipiat , in animæ judicio restituere damna- bitur , quia contra præceptum divinum egit . Et hoc modo præfata Evangelij verba interpretatur Ecclesia in dict. cap. consuluit 10. ubi cum quereretur , an in animarum judicio quasi usurarius damnandus sit qui , licet absque conventione , ita pecuniam mutuatur , ut ultra sortem principalem aliquid recipiat , non aliter mutuaturus ? Respondet Urbanus III. ex Evangelio Lucæ manifestè cognosci quid in hoc casu respondendum sit . Unde cum Evangelium in verbis nuper relatis contineat præceptum mu- tuandi absque ulla spe inde aliquid consequendi , ideo talis homo pro intentione luceri , quam habet , judicandus est male agere , & ad ea , quæ taliter recepit , restituenda in animarum judicio efficaciter inducendus . Ast prohibito simoniae jure divino non sit nominatim de spe ali- quid temporale pro spirituali accipiendi , sed de actuali simonia expressa , aut signis inter partes intellecta , ut patet Matth. cap. 10. ubi commemoratis donis spiritua- libus Dei , dicitur : *Gratis acceperitis , gratis date , non itaque adjecit , nihil inde sperantes , sicut in mutuo ad- jectum est , nec id etiam exprimitur in cæteris authorita- tibus novi , & veteris testamenti , quibus simoniam spi- ritualium donorum jure divino prohibitam esse probatur . Quare licet pessima sit simonia mentalis , tamen cum ex- pressè jure divino inhibita non sit , sicut usura mentalis , quod Ecclesia declaraverit in d. cap. fin. de simon. ideo si- moniacus mentalis ad restitutionem non tenetur , sed suf- ficit pro peccato creatori per solam satisfacere poeniten- tiā : videndi sunt Guttierr. lib. 2. can. quæst. cap. 23. num. 26. cum seqq. Fagnan. in cap. 12. de offic. deleg. ex num. 18. Primarius noster Doct. Armenteros in tract. de simon. & transact. ret spiritual. num. 5. & 6. noster Illustriss. Montalban d. epist. 2. de simonia , art. 8. §. 2. ex num. 257.*

16 Verum ad faciliorem intelligentiam eorum  
quæ

quæ dicta sunt , vel dicenda , prænotandum est secundo: Spiritualia , quæ per simoniam vendi , aut emi dicuntur , in triplici esse differentia : quædam enim sunt spiritualia per se , id est secundum suam essentiam , ut sunt gratia , virtutes , & dona Spiritus Sancti , quæ sunt in anima , & hæc in contractum , pactumvè nullatenus deduci possunt , cum spirituale venditionis materia naturaliter esse non pos- sit , imo nec debet considerari , ut dicitur *in cap. Salvator 8. quaest. 3.* alia sunt spiritualia causativè , & hoc dupliciter contingit , active , & passivè . Active , ut Sacramenta Ecclesiæ , quæ efficiunt , & invisibilem gratiam instrumentaliter conferunt . Passivè , ut sunt actus ex Sacramentis provenientes , qui quidem ex juris dispositio- ne similiter emi , aut vendi non possunt . Alia vero dicuntur spiritualia non ex se , nec causative , sed per an- nexionem , quod etiam dupliciter contingit , vel antecedenter , vel consequenter : antecedenter , qualia sunt altaria , vasa sacra , Sanctorum Imagines , jus patrona- tus , atque cætera Ecclesiæ ornamenta , quæ tanquam præ- paratoria antecedunt spiritualia , *cap. vestimenta 42. cap. vasa 44. cap. de consecrat. dist. 1.* consequenter ve- ro spiritualibus annexa illa dicuntur , quæ spiritualia præ- supponunt , & ab illis in fieri , & conservari dependent , ut sunt beneficia Ecclesiastica , decimæ , & alia , quæ se- quuntur vel ex potestate ordinis , vel jurisdictionis : do- cent D. Thomas 2. 2. quaest. 100. art. 4. Gibalin. de simon. quaest. 3. Illustr. Montalban *ubi supra art. 1. num. 8. & seqq.* Doct. Armenteros *in cap. 3 de judicijs, num. 6.* Doct. Samaniego de simonia prohibita in benef. Ec- cleſ. num. 33. & 34. Cum ergo hæc sint spiritualia ra- tione finis , ad quem diriguntur , necessario sequitur , ut incontractabilia sint , non ratione essentiæ , sed ratione dominij , atque adeò sunt extra hominum commercium , leg. *in tantum 6. §. Sacre 3. ff. de rer. div. leg. inter stipulantem 83. §. Sacram. 5. ff. de V. O. cum cul- gat.*

17 Neque huic doctrinæ obstat , quod antece- dentia ad spiritualia , ut sunt vasa sacra , possunt licite ven-

vendi absque labe simoniæ , ut patet in eo , quod legitur ;  
& notatur in cap. ea enim 2. 10. quæst. 2. cap. aurum  
70. 12. quæst. 2. nam hoc ita demum permittitur , dum-  
modo pluris non vendantur ratione consecrationis ; quia  
super illud , quod est corporale , cedit directè venditio ;  
alias enim si ratione consecrationis pluris venderentur ,  
proculdubio venditio esset ex se simoniaca . Sicut etiam  
jus patronatus , quod spiritualibus antecedenter annexum  
est , cap. quanto 3. de judicijs , licet vendi potest , &  
in emptorem transit , vendita Villa , vel Castro , cum  
universitate bonorum ; quia tunc non venditur directè ,  
& principaliter , nec super ipsum cedit venditio , sed  
super Villam ; nec indirectè , & secundariò ; quia Villa  
non pluris venditur propter jus patronatus annexum , alio-  
quin esset simonia , ut constat ex cap. ex litteris 7. cap.  
cum faculum 13. de jure patron. & utrobique notant  
Canonistæ . Verum huic doctrinæ obstat videtur regula  
text. in leg. quæ Religiosis 43. ff. de rei vindic. & in cap.  
quod in dubijs 3. de consecrat. Eccles. in quibus habetur  
magis dignum trahere ad se minus dignum ; sed jus pa-  
tronatus , ut potè spirituale , est dignius universitate bo-  
norum , ut potè temporali : ergo neque per se , neque  
cum universitate bonorum licet jus patronatus vendi po-  
terit . Etenim respondetur , dictam regulam militare , quan-  
do magis , & minus dignum considerantur æquè principa-  
liter , & per se , non autem quando magis dignum con-  
sideratur , ut annexum , & accessorium ad minus dignum  
principale . Ut autem aliquid dicatur principale , vel ac-  
cessorium , non habetur respectus ad magis , vel minus  
dignum , sed tantum id , quod prima intentione , & per  
se intenditur , dicitur principale , quod autem fit pro-  
pter aliud , dicitur accessorium , etiam si hoc sit magis  
dignum eo , quod non intenditur per se . Ita de Jure  
Civilis statutum habemus , alienam purpuram bona fide tuae  
vesti intextam dici accessoriā ad illam , & tibi adqui-  
ri , quamvis sit tua veste pretiosior , per text. in S. si  
tamen alienam purpuram 26. Inst. de rer. divisi.

18 Ex quibus omnibus clare evincitur pretium  
tum

tum dare , tum accipere pro gratia , & Sacramentis, atque  
 alijs Spiritus Sancti donis, quæ ad æternam nos felici-  
 tem promovent , esse simoniam , & quidem utroque jure,  
 naturali videlicet , & divino prohibitam. De jure natura-  
 li patet, quia vendere gratiam , & dona spiritualia Spi-  
 ritus Sancti naturaliter habet plurimas inordinationes , &  
 deformitates inseparabiliter annexas : tum relatè ad Deum,  
 cui arrox fit injuria, eò quòd ab ejus dominio res usur-  
 patur, cap. eos 21. 1. quest. 1. ubi dicitur: *Tolerabilior  
 est impia hæresis Macedoniæ*, & sequacium , quām simo-  
 nia. Illi enim servum Dei Patris , & filij Spiritum San-  
 ctum esse delirando fatentur : simoniaci verò eundem Spi-  
 ritum Sanctum efficiunt suum seruum: Tum relatè ad rem  
 ipsam , quæ venditur ; res enim , quæ modo suprà num. 16.  
 exposito spirituales sunt , nullo æstimari possunt tempo-  
 rali pretio , utpote quæ supernaturalia sunt , inter quæ,  
 & terrena nulla est proportio , cap. illud 5. cap. solita  
 6. de major. & obed. Et huic præcipuo fundamento in-  
 nititur sententia damnationis Simonis , quia videlicet exis-  
 timavit donum Dei posse pecunia possideri , ut tradit  
 Turriscemat. in cap. Presbyter. 3. 1. quest. 1. num. 13.  
 Tum etiam relatè ad eum , qui vendit , quia , et si spi-  
 ritualia per se venalia essent , neutiquam tamen à Præla-  
 tis Ecclesiæ vendi possent : nemo enim justè vendit rem,  
 cuius non est dominus , leg. rem alienam 28. ff. de con-  
 trab. empt. cum vulg. ait Prælati Ecclesiæ non habent  
 dominium reruin spiritualium , sed sunt meri dispensato-  
 res secundum Pauli confessionem 1. ad Corinth. cap. 4.  
 ibi : *Sic nos existimet homo , ut Ministros Christi , &*  
*dispensatores Mysteriorum Dei* : ergò non possunt spi-  
 ritualia licetè vendere : Tum denique relatè ad finem , ad  
 quem collata sunt bona hæc spiritualia ; nam eo ipso,  
 quòd res venditur , insinuari videtur , non esse quid di-  
 vinum , & spirituale pertinens ad salutem animarum , sed  
 duntaxat rem humanam , & temporalem ad commoda  
 hujus vitæ spectantem , qualia sunt omnia , quæ nomine  
 contractus veniunt , ut explicant D. Thomas 2.2. quest.  
 100. art. 1. Soto lib. 9. de just. & jur. quest. 6. art. 1.  
 &

& alijs , quos refert Fagnan . in cap . cum pridem 4 . de  
paet . num . 10 . in fin .

19 De jure divino similiter constat , auctoritate  
nimirum novi , & veteris testamenti , nam postquam  
Christus Dominus apud Matth . cap . 10 . enumeravit dona  
supernaturalia Spiritus Sancti , subdit : *gratis accepisti* ,  
*gratis date* . Sic enim Apostoli fructum doni miraculorum ,  
& sanitatis gratis praetabant , sed eò potissimum , quia  
res talis est , ut non possit , nec debeat temporali pre-  
tio aestimari , sed solo Dei munere haberri . Et sic verba  
illa : *Gratis accepisti* intelligenda sunt , ac si dictum es-  
sent , donum illud tale est , ut illud vestra industria non  
potueritis assequi . Et Joan . cap . 2 . Christus Dominus . in  
signum ejusdem veritatis flagello ejecit de templo emen-  
tes , & vendentes columbas : columba namque Spiritum  
Sanctum , ejusque dona significat , prout hanc auctorita-  
tem interpretantur Gregorius in cap . vendentes 10 . 1 .  
quest . 3 . Beda in cap . seq . & Nazianzenus in cap . qui  
studet . 11 . 1 . quest . 1 . Idem constat etiam Actor . cap . 8 .  
ubi Simon ille , qui in novo testamento fuit simoniæ au-  
thor , cum gratiam Spiritus Sancti emere vellet , à D .  
Petro reprehensus , & punitus fuit , dum dixit : *Pecunia  
tua tecum sit in perditionem , quia donum Dei existimat-  
ti pecunia possideri : non est tibi pars , neque fors in ser-  
mone isto* . Id ipsum liquet in veteri testamento , ubi Giezi  
ille , qui gratiam sanitatis Naaman Syro vendere ausus  
fuit , eadem lepra , qua alter laborabat , percussus fuit ,  
ut habetur 4 . Reg . cap . 5 . ibi : *Sed & lepra Naaman  
adhæredit tibi , & semini tuo in sempiternum* .

20 Ex quibus jam detegitur verissima nostri tex-  
tus ratio decisiva ; nam ideo qui sacramenta non gratis  
querunt , eorum gratiam non accipiunt , quia cum gra-  
tia , ut nomen ipsum personat , gratis nobis conferatur ,  
alioquin auctore Paulo non esset gratia , & ea , quæ sunt  
ordinis spiritualis incontractabilia sint : donumque coeleste  
mercati non posse , juxta text . in cap . qui studet . 11 .  
cum mult . alijs 1 . quest . 1 . hinc est , quod illi , qui si-  
moniacè sacramenta accipiunt , gratiam illorum non con-  
P sc .

sequantur, id est effectum Sacramenti, in quo est gratia, cap. un. de Sacr. unct. & ideo nec eam alijs conferre possunt, quia nemo dat, quod non habet ex regula text. in leg. nemo 54. ff. de reg. jur. cap. quod autem 5. de jure patron. solumque accipiunt spiritum mendacij, id est peccati, eò quòd nomine mendacij omne peccatum continetur juxta illud Psalm. 15. ibi: *Omnis homo mendax.* Præterea; juxta D. Thomam 2. 2. quest. 100. art. 1. in corpor. ideo aliquis actus est malus, quia cadit supra materiam indebitam; sed res spiritualis, ut potè quæ non potest terreno aliquo pretio aestimari, juxta illud Proverb. cap. 3. *Sapientia pretiosior est cunctis opibus: Omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari:* est materia omnino indebita respectu emptionis, & venditionis: ergò nonnisi simoniacè contrectari potest; proindeque ad hoc respiciens Petrus simoniacam pravitatem in sua radice condemnavit. Deinde, quia, ut supra diximus, non est debita materia illa, cuius venditor dominus non est, ut probat Doctor Angelic. *ubi proximè p̄latus autem non est dominus rerum spiritualium, sed dispensator,* cap. fraternitatem 2. de donat. cap. videntes 16. 12. quest. 1. Quare emptio, aut venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex Dei gratuita voluntate proveniunt, ut superius manet probatum: sicque non accipientes gratis sacramenta, nec sibi, nec alijs gratiam praestandam suscipiunt.

21 His non inutiliter expositis pro nostri textus intelligentia, & materiæ cognitione, respondemus modò ad rationes dubitandi supra expensas, quarum non obstat prima num. 2. adducta, qua motus Sapientissimus Magister Soto Dominicanæ Familiae, vir acutissimi ingenij, & omnigenæ eruditioñis existimavit lib. 9. de just. & jur. quest 6. art. 1. licitum esse in extrema necessitate emere sacramenta, & gratiam sacramentalem. Idem que sentiunt Abbas in cap. cum in Ecclesiæ 9. de simon. & Prosper. Fagan. in cap. cum pridem 4. de pact. num. 83. seq. Vérum hic opinandi modus displicet, tūm Theologis, tūm etiam cæteris utriusque Juris Interpretibus.

Et

Et merito quidem; nam emptio Sacramenti, cum sit actio intrinsecè mala ex objecto, ut cum D. Thoma, docent frequenter Theologi, & Juristæ, nullo ex capite potest unquam honestari. Nec satisfacit M. Soto, dum constituens differentiam inter emptionem, & venditionem Sacramenti, docet, venditionem esse quidem intrinsecè malam, secus verò emptionem: hujus autem differentiæ nullam rationem reddit, sed unice declarat exemplo usuræ. Non, inquam, satisfacit; nam D. Bonaventura *in 4. dist. 25. dub. 3. circa litter.* ubi Magister sententiarum ait: *Utrique eadem sententia percelluntur, scilicet ementes, & vendentes, subdit: Quantum ad genus peccati est uniformitas, quia uterque gratia Spiritus Sancti fecit injuriam:* Ergò non solum vēdere, sed etiam emere Spiritus Sancti gratiam, seu Sacraenta, est intrinsecè malum. Id, quod declaratur ex facto Simonis Magi, quod utpote per se malum, & gravissimum, reprehendit Petrus; atqui Simon Magus (quidquid dicat M. Soto) solum emere tentavit, ajente D. Petro: *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri:* ergò solum emere sufficit ad delictum.

22 Unde D. Chrysostomus *homil. 13. in Marc.* ponderans, Christum non tantum ejecisse de templo vendentes, sed etiam ementes, hæc habet: *Quia non solum vendere, malum est, sed etiam emere;* & subjungit: *Simon Magus, non quia vendidit, sed quia emere voluit, damnatus est. Infelix est, qui vendit, infelix est, qui emit;* *gratia enim Christi auro, & argento non potest comparari.* Et certè si attendamus ad definitionem Simoniae in ipsa æquæ comprehenditur emption, & venditio; dicitur enim *studiosa voluntas emendi, aut vendendi rem sacram, aut spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali.* Præterea; si emptio Sacramenti non esset intrinsecè mala, non solum in extrema necessitate Parvuli, sed etiam in gravissima necessitate adulti licet Baptismum emere adversus eundem M. Soto. Probatur, nam ea, quæ non sunt intrinsecè mala frequentissime honestari solent ex gravissimis, ac moraliter necessarijs causis,

etiam si extrema necessitas non adsit : ergo cum in adulto detur gravissima , & moraliter necessaria causa , ut negari non potest , non est cur ipsi non liceat , si vera est sententia M. Soto , Baptismum emere ; siquidem utitur jure suo , & medio de se non malo ; insuperque movetur altiori fine , & urgentissima causa , vi cuius venditio , quae juxta M. Soto est intrinsecè mala , ementi imputari non potest.

23 Relicta igitur hac Soti opinione verosimilius dicendum mihi videtur cum Alberto Magno , Bonaventura , Marsilio , Ugolin. Major. Gabriel. Adrian. & alijs , quos sequitur , & illustrat Eximus D. Granatensis meus P. Franciscus Suarez totius Societatis ornamentum , & decus , lib. 4. de simon. cap. 12. num. 13. cum seq. licetum esse in nostro easu dare pecuniam Sacrilego Sacerdoti , non ut pretium Sacramenti , sed ut removentem impedimentum pravae voluntatis , & avaritiae , idque non solum in easu parvuli , sed etiam respectu adulti . Et ratio est : quia tunc adest honestissima causa dandi pecuniam , nec intervenit ulla irreverentia Sacramenti , nec insuper fit aliquid contra dignitatem Gratiae , aut contra absolutum dominium Dei in omnibus gratiae donis ; siquidem illa datio pecuniae potest per intentionem dantis denudari omnino à ratione emptionis ; & probatur : Quia si sermo sit de emptione formalis , haec pendet ex intentione operantis , quae libera est : ergo si non habeatur talis intentio , non erit emptio formalis . Si vero sit sermo de emptione interpretativa , haec nulla sufficiente ratione convincitur ; siquidem , qui dat pecuniam , utitur jure suo dando illam alia intentione , & ita ipsi non impunitur , quidquid inde sequitur .

24 Accedit pro casu adulti , quod major est obligatio uniuscujusque ad subveniendum sibi in spiritualibus , quam proximo : ergo si licet uti hoc medio ad subveniendum proximo extremè indigenti , cur non licebit ad subveniendum sibi ? Nec valet dicere , non esse æqualem necessitatem , cum adultus posset uti remedio contritionis . Non , inquam , valet ; nam excessus , quicunque ille sit , necessitat-

tatis in parvulo, compensatur abundè ex majori obligatio-  
ne charitatis , ad curandum de propria salute spirituali,  
ideoque poterit adultus facere p: o se ipso , quidquid po-  
test pro alio , etiam si necessitas propria sit aliquantulum  
minor; maximè cum sit absolute magna, suoque modo ex-  
rema, & periculum sit gravissimum in re magni momen-  
ti. Quod certè à nullo negari potest ; nam illa necessitas  
peccatoris adulti tanta est , & moraliter à Deo tanti asti-  
matur , ut teneamur ex charitate subvenire proximo( etiam  
adulto ) sic indigenti cum periculo vitæ corporalis : ergò  
quia necessitas illa spiritualis reputatur moraliter extrema,  
proindeque sufficiens, ut datio pecunia per intentionem ex  
fine honesto justè separari possit ab emptione , & ita sepa-  
rata immunis sit ab omni specie simoniae.

25 Nec item valet dicere , quod , quamvis pecunia  
proximè , & immediate detur ad redimendam vexationem,  
tollendumque avaritia; impedimentum; ordinatur tamen ad  
hoc ut Sacerdos Baptismum ministret, proindeque per pe-  
cuniā intenditur Sacramentum saltem mediate, quod abs-  
dubio est quodammodo emere. Non , inquam, valet; nam  
quando quis conferret stipendum, vel eleemosynam Sacer-  
doti, ut sacrum faciat, intendit quidem immediate substen-  
tationem ejus, illam tamen non intenderet , nisi etiam in-  
tenderet , ut faciat sacrum , & ita aliquomodo per pecu-  
niā sacrum intendit ; & tamen non ideo emit, nec emere  
intendit adhuc mediate sacram , eo quod non det pecu-  
niā ut pretium sacrificij : ergò similiter in nostro casu.  
Et ratio à priori omnium est ; quia , ut sit emptio , non  
sufficit, quod detur pecunia, sed insuper requiritur , quod  
pecunia per se ordinetur ab obtinendam rem sacram, tan-  
quam pretium ipsius: in præsenti autem non ordinatur per  
se , sed per accidens , quatenus , videlicet, ordinatur , ad  
removendum prohibens , nec datur ut pretium Sacra-  
menti , sed ut extinguatur Sacerdotis avaritia.

26 Ex quibus omnibus patet solutio ad primam  
dubitandi rationem numero 2. propositam ; fatemur  
enim, patrem infantis posse absque simoniae labe redimere  
vexationem dando pecuniā sacrilego Sacerdoti, non ut  
prez

premium Sacramenti, sed ut ipsius avaritiam extinguat, quod respexit *text.* in *cap. Dilectus 27. de Simen. cum vulgat.* Si autem dicas, doctrinam hanc unicè habere locum, quando quis habet jus in re: non verò quando tantum habet jus ad rem, uti accidit in præsenti; nam infans, licet habeat jus ad baptismum, tamen non habet jus in re. Respondeo, omnes fideles in ordine ad Sacra menta obtinenda, præsertim, quæ necessaria sunt ad salutem, habere jus acquisitum ex donatione, & institutione Christi: Unde vel ex hoc eodem capite licitum erit offerre pecuniam ad vexationem tollendam. Præterquam quod unusquisque argum. *dicit. cap. Dilectus 27.* habet jus acquisitum, nè injuste opprimatur, & nè cogatur damnari, quod abs dubio accideret infanti sine baptismo decedenti.

**27** Nec paritas ab usura desumpta, & expensa in numero 3. quidquam probat; nam in usura non oriatur malitia ex aliqua ipsius mutui excellentia, sed solum ex eo, quod mutuum nullius pretij sit: unde tota usuræ malitia consistit in injustitia, quia, videlicet, venditur res, quæ non est digna pretio; quæ injustitia unicè se tenet ex parte videntis, non vero ex parte ementis, seu pertinentis mutuum; hic enim non potest sibi mettere facere injuriam, sed potest cedere suo juri. Quàmobrem etiamsi absque gravi necessitate, vel sine ulla rationabili causa petat mutuum sub usuris ab eo, quem scit non aliter mutuaturum, minimè peccat: immo licet inducat ad mutuandum sub usuris, & si peccet ratione inductionis, & cooperationis ad malum alterius, non tamen peccat in eo, quod est emere mutuum; quia, ut diximus, cedit juri suo, nec potest sibi facere injuriam. At malitia simoniæ oritur ex excellentia rei spiritualis, cui fit gravis irreverentia, & injuria, dum pretio temporali comparatur: quæ irreverentia æquè sit, sive emendo, sive vendendo, nec emens potest cedere, ut ita dicam, juri rei spiritualis, magis quàm vendens. Est ergò valde dispar malitia usuræ, si comparetur criminis simoniaco.

**28** Non item obstat difficultas num. 4. proposita;

ta ; nam matrimonium considerari potest , vel quatenus est Sacramentum , vel quatenus est humanus , & civilis contractus : ut Sacramentum enim nullam pretij pactionem accipit , quidquid olim de hoc dubitatum sit , cum certum de fide sit , matrimonium esse verum Sacramentum , & conferre gratiam , juxta Trident . Synod . Sess . 24 . de matrim . can . 1 . Quin obstat textus in cap . bonorentur 13 . 32 . quest . 2 . quia ibi sermo est de conjugio Rebeccæ , quod constat non fuisse Sacramentum proprio dictum : & munera illa donata fuerunt , non ut pretium pro matrimonio , sed in signum amicitiae , & gratitudinis : quatenus vero matrimonium naturalis , & civilis contractus est , admittit pacta , & conventiones super dote , & donationibus propter nuptias , ut probat sic intelligendus textus in cap . de illis 4 . de condit . apposit . quia tunc non confertur dotalis pecunia uxoris pro matrimonio , quatenus Sacramentum est , instrumentalisque causa gratiae , sed quatenus est officium naturæ , cuius utique onera sine sumptibus fieri nequeunt , ut recte docent P . Suarez lib . 4 . de simon . cap . 10 . num . 10 . cum seqq . & D . Gonçal . in cap . suam 28 . de simon . num . 8 . Nec contrarium probant text . in cap . quidquid 101 . caus . 1 . quest . 1 . nam ibi generalis regula ponitur de omnibus Sacramentis , quod nihil pro illis dari , vel accipi debeat , sub quibus etiam matrimonium continetur , & si in particulari ibi non nominetur . Et in cap . Connubia 4 . 32 . quest . 2 . quia non loquitur de Sacramento , aut vinculo matrimonij , sed de usu , & actu , quo consummatur , ut tradit P . Pirhing . in lib . 5 . decretal . tit de simonia , sect . 2 . § . 1 . num . 12 .

29 Nec etiam adversatur ratio dubitandi num . 5 . expensa , cui facile respondetur ; nam cum simonia prohibita sit jure naturali , ac divino , nulla consuetudine induci potest , ut licite detur , vel accipiatur temporale pro spirituali per modum pretij , quia hoc est intrinsecè malum , & contra jus naturale , ac divinum , cui nulla consuetudo derogare potest , cap . sunt quidem 6 . 25 . quest . 1 . cap . fin . de consuetud . D . Thomas 2 . 2 . quest . 100 . Nec

Nec obstat textus *in cap. ad Apostolicam 42. de simon.* ubi consuetudo illa exigendi pecuniam pro exequijs mortuorum , & benedictionibus nubentium , tanquam laudabilis observari jubetur. Pro cuius solutione , ommissis traditis à Luna , & Arellano *lib. 5. antonom. 3.* verissime dicendum est , quod in specie præfati textus non assignatur consuetudo , quæ temporale pro spirituali dari induceret; hoc enim sine vitio simoniae admitti non poterat , sed tantum fuit consuetudo , ut ipsi Ecclesiæ simpliciter aliquid temporale daretur à parrochianis pro necessitatibus ipsius Ecclesiæ subleyandis ; ut sunt decimæ , oblationes , & similia , quæ ob Ecclesiæ necessitatem conferuntur absque ullo spiritualitatis respectu , non autem pro administratione Sacramentorum , quod illicitum , & simoniacum esset , cum gratis administrari debeant , ut ipse textus in fine demonstrat , & docent D. Covarr. *lib. 1. var. cap. 13. num. 13.* & D. Gonçal. *in cap. fin. de consuetud. num. 13.* & in *cap. 8. de simon. num. 8.*

30 Deinde assertioni nostræ non obsistit difficultas *num. 6.* proposita *ex cap. tua nos 34. de simon. cum alijs* ; cui respondendum est , preces solas non sufficere ad simoniām , etiam si propter illas detur beneficium , vel aliud spirituale , idque probatur *ex cap. Latorem. 121. cauf. 1. quæst. 1.* ubi Gregorius Papa fatetur , se propter intercessionem quorumdam aliquos ordinasse. Quare Gratianus objectioni , quām ipse facit *ex dict. cap. Latorem 121. & cap. filium 122. ead. cauf. & quæst.* respondet in §. non itaque seq. dicendo , quod non quorumlibet precibus ordinationes factæ , falsæ dijudicantur , sed illæ demum , quæ non spirituali , sed carnali affectu porrectæ sunt: quas non charitas interveniens extorquet , sed ambitio supplicans : eaque ratione *in dict. cap. tua nos 34.* simoniaca non censetur collatio præbendæ , quia collator non habuit respectum ad preces , sed ad meritum promovendi ; alias enim si esset indignus , censeretur simoniaca collatio , ut probat sic intelligendus textus *in cap. tuam 10. de etat.* & qual. ordin. docent plures Theologi , & Canonistaræ relati à P. Suarez ubi sup. *cap. 40. num.*

num. 2. Sed adhuc in tuto non sumus , quippe doctrinam hanc turbare videtur text. in cap. nemo 14. de simon. ubi prohibentur Presbyteri , nè quemquām poenitentem , vel minus dignē poenitentem , gratia , vel favore ad reconciliationem adducant , quia simoniacum est utrumque : per gratiam autem , & favorem intelliguntur preces , quæ favore , & gratia niti solent ; sed respondet , per gratiam , & favorem in eo textu intelligi , non gratiam , quām facit ille , qui exaudit preces , sed quām prætendit ; nec favorem , quem exhibet , sed quem sperat , & cum tunc transeant preces in rationem permissionis , inducunt simoniām. Eoque modo accipiendus est textus in cap. ordinationes 113. caus. 1. quest. 1. ubi ordinationes factæ , interveniente pretio , vel precibus , falsæ esse dicuntur. Neque etiam obstat cap. pueri 1204 ad. caus. 9. quest. ubi dicitur , quod nulla sit in ordinatione venalitas , potentia , vel supplicatio personarum nam ibi non comparatur venditio ordinationis cum supplicatione , seu precibus , sed potius ut distincta ponuntur , ad eo que non propter simoniae malitiam , sed propter alia incommoda , quæ interdunt inde provenire possunt , prohibetur ibi supplicatio , seu per preces imperata ordinatio , ut colligitur ex cap. 1. caus. 8. quest. 1. ubi de electione patrocinio quorundam facta est sermo ; ut eleganter tradit P. Suarez dict. cap. 40. num. 3.

31 Similiter veritati nostræ assertionis nihil detrahit textus in cap. per tuas 35. de simon. supr. num. 7. expensus , cui respondet , ex eo , quod Monachus prohibetur alios ordines suscipere , fatetur Pontifex , male processum fuisse in ordine accipiendo à praialo simoniaico occulto ; sed cum prævideret Pontifex in ordine suscepto characterem habere , & potestatem accepisse , licet non executionem , tamen , quia in culpa non fuit , licentiam præbuit , ut in ordine suscepto ministraret. Ratio autem cur is , qui recepit ordinem ab ordinante simoniaco , permittatur ministrare in ordine suscepto , sed non possit promoveri ad altiores ordines , oritur ex eo , quod ordines suscipere liberum est ; in susceptis autem minis-

trare necessarium; & facilius impediuntur facienda, quām facta, arg. cap. quemadmodum 25. de jur. jur. Accedit, quod Monachus in specie præfati textus securè potuit ministrare in ordine suscep<sup>t</sup>o, quia non constabat ei, Episcopum simoniacum esse, & non debet quis facile alijs credere in præjudicium alterius, ut notat Glos. verbo: *ministret in dict. cap. per tuas 35.* Neque etiam nostram assertionem infringit *text.* in cap. nullus 4. de serv. non ordin. supra num. 6. expensus; nam respondendum est, in ejus textus specie servum à domino suo fuisse manumissum sub hac conditione, ut domino in horis canonicas deserviret, easque ipse perpalleret, alioquin in servitutem redigeretur, quæ conditio non in ordinis susceptione fuit adjecta, sed in manumissione; ordinatio enim aliquam non admittit conditionem ex cap. fin. de past. cap. quām pio 2. 1. quest. 2. Debet autem adjici conditio in manumissionem, vel incontinenti post manumissionem, nam quæ in continent<sup>i</sup> fiunt, videntur inesse, leg. pact. conventa 72. ff. de contrah. emp. leg. fin. c. de lib. caus. quare cum servus sub honesta conditione primò manumissus fuisset, & postea ordinatus, quia fidem non servavit promissam, propter contumaciam, & superbiam degradatur, ut servus domini fiat, & redactus in servitutem nullo gaudet ulterius privilegio clericali, ut docet text. in dict. cap. nullus 4. & tradit Primarius noster Doct. Graña in cap. fin. de donat. num. 6. ubi in confirmationem præfaræ solutionis expendit text. in cap. eo libertus 6. de serv. non ordin.

32 Ad difficultatem num. 8. propositam ex cap. si justus 30. cum alijs bac nostr. caus. & quest. 1. respondetur, quid malus minister malitia morali potest conferre verum Sacramentum, ut patentur omnes Catholici; ministri enim Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, & sicut instrumenta non agunt secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus, à quo moventur, ita accidit in ministris. Si vero minister sit defectuosus in ijs, quæ pertinent ad suum ministerium, & sunt de necessitate ipsius, nullum confert Sacramentum,

ut quia omnino nescit baptizare : vel quia ignorat formam baptismi , aut non intendit facere , quod facit Ecclesia. Unde juxta D. Thomam *in 3. part. quæst. 64. art. 1.* debitum in Sacramento dupliciter considerari potest : uno modo ut existens de necessitate Sacramenti , quod quidem si desit , non perficitur Sacramentum , sicut si desit materia , & forma , D. Gonçal. *in cap. 1. de Cler. non ordin. num. 8. circa med.* Alio modo est aliquid debitum in Sacramento secundum quandam decentiam , & hoc modo est debitum , ut ministri Sacramentorum sint boni ; quod quidem si desit , non desinit esse Sacramentum , ut patet *ex dict. cap. si justus 30.* Ex quo etiam liquet , à simoniaco veros ordines posse dari , quamvis non dentur , nec recipiantur ad utilitatem , sed potius ad damnationem , ut dicitur *in cap. qui perfectionem 17. ead. caus. & quæst.* character enim ordinis stat cum quacumque culpa , & malitia , & consequenter ordinandi potestas , ut docet D. Gonç. *in cap. 1. de schismat. num. 7. in fin.* Et ita quantumcumque sit in aliquo simoniaca pravitas , non videtur dationem , vel susceptionem ordinum impedire ; non tamen recipiunt simoniaci gratiam sanctificantem , de qua loquitur Leo Papa in nostro textu , nec plenitudinem Spiritus Sancti , id est gratiam , & exercitium ordinis , ut probant sic intelligendi textus *in cap. quicunque 12. cap. cum ordinaretur 14. bac caus. & quæst.* cum alijs congestis à D. Gonç. *in cap. 1. de simon. num. 16. in fin.* & à Præceptore meo D. Galeote *in tract. de Sacram. ord. art. 3. ex num. 6. usque ad 12.*

33 Verum ut doctrina nuper tradita pleniùs explicitur , observare licet , spirituale aliquid multipliciter dici posse : uno modo est pure spirituale , ut gratia , virtutes , & dona , & hoc spirituale vendi non potest , nec emi , *cap. quicunque 12. cum alijs b. caus. & quæst.* alio modo est spirituale per causam , ut Sacraenta Ecclesiae , quæ licet sint essentialiter spiritualia , tamen sunt accepta in elemento corporali ; & hæc licet de jure vendi non possint , ut superius latè probavimus ; tamen de-

facto possant emi , & vendi in quantum sunt corporalia ; ut optimè docet Cardin. Turrecremat. *in dict. cap. qui-cumque* 12. id quod probat ex eo , quia quod est in dispensatione humana , potest emi , & vendi , sicut potest & liberaliter ministrari : & cum ordinum administratio in dispensatione humana consistat , possunt emi , & vendi , & simoniacè conferri. Et loquendo de ordinibus speciatim , in illis est aliquid de primo genere , & est etiam aliquid de secundo. De primo genere est gratia sanctificans : & de secundo genere est operatio & potestas ministerialis per aliquod signum exterius dispensata , cui inseparabiliter est adjuncta. Primum impossibile est pretio comparari , & vendi , secundum vero possibile est , quamvis simoniacè , pro pretio dari , quia inseparabiliter conjunctum est exteriori Sacramento. Itaque juxta D. Thomam *in 4. dist. 25.* simoniacus non intendit emere illud , quod est spirituale , ut characterem , sed operationem ministerij , quæ est corporalis , & causa Sacramentalis rei spiritualis.

34 Ad difficultatem num. 9. desumptam ex *cap. placuit* 22. §. item opponitur hac caus. & quæst. respondeatur cum D. Hieronymo *in cap. Judices* 23. ead. caus. & quæst. quod cum quidam , qui de simonia reprehendebantur , se excusarent exemplo quorundam , qui in veteri testamento prophetæ munus non exercebant , nisi pro pretio ; ostendit Hieronymus , hoc esse peccatum , & eos damnundos esse tanquam simoniacos : tum ex verbis Prophetæ dicentis Hierusalem propter hoc esse destructam , ibi : *Idecirco propter vos Sion quasi ager arbitur , & Hierusalem ut custodia pomarij erit ; tum etiani ex damnatione Petri in Simonem Magum , de qua Actor. cap. 8. asseritque malos Prophetas , non autem bonos munera accepisse : & excusat Samuelem dicens non esse scriptum , quod illi aliquid obtulissent , sed potius à Prophetæ pascuntur , & invitantur. Et dato , quod ille aliquid accepisset , non fuit in premium prophetæ , sed in stipendum , & sustentationem necessitatis tabernaculi , & ministeriorum ejus : sicut Apostoli fecerunt , qui vitæ necessaria accipiebant ab eis , quibus Evangelium enunciabant , ut pa-*

patet ex 1. ad Corinth. cap. 9. vers. 7. ibi : *Quis mislitat suis stipendijs unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Et tamen Evangelium non vende-  
bant. Similiter excusat Achiam hominem Dei, idem de illo dicens, quod quando uxor Hieroboam accessit ad illum, ut indicaret sibi quid futurum esset de pueru pri-  
mogenito filio ejus ægrotante, & illi detulit decem panes,  
crustulam, & vas mellis, dato quod talia munera rece-  
pisset, ad sumptus, & sustentationem accepit. Ad illud  
verò, quod de Christo dicebamus, quod sicut Christus  
venditus auriculam Malcho restituit, & fecit miracula,  
sic & Spiritus Sanctus possit vendi, & ipsa venditione  
suam gratiam operari, respondet Gratianus in cap. num-  
quam 23. §. cum ergo ead. caus. & quæst. non valere  
similitudinem; nam cum Spiritus Sanctus dona gratiæ spi-  
ritualiter conferat, illa non operatur in perfidis mercimo-  
nijs avaritiæ, Christus autem Dominus gessit illud corpo-  
raliter ad exemplum patientiæ. Et si admittatur paritas;  
ut ab illa non recedatur, respondet Gratianus, quod  
sicut Christus Dominus venditus, non venditori, vel  
ementi, sed eis, qui nescientes aderant, bona suæ gra-  
tiæ contulit, pro quibus etiam in cruce supplicavit; sic  
& Spiritus Sanctus non vendenti, vel eimenti, sed his,  
qui de manibus eorum, ignorantia ducti, Sacra-  
menta dominica accipiunt, suæ gratiæ effectum largiri pro-  
batur.

35 Faciliiori tamen negotio solvuntur argumenta  
contra secundam, & ultimam nostræ assertionis partem ex-  
pensa *suprà num. 10.* & primum quidem omnino corrigit  
nam licet generaliter verum sit, neminem plus juris in  
alium transferre posse, quam ipsi competere dignoscatur,  
ut habetur in leg. *nemo 54. ff. de regul. jur. cum vulg.* tamen  
hoc fallit in aliquibus casibus, ut in tute, & curatore,  
quibus res pupillorum suorum, & adultorum alienandi po-  
testas jure tributa est, *leg. 109. de V.S. in procuratore, §. ni-*  
*bil. 42. Inst. de rer. diu. in judice, §. fin. Inst. de offic. judic.*  
& in casu *leg. non est novum 46. ff. de adq. rer. dom. de quo*  
*in §. 1. Inst. quibus alien. non licet;* ubi dicitur, quod  
qui

qui dominus rei est , alienare potest : & è contrà qui dominus non est, alienandæ rei potestatem non habet, ut in creditore , qui pignus vel lege , vel voluntate debitoris alienare potest , quamvis ea res ipsius non sit. In nostro vero textu dicitur , quòd qui gratiam non accipit , eam alijs præstare nequit , arguento ex regula deducto , quòd nemo dat , quod non habet ; non quia in dominio hominum sit illam præstare ; jam enim diximus , solum Deum principaliter gratiam conferre , & Sacra menta instrumentaliter: sed quia illi , qui simoniace scienter ordinantur , de quibus noster textus loquitur , non accipiunt spiritum veritatis , sed spiritum mendacij , ut patet ex illius litera , & hinc est , quòd effectum , seu virtutem Sacramenti , id est ordinis executionem non accipient , neque alijs conferre possint , ut habetur in cap. *quicunque 12. cum 4. seqq. ead. caus. & quest.*

36 Neque doctrinam hanc infringit textus in *cap. suffraganeis 11. de elect.* nam Archiepiscopus , dum committit suffraganeo consecrationem suffraganei , non committit potestatem ordinis , quæ est indelegabilis , *cap. aqua 9. de consecr. Eccles.* cum proveniat ex charactere ; sed tantum præstat jurisdictionem , quām habet in consecrandis Episcopis , ut Episcopus possit Episcopum ordinare , qui alias ex defectu jurisdictionis illum consecrare non valebat : conjunguntur ergo potestas ordinis , quæ residet in Episcopo delegato , & jurisdictione , quæ mandatur , & sic ex his duobus , jurisdictione videlicet unius , & alterius ordine rite celebratur consecratio ab Episcopo suffraganeo. Nec huic doctrinæ obstat textus in *cap. 1. de traſt. Episcep.* pro cuius interpretatione videndus est D. Gonçal. in *dict. cap. suffraganeis 11. num. 7.* Similiter non obstat assertioni nostræ *textus in cap. 1. supplend. neglig. Prelator.* in cuius specie ideo Abbas , etiam benedictione ab Episcopo non accepta , potest monachos benedicere , & quatuor minores ordines conferre , quia hoc ei fuit ab Ecclesia concessum in poenam Episcopi negligentis , seu negligentis illum benedicere. Nec denique contra hanc partem obstat quod de baptismo à paganis collato

to expendebamus ex cap. 23. & 24. de consecr. diff. 4:  
 nam ut diximus *sup. num. 8.* effectus hujus Sacramenti,  
 sicut aliorum , non provenit ex bonitate , seu malitia  
 ministri , nec ille est , qui gratiam , aut fidem confert,  
 sed virtute Sacramenti ex opere operato Sacra menta ef-  
 fectum fortiuntur : unde Pagani , seu Judæi validè bap-  
 tismum conferunt , quia nihil de suo largiuntur . Hoc  
 tamè procedit , si baptismus ab illis ministretur subpræ-  
 scripta , & debita forma , non verò si sub alia confe-  
 tur , quia tunc baptismus ex defectu formæ invalide con-  
 fertur , uti probant textus in cap. si quis 59. hac caus.  
**O quæst. cap. quos à paganis 52. de consecr. diff. 4.**  
 ubi ideo Pontifex jubet à paganis baptizatos iterum  
 baptizari , quia baptizati non  
 fuerunt sub debita  
 forma.

## AD

TEXTUM

IN CAP. PRECIPUE 3. CAUS. II.

QUEST. 3.

EXTEMPORANEA ELUCUBRATIO

HABITA

IN CELEBERRIMO OMNIUM SCIENTIARUM

SALMANTINO ATHENÆO

Die 16. Junij anno 1718.



ROFUNDUM, vastum, inviumque  
Decreti pelagus toties enaviga-  
tum iterum intrare cogor, in quo  
scopuli, & vada, imo, & Scylla  
sua, & Charybdis est, ut ajebat  
Lipsius cent. ad Belgas epist. 39.  
*Per symplegadas (inquit) naviga-  
tur cholos, & aureum vellus. Quæ  
verba à nullis rectius, quam à  
Professoribus juris usurpanda ve-  
niunt.* Nam quot non subeunt pericula, ne dum vada vitare  
cupiunt, ad scopulum impingant? Quid non tentant? O!  
quoties in altum proiecti coelum sursum, ad quod brachia  
tendant, versumque mare malorum cumulum circunspici-  
ciunt, & O! quoties.

*Spes anxia mentem  
Extrahit, & longo consumit gaudia voto.*

Sed

Sed ut inter tot pericula navibus , atque quadrigis præsentis navigationis portum feliciter attingam , adsit Sanctissima Trinitas , Pater, Filius , & Spiritus Sanctus , nec non dulcissimum Jesu nomen.

*O nomen prædulce mihi , lux , & decus , & spes.*

*Praesidiumque meum , requies , & certa laborum.*

*Tuque , & pulchra semper Diva , tu sola labori*

*Sis præsens , & cœptos præsenti numine cursus*

*Dirige , & infirmam rege per vada cœrula puppim.*

Patriarcharum Sanctissime , Deique parentis Sponse Josephi favo. Angele mi. Custos fidelissime Protector , & lateris comitator adsis. Amantissime Dominice , à qua Iusticum mihi nomen fove clientem. Adesto & vos Divi Francisci , Antoni , Ignati , Xaveri ; Præceptor Angelicae Thoma , Theresia , addictumque tuemini vestrum.

*Quod bonum , atque fortunatum mihi sit.*

**O**BTULIT hesterna fors in præsentem disceptationem textum in cap. præcipue 3. causa 11. quest. 3. cuius Author Nicolaus I. ad Pontificiæ dignitatis culmen assumpitus anno 858. die 24. Aprilis, ut ex Baronio , Platina , & alijs refert Dom. Gonçalez in cap. ubi non est 2. de Desponsat. Impub. num. 1. in eoque continetur quædam epistola ad Regem Lotharium missa, quæ incipit , *Audito reverente missō vestro , & extat Roma in Monasterio Dominicanorum.* Hujus epistola fit etiam mentio in cap. scripti 26. 27. quest. 2. cap. Lotharius 4. 31. quest. 2. & in cap. sive 4. 33. quest. 2. eamque refert Regino lib. 2. chronicor. Ex qua epistola sequentia in nostro textu inveniuntur transcripta verba: *Præcipue Gualdrada pellicis tua , & jam dudum à te repudiatae communionem declinat : excommunicata est enim , & usque ad præsentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata. Quamobrem cavendum est , nè cum ea pari mucrone percellaris sententia , ac pro unius mulierculæ passione vincitus , & obligatus ad perenne traharis existium , &c.*

**E**X quibus verbis ( omissa textus hypothesis,  
 quæ in ejus Theoremate sufficienter cognos-  
 citur ) sequens ab Interpretibus deducitur  
 illustranda conclusio : Communicans cum excommunicato  
 majori excommunicatione ligato , minori afficitur excom-  
 municatione. Quam probant text. in cap. si quis eppus 6.  
 cap. si quis 7. cap. placuit 9. cum seq. cap. sicut Aposto-  
 li 16. cap. excommunicatus 17. cum 2. seqq. cap. rogo 25.  
 cap. si quis 26. cap. qui merito 29. cap. excellentissimus  
 102. cum alijs , caus. 11. quest. 3. cap. fin. 24. quest. 1.  
 cap. de filio 26. 27. quest. 1. cap. Anastasius 9. dist. 19.  
 cap. illa 39. de election. cap. sacris 5. de bis , que vi ,  
 cap. significavit 18. cap. nuper 29. cum 2. seqq. cap. si  
 vere 34. cap. si concubina 55. de sent. excomm. cap. si-  
 quis 2. de Cleric. excommun. minist. cap. a nobis 2. de  
 exceptionib. cap. 3. cap. 9. O 13. de sent. excomm. lib.  
 6. Clement. 2. eod. tit. Ex Concilijs probant etiam nos-  
 tram conclusionem Concil. Nicen. can. 5. Concil. Antio-  
 chen. can. 2. Concil. Tribur. sub Formoso can. 2. Con-  
 cil. Carthag. can. 9. Concil. Constantiense in extravag.  
 ad evitanda. De jure regio consonat text. in leg. 33. tit.  
 9. part. 1. Illustrant nostram assertionem , præter com-  
 muniter repetentes ad nostrum textum , omnes Antiquio-  
 res in cap. 18. cap. nuper 29. O 55. de sentent. excom.  
 D. Cavarr. in cap. alma mater 1. part. S. 3. per tot.  
 Angelicus Magister in 4. sent. dist. 18. quest. 2. art. 3.  
 O 4. in corp. Navarr. in cap. inter verba 55. 11. quest.  
 3. pralud. 7. Soto in 4. sent. dist. 22. quest. 1. art. 4.  
 Eximius Doctor P. Franciscus Suarez de censur. disp. 17.  
 sect. 2. Gibalin. eod. tract. disquis. 7. quest. 9. Hurtado  
 de sentent. excommun. difficult. 3. Avila de censur. disp.  
 10. dub. 3. ConincK de Sacrament. disp. 14. dub. 13.  
 Toletus in Summa , lib. 1. cap. 11. num. 5. O 6. O cap.  
 13. num. 1. Prosper. Fagnan. in cap. 1. de Schismat. ex  
 num. 62. O in cap. 26. de sent. excommun. num. 14.  
 D. Gonçal. in cap. sacris 5. de bis , que vi , num. 5.  
 cum 2. seq. O in cap. 39. de elect. num. 3. O in cap.  
 18. de sentent. excommun. O in cap. 2. de exceptionib. O  
 ibi-

Ibidem duo Magni Primitij Salmaticenses Doctor Balboea ex num. 227. & Doctor Armenteros num. 25. cum 2. seqq. Pater Pirhing. in lib. 5. Decretal. tit. de sent. excommunic. sect. 4. §. 3. ¶ 4 apud quos Interpretes aliorum plurium fit remissio.

Sed ut nostra conclusionis veritas magis elucessat, quasdam adversus eam opponere decrevi dubitandi rationes; opposita enim juxta se posita, teste Seneca epistola 42. clarius elucessunt: dubia ergo redditur nostri textus decisio, quatenus in ea decernitur, communicantem cum excommunicato majori excommunicatione ligato, minorem tantum incurrere excommunicationem. Ceterum antequam ex aliorum jaculis ardescat pugna, sibi ipsi textus noster bella paravit; siquidem ex eo ipso probari videtur communicantem cum excommunicato affici majori etiam excommunicatione, ut demonstrare facile est ex illis verbis: *Ne cum ea pari mucrone percellaris sententia;* at qui Gualdrada majori excommunicatione ligata erat, & quidem vinculo non ab alio, nisi a Summo Pontifice dissolvendo, ut constat ex ipso textu, ibi: *Excommunicata est enim, & usque ad presentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequentata:* ergo si communicans cum Gualdrada pari sententiae mucrone feritur, incurret absdubio excommunicationem majorem. Id ipsum probari potest ex text. in cap. qui merito 29. 11. quest. 3. ubi loquens de communicante cum excommunicatis ita decernitur: *Pari cum eis crimine teneatur obnoxius;* sed non potest esse obnoxius pari criminis cum excommunicato, nisi parem incurrat excommunicationem: ergo si communicans cum excommunicato est reus paris criminis, pari etiam poena, seu excommunicatione puniri debet. Urgetur eadem dubitandi ratio ex cap. significavit 18. de sentent. excommun. ubi dicitur affectus excommunicatione majori ille, qui cum excommunicato communicaverit, ibi: *Eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi.* Id quod etiam statuitur in cap. 2. de Cleric. excommunic. ibi: *Quicumque cum eo communicaverit, similiter se sciatis*

*excommunicatum*; ex quibus aduersus assertione nostram confici potest sequens ponderatio: excommunicatio minor nec similis, nec eadem est cum excommunicatione majori; sed communicans cum excommunicato excommunicatione majori, juxta præallegata jura, simili, imo eadem ligatur excommunicatione: ergo communicans cum excommunicato non minorem, sed majorem incurrit excommunicationem. Idem difficultatis assumptum sua detur manifestius *ex cap. excommunicatos 17. 11. quest. 3.* ubi Calixtus Papa epist. 2. cap. 2. decidit, eum, qui cum excommunicato communicat in oratione, cibo, aut osculo, similem contrahere excommunicationem: ibi: *Juxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subjacebit: ergo quia communicans cum excommunicato non minori, sed majori afficitur excommunicatione, aduersus quod cautum est in nostro textu, & alijs pro ejus confirmatione adductis.*

Nec huic difficultati ex tot textibus stabilitæ, & ponderatæ satisfacies, si dicas, præallegata jura debe re intelligi quatenus loquuntur de simili, aut pari excommunicatione in genere; non autem in specie: ita ut excommunicatio intelligatur par, aut similis quoad privationem Sacramentorum, & eorum perceptionem, in quo consistit excommunicatio minor, quam unicè incurrit, qui contra Juris Canonicam, & Apostolicam prohibitio nem communicat cum excommunicato: & ita docet Panorminatus *in cap. sacris 5. de his, que vi, num. 3.* Turrecremata *in dict. decretis. Dom. Cavarr. in cap. alma mater 1. part. §. 3. num. 3.* Pater Suarez *de censur. disp. 18. sect. 3. num. 14. & disp. 24. sect. 3. num. 2.* & alij, quos referunt, & sequuntur Doct. Armenteros *in cap. a nobis 2. de exceptionib. num. 25.* & Dom. Gonzalez *in dict. cap. 18. de sentent. excommunic. num. 4.* Verum hæc evalsio, præterquamquod falsa redditur ex ipsis verbis textuum, quibus hucusque usi sumus: nam verbum consimili majorem excommunicationem importat, ut *in cap. statutimus 3. de sent. excommunic. lib. 6. aperte convincitur falsitatis, primò ex dict. cap. qui merito 29. 11. quest.*

quæst. 3. ubi communicans cum excommunicato pari cum eodem tenetur crimine ; sed hoc denotat eum affici excommunicatione majori ; siquidem alias non pari tenentur crimine : ergo idem dicendum est in nostro textu, ubi dicitur : *Nè cum ea pari muerone percellaris sententia.* Secundo convincitur etiam falsitatis eadem solutio ex dict. cap. significavit 18. de sentent. excomm. ubi verba illa : *Eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi*, non nisi per summam improprietatem intelligi possunt de eadem excommunicatione in genere & non eadem in specie. Idque sequenti pacto suadeo ; nam absolutio excommunicationis , quam Clerici communicantes contrahunt in prædicto textu , pertinet ad Pontificem , ut postrema ejusdem text. verba manifestè ostendunt : ibi : *Pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi* ; sed si excommunicatio , quam contrahunt communicantes , esset minor , absolutio posset obtineri à simplici Sacerdote , cap. nuper 29. vers. in secundo de sentent. excommunic. junctis quæ tradit Gutierrez lib. 1. Canonic. quæst. cap. 6. num. 7. quem refert Doctor Armenteros ubi supra , num. 26. ergo jura in contrarium expensa intelligi non possunt de excommunicatione eadem , aut simili in genere , seu quoad privationem perceptionis Sacramentorum , sed de simili in specie , seu quoad privationem communionis fidelium , quæ major dicitur excommunicatio.

4. Augetur eadem dubitandi ratio ex Concilio Aurel. apud Burcardum lib. 11. cap. 5. ibi : *Et si quis ei sociaverit , & communicaverit operibus ejus malignis; noverit se simul percutsum anathemate ; at qui verbum anathema non nisi de majori excommunicatione intelligi debet ex traditiis à Doct. Balboa in cap. 2. de exceptiōnib. ex num. 92. ergo non minorem incurrit excommunicationem, qui cum excommunicato communicat.* Id quod constare etiam videtur ex Concil. Carthaginensi can. 9. ubi D. Augustinus ita fatur : *Si quis Presbyter in communione velit excommunicatum recipere , ipse quoque æqualiter criminis obnoxius videatur.* Clarius autem ostendi potest;

tum ex cap. si concubina 55. de sentent. excommunicat. ubi dicitur , quod si publice concubinae Clericorum fuerunt excomunicatae , eò quod noluerint à Clericis concubinarijs recedere , non est dubium , eosdem concubinarios majoris quoque excommunicationis sententia involvi . Tum etiam ex cap. nuper 29. §. in secunda vero quaestione , eod. tit. ubi idem statuitur , simulque additur communicantes cum excommunicatis adeo majorem excommunicationem incurrere , ut ab ea non possint absolviri , nisi per illum , à quo principalis excommunicatus absolviri potest ; eò quod , ut idem textus rationem praestans dicit , agentes , & consentientes par poena constringat , juxta textum in cap. 1. de offic. delegat. docetque Eximius Doctor P. Suarez dict. disp. 17. de censur. sect. 2. num. 3. Insuper eadem nostri textus assertio specialiter impugnatur ex cap. sacris. 5. de his , quæ vi , ubi Innocentius III. decernit , quod licet communicans cum excommunicato invititus , seu compulsus per vim præcisam non incurrat excommunicationem , hanc tamen incurrit , qui per metum inductus , id est per vim conditionalem communicat cum excommunicato , & rationem præstat , quia videlicet pro nullo metu debet quis peccatum mortale admittere : ergo qui per vim conditionalem , seu per metum inductus cum excommunicato communicat , efficitur reus peccati lethalis , quin majori etiam excommunicatione afficiatur : ergo ita afficitur per solam cum excommunicato communicationem . Quæ illatio non solum est difficilis aduersus nostri textus doctrinam , sed difficilior redditur , si conferatur cum decisione textus in cap. inter alia 32. cap. si verè 34. de sentent. excommunic. jurct. cap. quoniam 103. 11. quaest. 3. in quibus statuitur ; immunem esse ab omni vinculo excommunicationis eum , qui aliqua necessitate compulsus communicat cum excommunicato , ibi: *Nisi articulus necessitatis immineat* : ergo similiter qui metu conditionali in dict. cap. sacris 5. communicavit cum excommunicato , nullam omnino excommunicationem contrahet ; cum metus ille quamvis conditionalis aliquam necessitatem inducat .

5 Nec minus efficaciter urgetur assertio nostra ex textu *in cap. cum excommunicato* 18. 11. *quest. 3.* ubi D. Isidorus *in regula Monachorum* *cap. 18.* nos edocet , cum excommunicato nec orare , nec loqui , nec veseci licere, adeo , ut si quis cum eo , aut palam , aut occulte loquuntus fuerit , statim communem excommunicationis contrahet poenam : ergò quia non minorem , sed majorem excommunicationem incurrit, qui cum excommunicato communicat , adversus doctrinam traditam in nostro textu. Suadetur consequentia ; nam in præallegato *cap. cum excommunicato* 18. communicans cum excommunicato dicitur absolute contrahere communem poenam excommunicationis ; sed verbum *excommunicatio* absolute prolatum accipitur in jure pro majori excommunicatione ut constat ex *cap. pen. de sentent. excomm.* ubi D. Gonçalez num. 1. probat atque late explicat Doctor Balboa *in cap. 2. de exceptionib. a num. 98.* ergò communicans cum excommunicato non minori , sed majori afficitur excommunicatione.

6 Tandem , pluribus omissis , nè nimium in eorum impliciter solutione , redditur difficilis textus nostru decisio *ex cap. de filia* 26. *caus. 27. quest. 1.* ubi parentes cum filia excommunicata communicantes declarantur eodem excommunicationis vinculo ligati. Ex qua decisione non solum impugnatur textus noster , verum etiam nimium difficilis appareat decisio text. *in cap. quoniam multos* 103. *quest. 3.* ubi habetur uxorem , & filios communicantes cum marito , & Patre excommunicato nullam incurtere excommunicationem ; eò quod communicatio fiat ex aliqua necessitate , ut nuper dicebamus *ex cap. 3. & 34. de sentent. excommunic.* ergò vel assertendum est , decisiones istas , utpote inter se pugnant , nullius esse roboris , vel omnino dicendum , assertiōnem ex textu nostro deductam apertè impugnari *ex prædictis textibus* ; siquidem ex primo docemur , parentes cum filia excommunicata communicantes , eodem excommunicationis vinculo ligari ; ex secundo autem instruimur *& contra* , nullam omnino incurtere excommunicationem

uxorem , & filios , qui cum marito , & Patre excommunicato communicant ; quæ omnia aperto Marte pugnant cum textu nostro , quatenus in eo asseritur communicantem cum excommunicato minori affici excommunicatione.

7 Hæc sunt , quæ aduersus nostrum textum intraviginti quatuor horarum spatiū coadunare potui , quæ & si non evertunt , difficilem tamen ejus decisionem reddunt. Et ut ejus littera clariori luce post nebulas impugnationis apparere possit , aliqua supponenda , atque prænotanda duxi. Igitur supponendum est , omissis varijs communionis speciebus , & diversis excommunicationis definitionibus , quas tradunt , & illustrant Eximius Doct. P. Suarez , Avila , Gibalinus , & Leander in suis tractatibus de censuris , Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 1. §. igitur , & alij , quos refert P. ConincK de Sacrament. disp. 14. dub. 1. num. 1. excommunicationem communiter dividi in maiorem , & minorem. Major est Ecclesiastica censura , qua fidelis perceptione Sacramentorum , & communione fidelium privatur. Minor vero est , quæ privat tantum passiva Sacramentorum participatione , uti probant text. in cap. à nobis 2. de exceptionib. ibi : Cum primus a communione fidelium sit exclusus , secundus verè tantum à Sacramentorum participatione sit remotus , cap. si celebrat. 10. de Cleric. excommunic. ministrant. cap. nuper 29. cap. pen. de sentent. excommunic. cap. qui merito 29. cap. omnis Christianus 32. cum seq. 11. quæst. 3. junct. leg. 1. & 5. tit. 9. part. 1. ubi Gregorius Lopez : diciturque minor excommunicatione habito respectu ad majorem ; nam licet magna poena sit passiva perceptionis Sacramentorum privatio , ita ut olim simpliciter excommunicatione diceretur , ut ex Canone 10. alias 11. Apostolorum constat , & probatur ex cap. Sacerdote 63. de consecrat. diff. 1. attamen multò gravior est , quæ infligitur per majorem excommunicationem , quæ privat etiam excommunicatum politica communione fidelium , ideoque ejus respectu minor excommunicatione dicitur , quemadmodum minor capitis diminutio appellatur respectu majoris , & maxima , §. mtnor

nor 2. Inst. de capit. diminut. ut cum Mario Alterio lib. I. de censur. disp. I. cap. 5. notat Salmaticensis Primarius noster Doctor Armenteros in repet. ad text. in d. cap. a nobis 2. num. 8. juncto P. Pirthing. in lib. 5. decretal. tit. de sentent. excomm. sect. I. §. 2. num. 7.

8 His etiam censuris plerumque in antiquis Ecclesiae Canonibus adjicitur anathema, quod licet quoad vinculum non differat ab excommunicatione majori, tamen quoad solemnitatem, cuius forma habetur in cap. deibent 106. II. quest. 3. maxime differt, ut tradit Abbas in cap. cum ab Ecclesiis 3. de offic. judic. ordin. n. 5. Itaque inter excommunicationem majorem, & anathema non est differentia essentialis, sed solum accidentalis; nam per excommunicationem majorem omnino fit separatio à communione fidelium, juxta Div. Augustin. lib. de unitate Ecclesiae, cap. fin. & constat ex causa II. quest. 3. & ex Concil Tridentin. Sess. 25. de reformat. cap. 3. notat Sotus in 4. dist. 22. q. I. art. I. Quapropter Decreta, quæ discrimen constituant inter excommunicationem majorem, & anathema, loquuntur proculdubio de distinctione accidentalii tantum, ita ut quando in excommunicationibus à jure, vel ab homine latis adjungitur verbum illud anathema, gravitas delicti notatur, ut docet alter Primarius nost. Doct. Balboa in d. cap. a nobis 2. de exceptionib. num. 94. ubi explicat quid in Ecclesia intelligatur per anathema. De cujus origine, significatione, & effectum plura etiam tradiderunt P. Suarez de censur. disp. 8. sect. 2. ex num. 2. Dom. Covarrubias in cap. alma mater I. part. §. 8. à num. 6. Dom. Gonçal. in cap. cum non ab homine 10. de judicijs num. 7. ¶ 8.

9 Huic tamen doctrinæ obstare videtur sequens consideratio: nam in excommunicatione majori (utpore, quæ privat omni Ecclesiastica communione, adeoque summa privatio appellari solet) distincti gradus considerari valent, scilicet major, & maxima privatio; ast ut ex Sacris Canonibus colligitur, anathema est quædam censura maxima, simplicemque excedens excommunicationem majorem, juxta text. in cap. fin. 3. quest. 4. ubi de

Engeltruda dicitur non solum excommunicatione, quæ à fraterna separat societate, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore recidit, crebro percussam esse; & idem colligitur *ex cap. nemo 41. 11. quæst. 3.* ubi privatio communionis Ecclesiasticæ ab anathemate distinguitur, textus est etiam dissertus *in cap. cum non ab homine 10. de judicijs*, ubi Clericus in homicidio, vel alio crimine deprehensus deponitur, & si depositus fiat incorrigibilis, excommunicatur, & contumacia crescente anathematizatur, tunc sic: si clericus incorrigibilis jam erat majori excommunicatione ligatus, ad quid novo anathematis murcone feritur, si anathema, & excommunicatio essentia litèr non differunt? ergo, &c. Sed his non obstantibus adhuc tenendum est, quoad vim, & effectum non esse majoris potentiae, & efficaciam anathema, quam excommunicationem majorem, licet in accidentibus differant, in ritibus videlicet, solemnitatibus, & cæremonijs inducentibus terrorem, & culpæ execrationem. Et hinc in usu Ecclesiæ anathema dicitur alicujus segregatio ab Ecclesia, consortio fidelium, & totius Christianitatis, cum maledictionibus, & externis execrationibus facta, *cap. quidem 2. caus. 5. quæst. 1. cap. debent 106. cum seq. 11. quæst. 3. leg. 13. tit. 9. part. 1.* tradunt copiosè Dom. Covarr. *in cap. alma mater 1. part. §. 8. à num. 6. P. Laymann. tom. 1. oper. moral. tract. 5. p. 2. cap. 1. num. 7.* Quare in Canonum decretis plerumque anathema fertur contra hæreticos, & alios gravia perpetrantes facinora ad indicandam criminum atrocitatem, ut probant sic intelligendi textus *in cap. si qui 1. cap. quæcumque 2. & alij ferè omnes dist. 30. Doct. Balboa in dict. cap. à nobis 2. de exception. num. 93.*

**10** Quibus sic expositis non obstant jura in contrarium expensa; verissimum enim est, excommunicationem, & anathema diversa esse secundum extrinsecam, solemnemque formam, ita ut anathema solum addat aliquid ad exagerandam culpam, & poenam. Et de hac accidentalí differentia intelligenda sunt omnia jura, quæ discrimen constituunt inter excommunicationem, & anathema

ma, & hoc modo facile intelligitur text. *in dict. cap. cum non ab homine 10.* ubi aduersus contumacem primò indicenda est excommunicatio major, deinde anathema-tis mucrone, seu illis execrabilibus maledictionibus fe-riendus est, ut ibidem notant *Panorm. num. 23.* & *D. Gonç. num. 7.* Sed adhuc urget difficultas *dict. cap. fin. 3. quæst. 4.* ubi anathema essentialiter distinguitur ab ex-communicatione. Cui (omissa solutione Silvestri *in summa*, verbo *excommunicatio*, *num. 3.* quam rejicit Doct. Balboa *ubi supra*, *num. 95.*) dupliciter responderi po-test, primo cum *Glossa ibidem*, & in *cap. si iudicatus 15. 11. quæst. 3.* quam sequitur Doct. Armenteros *in d. cap. à nobis 2. num. 17.* dicens, primam illius textus partem, quæ asserit Engeltrudam fuisse percussam excom-municatione, quæ à fraterna separata societate, intelligi de minori excommuicatione; hæc enim, cum privat Eucharistia, quæ dicitur communio, *cap. fin. dist. 5. cap. omnis homo 21. de consecrat. dist. 2. Concil. Trident. Sess. 21. cap. 2.* cò quòd communis sit unio, per quam unimur ad germanam usque societatem, rectè dici potuit fraternæ societatis separatio, ut probat sic accipiendus text. *in cap. fin. 11. quæst. 3. ibi: Societatis nostræ par-ticipationem fortiantur*, quæ verba etiam exponuntur de minori excommunicatione; secundam vero text. partem, quæ loquitur de anathemate, exponi de majori excom-municatione, ut constat ex illis verbis: *Quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit*, ubi Eccle-sia significat collectionem justorum, qui sunt per chari-tatem Deo uniti, *cap. omnis Christianus 32. 11. quæst. 3. cap. Ecclesia 70. de pœnit. dist. 1.* Verum hæc inter-pretatio sustineri nequit; repugnat namque verbis ejus-dem text. ibi: *Quæ à fraterna separata societate.* Quæ aper-te denotant etiam in prima parte loqui de excommunica-tione majori; excommunicatio enim minor solùm privat Perceptione Sacramentorum, non vero communione fideliuum.

11 Quare omissa hac solutione magis placet in-terpretatio P. Suarez *de censur. disp. 8. sect. 2. num. 9.*

quæ ut facilius percipiatur , prius notare oportet , communionem , quæ inter fideles haberi potest , multiplicem esse : una est purè civilis , & politica , quæ consistit , & exercetur in externis actionibus , veluti in colloquio , mutua salutatione , communī mensa , & alijs ad humanam societatem pertinentibus . Alia verò est spiritualis , quæ in tres subdividitur species , quarum alia est merè interior , alia merè exterior , alia mixta , ut recte considerant D. Covarr. in cap. alma mater 1. part. §. 6. num. 1. Doct. Armenteros in dict. cap. à nobis 2. num. 5. ¶ 6. Interior dicitur participatio in gratia , charitate , & fide , qua mediante fideles inter se , & cum Christo mysticè copulantur , juxta illud Apostoli ad Romanos , cap. 12. ibi : *Multi unum corpus sumus in Christo : & ad Ephesios , cap. 4. ibi : Unum corpus , ¶ unus spiritus , ¶ una spes vocationis nostræ : & ad Corinth. cap. 12. ibi : Vos autem etsis corpus Christi.* Ratione cujus unionis fideles sibi invicem communicant merita , non quoad præmium essentiale , & de condigno , sed quoad impetrandum à Deo specialia beneficia , & peculiarem protectionem , aut providentiam , juxta illud Psalmi 118. ibi : *Particeps ego sum omnium timentium te.* Exterior verò communio dicitur participatio eorumdem Sacramentorum , usus ejusdem sacrificij , & communicatio in alijs officijs , & rebus sacris non considerando fructum internum ex eisdem provenientem . Tertia denique communio mixta partim interior , & partim exterior est , qua omnes fideles participes sumus communium suffragiorum Ecclesiæ , quæ in sacrificijs , alijsvè publicis officijs ad Deum pro universa Ecclesia funduntur : cujus est propria illa Sanctorum communio , de qua fit mentio in Symbolo fidei , dum in eo dicitur : *Sanctorum communionem : & mixta dicitur , quoniam constat actibus , & externis cæremonijs , & ordinatur insuper ad dona spiritualia , nempè ad conferendam , & accipiendam gratiam , vel ad eam augendam , aut conservandam , ut cum D. August. Magistro Sentent. D. Thoma , & alij recte ostendit D. Gonçal. in cap. significavit 18. de sentent. excom. num. 1. cui adde Patrem*

Pirhing. in lib. 5. Decretal. tit. de sentent. excommunic. sect. 1. §. 2. num. 4. Quo supposito jam patet facilis solutio ad dict. cap. fin. 3. quest. 4. in prima parte , quæ intelligenda est de illa excommunicatione , quæ olim erat in usu , qua quis ab externa communione , convictu , & familiaritate fidelium separabatur , absque eo , quod separaretur ab Ecclesiæ communibus suffragijs ; & de eadem excommunicatione minori accipiendus est text. in cap. numero 41. II. q. 3. & alij , quos refert D. Gonç. ubi proximè n. 3.

12 Ex dictis ergò satis constat , veram esse communionem divisionem in majorem , & minorem excommunicationem , ita ut minor à perceptione tantum Sacramentorum removeat , major vero non solum à Sacramentorum perceptione , verum etiam à communione fidelium , cap. pen. de sent. excommun. cap. 2. de exception. majori enim excommunicatione ligatus separatur ab aliorum consortio , tamquam ovis morvida , ne inficiat alios , cap. corripiantur 17. 24. quest. 3. & tamquam leprosus , qui lege veteri separabatur ab alijs , ut nullum cum eo esset commercium , ut constat Levitici , cap. 13. & alijs Scripturæ locis , quos congerit D. Gonçalez in cap. 1. de conjug. leprosor. num. 2. Quæ privatio communionis , atque commercij efficit , ut nullus cum excommunicato habere possit colloquium , convictum , salutationem , seu orationem , nec ipse se valeat ingerere predictis actibus societatis , & communionis , cap. nuper 29. cap. pen. de sent. excommun. dict. cap. à nobis 2. ibi : In locutione , vel oratione , cap. sicut Apostoli 16. 11. quest. 3. ibi : Siquis cum excommunicatis aversando regulas scienter saltet in domo simul locutus fuerit , cap. excommunicatos 17. eadem caus. Q. quest. ibi : Aut cibo , aut potu , aut osculo ; Paul. I. ad Corinth. cap. 5. ibi : Cum bujusmodi ne cibum sumere . Joann. epist. 2. ibi : Neque ave ei dixeritis : quæ omnes privationis partes solent hoc versu comprehendi ,

Os , orare , vale , communio , mensa negatur.

Quem refert Glossa in cap. statuimus 3. verbo alijs , de  
S3 sent.

sent. excomm. lib. 6. cumque sigillatim explicant Turril. cremata in cap. si inimicus 15. 11. quæst. 3. num. 3. P. Suarez ubi supra, disp. 15. sect. 1. num. 2. Dom. Gonçal. in cap. sacris 5. de his, quæ vi, metuvè, num. 6. ubi plures refert. Quare si quis contemptis Ecclesia clavibus cum excommunicato communicaverit, in minorem excommunicationem incidit, non ex juris divini dispositio-  
ne, ut aliqui minus rectè existimarunt, sed tantum ex jure Ecclesiastico ab Apostolis statuto, ut refert Fabian. in cap. sicut Apostoli 16. 11. quæst. 3. Idemque postea cautum fuit in cap. excommunicatus 17. cap. cum excom-  
munic. 18. 11. quæst. 3. & alijs, quæ refert D. Gon-  
çal. in dict. cap. sacris 5. num. 5. & in cap. significavit 18.  
de sent. excomm. num. 4. ubi latè hanc partem illustrat.  
Et an Pontifex incidat in minorem excommunicationem,  
si participet cum excommunicato disputant Aug. Barbosa  
in collect. ad cap. si inimicus 1. dist. 93. & Prosper. Fag-  
nan. in cap. si aliquando 41. de sent. excommun. num.  
15.

13 Verum omnia hucusque à nobis pro clariori  
nisi nostri textus intelligentia statuta, & declarata everte-  
re videtur decisio difficultis textus in cap. sacris 5. de his  
quæ vi, metuvè fiunt, ubi Innocentius III. decidit, quod  
& si communicans cum excommunicato, omnino invitus,  
id est, compulsus per vim præcisam, excommunicatio-  
nis censuram effugiat, is tamen, qui per metum, id est,  
per vim conditionalem inducitur ad communicandum cum  
excommunicato, excommunicationis labe inquinatur, cum  
pro nullo metu debeat quis mortale peccatum committe-  
re: ergo qui communicat cum excommunicato, morta-  
liter peccat, & majori afficitur excommunicatione. Cu-  
jus textus decisio summè difficultis visa est DD. Jurisper-  
ritis, & Theologis relatis à Barbosa in collect. ad eum  
text. num. 3. & 4. qui, ut difficultatem effugiant, va-  
rios excogitarunt exponendi modos. Sed eis omissis pro  
teriori illius textus intelligentia, observare oportet, com-  
municationem cum excommunicato prohibitam esse non  
modo in alloquutione, osculo, amplexu, mensa, & alijs  
ac-

actibus, qui requirunt exteriorem declarationem ejus, quiccum excommunicato communicat, & aliquam ejus actionem; verum etiam in actu audiendi rem sacram, & alis, in quibus passim se habet quoad explicationem sui animi sic communicans, ut notat D. Covarr. in cap. alma mater 1. part. §. 3. num. 9. in fin. & sic respectivè ad actus utriusque generis potest verificari metus, & vis conditionalis in prioribus, & vis præcisa, & absoluta in posterioribus. Insuperque notare oportet, quod tametsi in metu vis adsit, non tamen inest metui vis illa, quam dicimus vim præcisam, & absolutam, & simpliciter appellatur violentum. In qua evenit, quod is, qui illam patitur, potius pati, quam agere videatur, ut rectè explicat P. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 1. num. 1. ¶ 4. cui adde Prosperum Fagnanum in cap. majores 3. §. item queritur de baptismo, num. 15. & Dom. Gonçal. in cap. relatum 1. de his, quæ vi, num. 12. & colligitur ex Arist. 3. Ethicor. cap. 2. ubi sic ait: *Violentum est quod fit ab extrinseco passo non conferente vim;* & ex J. C. Paulo in leg. 2. ff. *quod metus caus.* ibi: *Vis est maioris rei impetus, qui reppelli non potest.*

14 Ex qua bimembri communicationis, metusque specie dimanat ratio ad bipartitam dispositionem text. in dict. ap. sacris 5. ut videlicet in ea parte, in qua excusatur communicans cum excommunicato, accipiatur de eo, qui per vim præcisam communicat. Et ratio est, quia vis absoluta omnino voluntati repugnat, omnemque consensum ab agente excludit, ideoque ita communicans nullam incurrit excommunicationem. In ea vero parte, in qua non excusatur, accipi debeat de eo, qui voluntatem licet coactam accommodavit in alloquitione, oratione, & id genus alijs. Merito ergo Innocentius III. docet, sic communicantem majorem incurtere excommunicationem, cum voluntas coacta, vera voluntas sit, cap. I. 15. quest. 1. leg. si mulier 21. §. si metu 5. ibi: *Coactus voluit,* ff. *quod metus causa.* Sic D. Covarr. ubi sup. §. 3. num. 9. Sotus in 4. dict. 22. quest. 1. art. 1. P. Suarez de censur. disp. 6. sect. 3. per tot. Neque huic doc.

doctrinæ obstant textus in cap. quoniam multos 103. II.  
 quest. 3. cap. inter alia 32. cap. si verè 34. de sent.  
 excomm. in quibus propter fama necessitatem, & simili-  
 lia communicans cum excommunicato excusatur, & nul-  
 lam contrahit excommunicationem; nam hæc difficultas  
 facile eliditur afferendo, textum in dict. cap. sacris 5. pro-  
 cedere in casu, quo excommunicatione cum ex-  
 communicato resultat circumstantia intrinsecè mala;  
 veluti cum metus incutitur in odium, & con-  
 ceptum Catholicæ fidei, & Ecclesiastice censuræ; tunc  
 enim constat numquam esse licitum propter metum, etiam  
 mortis, cum excommunicato communicare, quia esset  
 virtualiter fidem Catholicam negare, seu contemnere, vel  
 contemptori cooperare, ideoque si non abstineat ab ejus  
 communione, lethale peccatum committit, & majori af-  
 ficitur excommunicatione, juxta textus sic etiam intelli-  
 gendos in cap. superveniente 72. I. quest. I. cap. fin.  
 24. quest. I. explicant præter proxime citatos Interpre-  
 tes Azor I. part. moral. lib. I. cap. 6. quest. I. Navarr.  
 in cap. inter verba 55. II. quest. 3. prælud. 7. Doct.  
 Balboa ubi sup. ex num. 64. ♂ in cap. exceptionem 12.  
 de exception. ex num. 22. Cum autem in d. cap. quoniam  
 multos 103. II. quest. 3. cap. inter alia 32. ♂ cap. si  
 verè 34. de sent. excommun. non oriatur circumstantia in-  
 trinsecè mala ex communione cum excommunicato, ideo  
 est ratio omnino dispar. D. Gonçal. in dict. cap. sacris  
 5. num. II.

15 Nec superioribus quidquam obstat textus in  
 cap. si concubine 55. de sent. excomm. ubi communi-  
 cans cum excommunicato majori excommunicatione in  
 eandem incidit excommunicationem; nam huic difcul-  
 tati communiter fit satis dicendo, illum textum proce-  
 dere in communicante cum excommunicato in eodem  
 crimine, propter quod alter fuit excommunicatus; tunc  
 enim utcumque communicatio contingat, si ea sit in cri-  
 mine damnato, afficit communicantem majori excommu-  
 nicatione; nam quamvis jure naturæ sit intrinsecè malum,  
 & per se prohibitum participare cum aliquo in ejus cri-  
 mines;

mine; nihilominus quoties aliquis excommunicatur pro crimen; omnes fideles speciali præcepto Ecclesiastico prohibentur, nè cum illo participant in tali crimen, adeò ut sic participantes eandem incurant excommunicationem majorem, quæ imposita est ipsi principali delinquenti, à qua non possunt absolvī, nisi ab illo, à quo absolvī potest ipse principaliter excommunicatus, ut habetur *in cap. nuper 29. de sent. excomm. & in cap. statuimus 3. eod. tit. lib. 6.* & probant sic intelligendi textus *in cap. Anas-tasius 9. dist. 19. cap. rogo 25. 11. quest. 3.* & ratio est, nam communicans cum excommunicato in eodem crimen, damnatus censetur de ipso crimen, docent Dom. Covarrub. *in cap. alma mater, 1. part. §. 3. à num. 5.* Silvest. verbo *excommunicatio 8. num. 10.* & alij apud Barbos. *in collect. ad dict. cap. nuper 29. num. 3.* ubi num. 5. addit, ut participans in crimen criminoso cum excommunicato prædictam excommunicationem incurrat, requiri primò, ut participet in eodem crimen, propter quod alter fuit excommunicatus; non verò sufficit, quod communicet in alio crimen etiam graviori, cujus causa excommunicatio non fuit lata, vel in alijs, quam in crimen, ut in locutione, vel oratione, &c. tunc enim talis participatio non est sufficiens, ut communicans incidat in excommunicationem majorem, sed minorem tantum, Abbas *in dict. cap. nuper 29. num. 2.* D. Covarr. *dict. §. 3. num. 5.* Requiritur secundò, ut ista participatio sit, postquam commissum est crimen, & contracta est ab illo excommunicatio. Tertiò, ut communicans sciat illum, cum quo participat, excommunicatum fuisse propter tale crimen, ut patet *ex citat. cap. nuper 29. §. in secunda*, ibi: *Scienter in crimen com-municat criminoso.* Quartò denique, ut participet post de-nuntiationem nominatim factam ei, qui illam incurrit. Neque huic doctrinæ adversatur Clement. unic. de consang. & affinit. pro cuius intelligentia vid. P. Sanchez de ma-trim. lib. 7. disp. 48. num. 3.

16 Neque etiam nostram destruit assertionem text: *in cap. excommunicatos 17. 11. quest. 3.* dum docet com-

municantrem cum excommunicato similem incurrere excommunicationem , ibi : *Fuxta Apostolorum institutionem , & ipse simili excommunicationi subjacebit.* Nam respondendum est , ea verba esse ( F ) intelligenda de simili excommunicatione in genere , non in specie ; ita ut eadem intelligatur excommunicatio quoad privationem Sacramentorum , & eorum perceptionem , quæ minor dicitur , & ab eo incurritur , qui contra Juris Canonicam , & Apostolicam prohibitionem communicaverit cum excommunicato. Similitudo enim non semper dicit æqualitatem , leg. I. §. quid ergo 5. ff. quod jussu , & inter minorem , & majorem excommunicationem est aliqua similitudo , etiam si non sit æqualitas. Et eodem modo exponuntur verba text. in cap. *siquis Presbyter 2. de Cleric. excommunic.* ibi : *Quicumque cum eo communicaverit , similiter se sciat excommunicatum.* Et text. in cap. *cum excommunicato 18. II. quest. 3.* ibi : *Siquis enim cum eo aut palam , aut absconsè locutus fuerit , statim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam ;* in quibus dicitur , communicantem cum excommunicato eadem ligari excommunicatione : ut elegantè docent Panormitan. in cap. *sacris 5. de bis , quæ vi , num. 3.* Turrecresmata in dictis decret. D. Covarrub. in cap. *alma mater , I. part. §. 3. num. 3.* P. Suarez de censur. *disp. 18. sect. 3. a num. 13.* Barbos. in collect. ad text. in cap. *sicut Apostoli 16. II. quest. 3. num. 2.* Neque obstat , quod verbum *excommunicatio* absolute prolatum accipiatur , pro majori excommunicatione , *cap. pen. de sentent. excomm.* nam hoc limitandum est , quando ex antecedentibus , & subsequentibus verbis apertè colligi potest , sermonem institutum esse de excommunicatione majori , ut in dict. *cap. cum excommunicato 18. & alijs supra relat.* videndus est D. Gonçal. in dict. *cap. pen. num. 1.* Et de pari , seu simili excommunicatione in genere , & non in specie intelligenda etiam sunt verba illa nostri textus : *Cum ea pari muerore percellaris sententia.* Quamvis Dom. Gonçalez in cap. significavit 18. de sent. *excommunic.* num. 4. circa fin. sentit Regem Lotharium

(F)

*Hic inter  
cessit sign-  
um ; nec  
ultra Pra-  
lector pro-  
sequitus  
fuit.*

majori ligari excommunicatione, eo quod communicabat cum Gualdrada in eodem crimen, pro quo Gualdrada ipsa majori excommunicatione ligata fuit, juxta doctrinam *vum. ant.* traditam: quod etiam per me licet.

17 Sed proximè dicta enervare videtur textus in dict. cap. significavit 18. de sentent. excommunic. ubi probatur, esse majori excommunicatione affectum eum, qui cum excommunicato communicaverit, ut denotare videntur verba illa: *Eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi*: ubi Glossa verbo: *Eadem* exponit eum textum de eadem excommunicatione in genere, videlicet quoad privationem tantum perceptionis Sacramentorum, de qua exposuimus Canones num. proximo relatos. Sed hæc Glossæ interpretatio ullo pacto subsisteri non potest ex dictis supra in rationibus dubitandii num. 3. Quare ea rejecta verius dicendum est, superioris resolutionis nobilem contineri exceptionem, & speciale jus constitui in dict. cap. significavit 18. in quo communicans cum excommunicato majori afficitur excommunicatione à solo Pontifice auferenda, quinque tamen concurrentibus, quæ expressim in serie ejusdem textus designantur. Primò, quod excommunicatus, cum quo communicatur, sit judicialiter, & nominatim censura ligatus à solo Pontifice. Secundò, quod communicans sit Clericus. Tertiò, quod communicet in divinis in Ecclesia, vel extra simul orando, aut aliás. Quartò, quod communicet sciens, esse à Pontifice nominatim excommunicatum. Quintò, quod communicatio contingat sponte, & nullo præmisso metu. His etenim simul concurrentibus communicans cum excommunicato majorem contrahet excommunicationem à solo Pontifice delendam: quorum si aliquod deficiat, non incurret majorem, sed tantum minorem, ut tradunt Illust. Præses D. Covarr. ubi sup. 1. part. S. 3. à num. 6. P. Suarez de censur. disp. 10. sect. 2. à. num. 8. &c sic intelligendus est textus in leg. 33. tit. 9. part. 3. Similiter communicans majorem etiam incurrit excommunicationem, quando lata est excommuni-

catio contra participantes , cap. excellentissimus 102. 11.  
quest. 3. cap. quod in dubijs 30. cap. sacris 38. de sent.  
excommun. Doct. Balboa in cap. 2. de exceptionib. num.  
fin. Idemque dicendum judico in alijs casibus , quos re-  
fert Dom. Gonçal. in cit. cap. significavit 18. num. 4.  
*in fin.*

18 Explicuimus hucusqne nonnullos casus , in  
quibus communicans cum excommunicato jam majorem,  
jam minorem incurrit excommunicationem. Nunc autem  
ex adverso numerare libet casus , in quibus communicans  
cum excommunicato , etiam majori excommunicatione  
ligato , nulla afficitur excommunicatione , quique ex cap.  
quoniam 102. 11. quest. 3. cap. responso 43. cap. cum  
voluntate 54. de sentent. excommunic. hoc vulgari ver-  
culo continentur.

*Utile , lex , humile , res ignorata , neceſſe.*

Cujus versiculi meminit Glos. in cap. cum desideres 15.  
verbo : *Excommunicationis* , de sentent. excommun. pro cu-  
jus explicatione ( quia nobis temporis pressura amplius  
immorari non permittit ) videndi sunt D. Thomas 4.  
dist. 18. art. 4. quest. unc. 1. Pater Suarez de censur. disp.  
15. sect. 3. cum 5. seqq. Cardinalis Toletus in summa,  
lib. 1. cap. 11. ex num. 6. P. Pirhing. in lib. 5. Deere-  
tal. tit. de sentent. excommun. sect. 4. §. 2. per tot. D. Gon-  
çal. in cap. sacris 5. de his , que vi , num. 7. ubi plu-  
res refert. Illud tamen pratermittendum non est , doctri-  
nam suprà traditam , quantum ad communicationem cum  
excommunicatis , quamvis secundum jus antiquum uni-  
versaliter procedat , tamen limitandam esse post Constantiense  
Concilium sub Martino V. in quo edita fuit Constitutio incipiens , ad evitandum , quam ad litteram refert  
D. Antonius in 3. part. tit. 25. cap. 2. Felinus in cap.  
Rodulphus 35. vers. Insuper ad evitanda , de rescrip. num.  
39. Silvester in verbo excommunicatio 5. num. 7. vers.  
Sciendum est 4. & Sotus in 4. dist. 22. quest. 1. art. 4.  
& quæ in favorem fidelium facta est , ad evitanda scan-  
da-

dala , & multa pericula , quæ ex participatione cum excommunicatis contingebant; permisit etenim Martinus. V. nè fideles multum detrimenti paterentur , eos non semper obligari quoscumque excommunicatos vitare , quantum ad communicationem illo versiculo contentam , *Os, orare, vale, communio, mensa negatur* , quem supra num. 12. retulimus; sed unicè teneri tantùm vitare duplex genus excommunicatorum , nempè , percussores Clericorum notorios , & nominatim excommunicatos , postquam denuntiati , & declarati fuerint ; cæteros vero , sive à jure , sive ab homine , etiam nominatim excommunicatos , non tamen denuntiatos , non teneri vitare , sed licere fidelibus cum ipsis communicare etiam in administratione , & receptione Sacramentorum , vel alijs divinis : quod quidem privilegium non in favorem cedit ipsorum excommunicatorum , quasi liceat ipsis excommunicatis , illis duobus exceptis , communicare , sicut licet non excommunicatis ; hoc enim non ita est , nam ipsi excommunicati nullam ex hoc utilitatem reportant , sed semper tenentur abstinere à communione fidelium , ut rectè adnotarunt Doct. Navarr. in cap. 1. §. labore. de pœnit. dist. 6. D. Covarr. in dict. cap. alma mater , part. 1. §. 2. num. 11. quibus adde P. Pirhing. ubi sup. sect. 4. §. 1. & Prosper. Fagnan. in cap. quod à Prædecessore 1. de Schismat. a num. 39. ubi latè agit de intellectu suprà relatae Martini V. constitutionis ; & num. 56. an eidem constitutioni fuerit derogatum quoad notoriè excommunicatos per aliam constitutionem Cœcilij Lateranen. novissimi sub Leone X.

19 Quibus sic animadversis , jam non obstant dubitandi rationes suprà num. 2. cum 4. seqq. expensæ , si rectè hucusque dicta intueantur ; ex eis enim commodam solutionem accipere poslunt , quæ jam in præmissis expressæ satisfactæ remanent. Nec etiam obstat textus in cap. qui merito 29. bac caus. O' quæst. dum docet communicantem cum excommunicato pari cum eodem criminis teneri , quod denotat eam excommunicationem maiorem esse ; nam licet , verum sit , communicantem cum ex-

excommunicato majori excommunicatione ligato , mino-  
ri tantum excommunicatione ligari , hoc tamen procedit ,  
nisi communicatio sit in divinis officijs , vel cum excom-  
municato nominatim à Pontifice , vel in ipso criminis  
aut si inficta sit excommunicatio contra participantes : qui-  
bus in casibus communicans cum excommunicato majorem  
excommunicationem incurrit , juxta textum ita accipien-  
dum in dict. cap. qui merito 29. cum alijs supra num.  
15. & 17. relatis . Ad quos etiam casus referendus est  
textus in can. 9. Concilij Carthag. & Concil. Autel. apud  
Burchard. lib. 11. cap. 5. Sed hæc excommunicatio non  
est lata à jure , sed à judice imponenda per sententiam  
contra sic communicantem , ut constat ex cap. excom-  
municatos 17. hac caus. & quæst. ibi : Subjacebit : cap. si  
celebrat 10. de Cleric. excommun. ibi : Feriendum , & ideo  
ut imponatur , oportet monitionem præmittere , alias nul-  
la erit , cap. statuimus 3. cum alijs de sent. excom. in  
6. Denique assertioni nostræ non obsistit textus supra num.  
6. in contrarium expensus in cap. de filia 26. 27. q. 1. Cui,  
omissa Glossæ interpretatione ibi verbo : Recepérint , ve-  
rissimè dicendum est , textum illum non agere de ordi-  
naria patris , & filiæ communicatione , sed de simultanea  
criminis offensione , eò quod postquam filia religio-  
nis votum emitteret , ejus pater in affectionem recepit ,  
& patrocinatus fuit , ut matrimonium contraheret : unde  
merito propter illius criminis defensionem , pater majori  
excommunicatione notatur . Et hæc dicta sufficient  
pro nostri textus elucu-  
bratione.

## A D

## CELEBREM TEXTUM

*INCLEMENT. SI FURIOSUS UNIC. DE HOMICIDIO  
VOLUNTARIO, VEL CASUALI:*

## EXTEMPORANEA ELUCUBRATTIO

RECITATA

IN MAGNO SALMATICENSIMUM MUSÆO

Die 10. Decemb. anno 1718.



STIMABILIUS nihil haud dubiè apud celeberrima , nec satis laudata antiquorum convivia fuit , quàm epularum variatio , ut eruditè scribebat Claudianus lib. 2. ad Eutropium.

*Gloria, corruptafq; dapes variaffe decorū.*

Cum ergò in hac præsenti actione alma nostra Salmaticensis Academia Omnia Scientiarum Mater, Juris Canonici Antagonistis occasione Cathedræ Clementinorum nunc Magistri solatio destitutæ , convivium litterarum pararet; ideo aliquid novum palato ministrare desiderans , nihil aut intaëtum , aut quod notis non effet jam exaratum inveni, quoisque mihi fors obtulit percelebrem, admodumque difficilem textum in *Clement. si furiosus unic. de homicidio voluntario, vel casuali.* Quem inter alios vulgates ideo explicandum selegi , ut nonihil ex ijs , quætor annorum studio , & diligentia non vulgari observare potui , vestri omnium judicio manifestarem. At arduam

exor-

exordior Provinciam , inhabitabile hospitium aggredior,  
 immensum penè laborem amplector. Verum audacia juvet,  
 faveat fortuna , studuisse patrocinetur. Sed quia nulla fe-  
 licitas , quæ non è Cœlo fulgenti aliquo sydere præsig-  
 netur , cum instar monstri sit , & vanus quilibet trium-  
 phus , quem æternum lumen suo non lumine signet , ad  
 ipsum , superumque omnium choros tota reverentis ani-  
 mi submissione convertor , utinam fausto homine , dum  
 tantum nomen appello ! Adsit ergò mihi primum Augus-  
 tissima Tryas , illaque , quam habitat , inaccessa luce um-  
 bras dissipet mentis meæ , eamque irradiet placidissime.  
 Faveat Divini Verbi felicissima parens , & qua solet dul-  
 cedine , benignitateque me ad concertandum validissimè  
 obfirmet. Adspiret castissimus ejus Sponsus D. Joseph ,  
 Patriarcharum Maximus , alter Dei Filij Patens. Adfa-  
 veant Protoparentes Dominicus de Guzman , cuius nomi-  
 ne lustrico felicissimè insignior , Ignatius de Loyola , suis  
 que ignibus inflammatus Xaverius. Angeli , sive Seraphici  
 Doctores Thomas Aquinas , & Theresia à Jesu mihi  
 semper ex corde commendatissima. Adfaveat præcipue  
 strenuus exercituum coelestium duxtor Michael , qui divi-  
 na ferè virtute , reluctantem Luciferum ad Tartara de-  
 truxit. Vosque , ô Mecoenates mei , Sanctissime Augus-  
 tine , Seraphice Francise , Beatissima Anna favete , favo-  
 risque vestri spiret aura , ut ita hæc nostra actio optatam  
 clausulam consequatur,

*O ! Pater Omnipotens precibus si flechteris ullis ,  
 Aspice nos , atque hæc omnia tuo Numine firma :*

Obtigit hesterna fors explicandum Clementem V. in  
*Clem. si furiosus , unic. de homicidio voluntario , vel  
 casuali.* Cujus hæc sunt verba. *si furiosus , aut In-  
 fans , seu dormiens hominem mutilet ; vel occidat ,  
 nullam ex hoc irregularitatem incurrit.* Et idem de  
*illo censemus , qui mortem aliter vitare non  
 valens , suum occidit , vel mutillet  
 invasorem.*

**E**X his verbis sequens elicetur illustranda assertio. *Furiosus, infans, vel dormiens hominem mutilans, vel occidens, non efficitur irregularis: nec etiam ille, qui aliter mortem vitare nequiens suum occidit, vel mutilat invasorem.* Cujus assertionis prima pars probatur ex leg. *Divus* 14. ff. de officiis. *Prefid. leg.* sed  $\Theta$  si 5. §.  $\Theta$  ideo 2. ff. ad leg. *Aquil. leg. fin. vers. impune autem, ff. de admin. tutor. leg. 9. §. 2. ff. de leg. Pomp. de parric. leg. infans 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. quod infans, vel furiosus 60. ff. de rei vind. Ex decreto Gratiani ex cap. illud 2.  $\Theta$  quasi per tot. caus. 15. quest. 1. Illustrant ultra congestos à Barbos. in præsenti, Tiraquell. de pœnis temper. caus. 2. Mafcard. de probationib. conclus. 92. num. 5. Gomez 3. var. cap. 1. num. 70. D. Solorçanus de parricid. lib. 2. cap. 18. in fin. Suarez ad leg. *Aquil. lib. 1. cap. 2. à num. 9.* Fachin. 9. controv. cap. 3. Villadiego de irregularit. cap. de percussore, column. 11. Castro de potestat. leg. pœnal. lib. 2. cap. 14. vers. prima principalis conclusio, P. Pirhing. in lib. 5. Decretal. tit. de homicid. sect. 2. §. 5. num. 71. Prosp. Fagnan. in cap. 12. de homicid. num. 26. D. Covarr. in relect. ad nostram Clement. 3. part. num. 1.  $\Theta$  2. Secunda pars probatur ex dict. leg. 5. §. 2. ff. ad leg. *Aquil. leg. 60. ff. de rei vindic. leg. 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. 23. §. excipitur 2. ff. de ædil. edict. leg. in puberem 23. ff. de furt. leg. 3. §. 1. ff. de injur. leg. 3. §. 1. ff. de sepulchr. violat. leg. 1. C. de fals. monet. leg. 7. C. de pœnis, quibus consonat l. 9. tit. 1. part. 7. Ex Decretal. ex cap. 1.  $\Theta$  2. de delict. pueror. Ex Decreto ex cap. 2. cap. 3. cap. aliquos 5. 15. quest. 1. Exornant in cit. loc. Gomez num. 57. Suarez ex num. 16. P. Pirhing. num. 72. D. Covarr. num. 5. Vinnius in §. in summa 18. Inst. de obligat. quæ ex delict. Toletus in summa, lib. 1. cap. 78. num. 2. D. Gonçal. in cap. 2 de delict. pueror. ex num. 8. ubi plures refert. Tertia assertionis pars probatur ex cap. majores 3. §. sed adhuc,  $\Theta$  §. item queritur de baptismo, cap. merito 1. cap. sanè 7. 15. quest. 1. quibus junge leg. si servus 27. §. 9. ff. ad leg.**

leg. Aquil. leg. I. §. 3. ff. de acquir. possess. Illustrant Tiraquellus ubi supra, caus. 5. ex num. 2. Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 4. causa 327. num. 3. Gomez cit. loc. num. 74. Farinac. in prax. quæst. 98. ex num. 62. P. Pirhing. ubi sup. num. 73. Fagnan. in dict. cap. 12. num. 37. D. Gonçal. in cap. II. de homicid. num. 8. circa fin. Tandem quarta, & ultima assertionis pars probatur ex leg. ut vim 3. ff. de just. & jur. leg. 4. leg. sed & si 5. leg. scientiam 45. §. 4. ff. ad. leg. Aquil. leg. I. §. vim vi 27. ff. de vi, & vi arm. cap. 2. & 3. cap. significatio 18. de homicid. cap. 3. de sentient. excom. cap. dilectio 6. eod. in 6. Clem. 2. §. ceterum de re iud. Concil. Trid. Sess. 14. de reformat. cap. 7. Exornant Eximus Doctor P. Suarez de censur. disp. 46. sect. I. num. 1. cum seqq. Gomez 3. var. cap. 3. num. 20. Acuña in cap. miror. 4. dist. 50. Pirhing. ubi sup. sect. 3. §. 1. per tot. Fagnan. & cap. 2. de homicid. D. Gonçal. in cap. 3. eod. & in cap. 11. eod. num. 9. & in cap. 18. eod. num. 5. D. Covarr. hic 3. part. §. un. num. . cum seqq. & plures alij in discursu prælectionis recensendi.

Sed licet hæc nostra conclusio tot iuribus, totque Authorum placitis munita verissima sit: contra cunctam quadruplici dubitandi ratione insurgam: quatum prima militavit adversus primam nostri textus partem, ubi Clemens V. constituit, furiosum, qui, durante furore hominem occidit, vel mutilat, non incurere irregularitatem; sic enim contra illam insurgo. Si ob aliquam rationem id contigeret, maximè quia furiosus, ulti potest nullum animi judicium habens culpam committere non potest, proindeque censeri debet poenæ suscipienda in capax, cum satis suo furore punitus videatur, ut ajebat Consultus in leg. 14. ff. de offic. Praef. Sed hac non obstante rati ne furiosus non excusat in jure à poena ex delicto commisso suscipienda: ergo nec excusari debet à poena irregularitatis. Probo minorem in primis à paritate Prodigii, qui licet nullum censeatur habere judicium, aut rationem, & ideo nec contrahendi, nec testandi facultatem habet, leg. is cui 6. ff. de V. O. leg. is cui 18. ff. qui

qui testam. facere poss. §. item prodigus 2. Inst. eod. proindeque æquiparatur tum pupillo, leg. certi condicō 9. §. 7. ff. de rebus cred. Tum furioso, leg. his qui 12. §. 2. ff. de tutorib. & Curator. dat. leg. 7. §. idemque, & in prodigo 12. ff. ex quib. caus. in possess. leg. furioso 40. ff. de reg. jur. ibi: Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum est, nulla voluntas est: & recte quidem, nam sicut furiosus desipit animo, ita Prodigus desipit moribus; ut latē explicat Caldas ad leg. si curatorem 3. verbo: *Cum absimilis*, Cod. de in integr. restit. minor. num. 6. Tamen Prodigus homicidium, aut simile perpetrans delictum poena ordinaria delicti punitur, & irregularitatem contrahit, ut cum Bart. Paulo de Castro, & alijs antiquioribus tradunt Antonius Gomez 3. var. cap. I. n. 75. & Facheus lib. 2. controv. cap. 68. circa fin. ergo similiter furiosus, quamvis animi, & intellectus expers, si hominem occidat, aut mutilet, poterit irregularis fieri. Probatur secundō eadem minor à paritate quadrupedis; in quo licet nulla culpa cadere possit ex defectu rationis, tamen ex leg. 12. Tabul. descendit actio si quadrupes pauperiem fecisse dicatur; seu damnum sine injuria facientis datum, cum animal ratione carens nullam injuriam irrogare possit, ut docet text. in leg. I. §. ait Prætor. 3. ff. si quadrup. pauper. fec. dic.: ergo similiter ex damno illato à furioso actio descendere poterit, præcipue cum in leg. 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil. furiosus æquiparetur quadrupedi: ibi: *Quemadmodum si quadrupes damnum dederit*: ergo poterit etiam furiosus irregularitatem incurtere.

3 Fulcitur eadem dubitandi ratio ex cap. *siquis insaniens* 12. caus. 15. quæst. 1. & ex Concil. Uvormac. can. 18. ibi: *Siquis insaniens aliquem occiderit, si abs sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei qui sana mente tale quid admiserit*: ergo si in homicidio à furioso commisso adestit culpa, quæ pœnitentia imponenda expari debet, à fortiori furiosus poterit ut homicida irregularitatem incurtere, præcipue cum ad irregularitatem ob homicidium contrahendam non de-

sideretur culpā , ut contingit in Judice justè reum ad mortem damnante , qui ob lenitatis defectum irregularis manet , ut cum pluribus docet D. Gonçal. in cap. de cætero 11. de homicid. num. 10. Augetur idem difficultatis assumptum ex sequenti consideratione: si furiosus ob defectum judicij , & rationis esset incapax perpetrandi delictum , foret etiam incapax subeundi poenam propter delictum ante furorem perpetratum ; siquidem poena in eo potissimum consistit , quod corpus poenalitate ipsa in memoriam delicti commissi crucietur ; id quod in furioso minimè considerari valet , ut rectè notat Dom. Covarr. hic 3. part. num. 2. atqui furiosus propter delictum ante ipsum furorem perpetratum potest , dum in ipso furore est , poenam subire : ergo quia non est incapax suscipiens di poenam , quamvis interim sit incapax judicij , & rationis. Minor , quæ unicè in dubium revocari potest , probatur ex leg. fin. §. fin. Cod. de Curator. furios. ubi supponitur furiosum , & furiosam exhæredatos fuisse. Nec satisfacies huic difficultati , si dicas , prædictam leg. fin. §. fin. intelligendam esse de exhæredatione facta propter ingratitudinem in furore ipso commissam. Non , inquam , satisficies ; tum quia id difficilius est ; siquidem ingrati tudo in furore commissa omnino involuntaria censeri det , cum potius amentia , quam voluntati tribuenda sit. Tum etiam , quia ex communi Interpretum consensu prædictus textus intelligitur de exhæredatione facta ob delictum ante furorem perpetratum , Gomez 3. var. cap. 1. num. 72. ergo quia furiosus , dum in furore est , potest subire poenam ob delictum ante furorem perpetratum. Id quod ulterius urgeri potest ex manifesta ratione juris; nam dum de delictis , & de imponenda poena agitur , non inspicitur tempus illud , in quo infligitur poena , sed in quo delictum fuit commissum , ut constat ex convincenti ad rem textu in leg. 1. ff. de pœnis , ibi: *Quotiens de delicto queritur, placuit non eam pœnam subire quem debere, quam conditio ejus admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur: sed eam, quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, cum delinquisset; ergo cum tem-*

tempore delicti commissi furiosus fuisset capax subeundi poenam , nihil ei proficere debet , quod tempore sententiae latæ sit factus per furorem incapax. Non secus ac si quis tempore sanæ mentis peccatum lethale committat ; quamvis postea furiosus fiat , & in furore decedat , non ideo damnationis poenam apud Deum effugiet , ut solemne est apud Theologos , & Canonistas in cap. *majores* 3. de *Baptismo* , & docet Bartholus ponderans textum in leg. numquam 31. §. si vi 4. ff. de usucap. ubi habetur , quod siquis , dum erat in mala fide , sit furore captus , dicitur adhuc durare in eadem mala fide quoad omnes effectus.

4 Secunda dubitandi ratio militabit adversus secundam etiam nostri textus partem , ubi Clemens V. si militer constituit , infantem ob homicidium ab ipso perpetratum non incurrere irregularitatem , sic enim nec absimili pacto adversus prædictam constitutionem insurgo . Ideo infans ob homicidium commissum non fieret irregularis , quia utoptè carens usu rationis , est incapax perpetrandi culpam , aut delictum ; sed defectus rationis non potest efficere , quominus infans sit capax committendi culpam , aut delictum : ergo immerito statuit Clemens V. eum esse immunem à poena irregularitatis. Minor , in qua tota residet difficultas , suadetur ex D. Augustino in cap. adhuc 32. de penitent. dist. 3. illis in verbis : *Nec infans unius dei absque peccato super terram esse potest* : consonat etiam Divus Hieronymus in cap. si enim 40. de penit. dist. 2. ibi : *Nemo mundus à peccatis , nec infans , si unius quidem dei fuerit vita ejus.* Quæ verba , si unicè de peccato originali fas esset accipere , parum significantur ; siquidem ante nativitatem , immo & in ipso primo conceptionis instanti peccatum illud contrahitur : quare de peccato actuali verba illa exponuntur à Barbos. in selectt. ad dict. cap. 40. ut refert D. Gonçal. in cap. 2. de delict. pueror. num. fin. Et sanè quod infantes peccatum actuale valeant committere , suaderti potest ex cap. firmissime 3. de consecrat. dist. 4. in

*princ.* & *principù in vers.* *firmissimè*, ubi postquam trae-  
dedit, omnem hominem per naturalem generationem pro  
creaturn nasci peccato originali infectum, id est, conci-  
pi impietati subditum, mortique subjectum, statim sub-  
dit, non solum adultos homines ratione utentes, verum  
etiam parvulos, qui sive in utero vivere incipiunt, &  
ibi decedunt, sive cum de matribus in lucem prodeunt,  
& sine aqua Baptismatis miserabiliter moriuntur, sempit-  
erno igne puniendos; ergo quia infantes sunt capaces  
peccati lethalis actualis; alias enim aeterni ignis cruciati-  
bus puniri non possunt. Fulcitur, & augetur idem diffi-  
cultatis assumptum, tum ex cap. 1. de delict. pueror. ubi  
statutem puerilem, sive impuberem à poena furti non ex-  
cusari statuitur; tum ex cap. 2. eod. sit. ibi: *Nec ab ip-*  
*so pro temporali poena requirat*: ex quibus verbis haud  
obscure deducitur, puerum, quamvis non sit doli ca-  
pax, poenis spiritualibus, videlicet excommunicatione,  
irregularitate, & similibus puniri posse. Patet illatio; nam  
Alexander III. in dict. cap. 2. de delict. pueror. unicè  
prohibet, nè ipsi poena temporalis infligatur. ergo quia  
supponit spiritualibus poenis posse puniri. Et ideo affirmat  
Hostrensis in dict. cap. 1. de delict. pueror. num. 5. pue-  
rum, de quo in dict. cap. 2. agitur, irregularē man-  
nere, quia nimis quoad hanc poenam subeundam, non  
attenditur animus, aut voluntas occidendi, sed unicè  
homicidium ipsum, ut traditur ex cap. fin. 15. quest.  
1. ergo ex defectu rationis non potest excusari infans,  
quominus poenam irregularitatis incurrit.

5 Adversus tertiam nostri textus partem, in qua  
Clemens V. affirmat, dormientem non incurtere irregu-  
laritatem, si in somnis aliquem mutilet, vel occidat;  
sic insurgo: dormiens, si in ipso somno delictum aliquod  
committat, non est omnino immunis nec à culpa, nec  
à poena: ergo nec erit immunis ab irregularitate. Ante-  
cedens unicè dubium probatur ex leg. si servus 27. §. si  
fornacarius 9. ff ad leg. Aquil. ubi si servus Coloni, vel  
Inquilini juxta fornacem, aut locum, ubi asservabatur  
ignis, obdormisset, & domus, vel res aliqua, dor-  
mien-

miente ipso , combusta sit , tenetur ad reparandum damnum ; siquidem culpa illius id contigisse videtur : ergò quia dormiens non est immunis nec à culpa , nec à pœna propter delictum , vel in somnis ab eo commissum. Id ipsum in terminis Irregularitatis non obscurè suadetur ex cap. *qua-*  
*situm 7. de pœnit.* O rem *iss. cap. fin. de bis qui filios occid.*  
 in quibus habetur , quod si quis dormiens filium in lectulo suffocaverit , irregularis efficitur ; ergò quia somnus non excusat ab Irregularitate eum , qui ipso actu dormiendi aliquem occidit.

6 Quarta , & ultima nostri textus pars , in qua excusat ab Irregularitate ille , qui aliter mortem vitare non valens suum occidit , vel mutilat invasorem , difficilis redditur ; nam nulli cuiusvis causæ prætextu licitum est se vindicare , aut jus in causa propria dicere , *leg. nullus 14. Cod. de judicijs.* Ideoque nec rem propriam alicui licet propria authoritate occupare , *leg. extat 13. ff. quod metus causa immo si eam occupet , tenetur lege Julia de vi , leg. 12. §. alt. ff. eodem tit. & rem taliter occupatam amittit , leg. 7. Cod. undè vi , cap. ad hoc 63. 16. quæst. 1. Casiодорus lib. 4. var. cap. 10. ibi : Legum reperta est via , O sacra reverentia , ut nihil manu , nihil proprio agatur impulsu : ergò nec prætextu defensionis alicui licebit authoritate propria suum invasorem occidere. Augerur eadem dubitandi ratio ex cap. *de bis 6. difft. 50.* ubi docetur Clericum , qui propriae defensionis causa Paganum occidit , multum sibi consulere , si à Sacerdotali officio abstineat : ergò quia nec ob propriam defensionem licet aggressorem occidere , id quod docuere nonnulli , ut colligitur ex Glossa *in cap. sicut dignum 6. §. Clericos fin. verbo : Consilium , de homicid.* O in *leg. ut vim 3. verbo : Nam jure , ff. de just.* O *jur.* fuitque opinio D. Thomæ 2. 2. quæst. 64. artic. 7. ad 3. Nec satisfacie huic difficultati , si dicas prædictum textum *in cap. de bis 6.* solum loqui in terminis consilij , seu consulendo , non vero præcipiendo , ut probari videtur ex illis verbis : *Multum sibi consultit.* Non , inquam , satisfacie difficultati ; nam hæc solutio manifeste convincitur falsitatis ex alijs verbis ejusdem textus , ibi : *Irreprehensibiliter , indebet , O**

*damnabiliter*, in quibus apparet Pontificem in prædicto textu non per modum consilij, sed per modum præcepti responsum dedisse; atqui in prædicto textu Clericus pagnum occidit propriæ defensionis causa: ergò non est immunis ab Irregularitate, qui ob defensionem propriam invasorem occidit. Fulcitur tandem difficultatis assumptum ex Trident. Synodo sess. 14. de reformat. cap. 7. ajente: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut si quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodammodo dispensatio jure debeatur, &c.* Ex quibus sic argumentum confici potest: ille, cui jure quodammodo dispensatio debetur, non est immunis ab irregularitate; sed illi, qui ut se à morte defendat, alium occidit, jure quodammodo debetur dispensatio, ut expressis verbis docet Tridentina Synodus: ergò qui, ut se à morte defendat, vel propriæ defensionis causa alium occidit, non ideo est ab irregularitate immunis. Accedit insuper text. in cap. 2. in fin. de Cleric. pugnant in duello, simulq; text. in cap. sequis viduam 8. dist. 50. in quibus expressis verbis defensionis, ibi: *Aut consilio, aut præcepto, aut defensione, damnatur Irregularitatis, qui alium occidit; ergo de primè ad ultimum Constitutio Clementis V. in hac nostra Clem. si furiosus unic. de homicidio, difficilis redditur.*

7 Sed licet hæc, & alia plura nostram videantur turbare assertionem, tamen si bene perpendantur, nihil obstant, ināo nonnullis præmissis, & decidendi ratione propensa, fugata, & profigata inferius remanebunt. Ut vero methodus facilis mentem Clementis V. clarius aperiat, prelectionem hanc in quatuor principes dissecabo partes. In prima de furioso: In secunda de Infante: In tertia de dormiente: In quarta denique de illo, qui aliter mortem vietare nequiens, suum occidit, vel mutilat invasorem, sermonem instituam; totidem enim partes in nostro textu quilibet agnoscat. Et quidem ad primam præmittendum duxi, quod si furiosus durante furore hominem occidat, aut mutilet, immunis est ab omni culpa, & consequenter ab omni etiam poena, ut dissertè probant text. in leg. sed & 5. §. & ideo 2. ff. ad leg. Aquil. leg. ult. ff. de ab. nin.

tutor. leg. pœna 9. §. 2. ff. de leg. Pomp. de parricid. leg. Infa-  
fans 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Text. in cap. illud 2. &  
quasi per tot. caus. 15. quæst. 1. Cujus rei duplex afferri po-  
test ratio. Prima est, quia in delictis coercendis animus  
delinquentis, & consilium magis quam exitus; & affectus  
potius quam effectus spectari debet, leg. Divus 14. ff. ad  
leg. Corn. de Sicar. Paulus lib. 5. sent. tit. 23. Quintilian. de  
clam. 281. maleficium enim non operatio, sed voluntas, &  
propositum delinquentis distinguit, ut dixit Consultus in  
leg. qui injuria 53. in princ. ff. de furtis, & Imperator  
in leg. sancimus 7. Cod. ad Trebel. furiosus autem incapax  
est mali affectus, nullumque consensum habet, leg. furiosi 40.  
ff. de regul. jur. nam ut ait Virg. 2. Æneid.

*Furor, iraque mentem præcipitant.*

Nulla ergo culpa ei imputari potest, cum suæ, & sanæ  
mentis non sit; ideoque lege Aquilia non teneri, ex Pe-  
gaso docet Ulpianus in dict. leg. sed & si 5. §. 2. ff. ad  
leg. Aquil. multoque magis excusat in lege Cornelia de  
injurijis; quoniam non videtur habuisse animum inferendi  
convicium ille, cuius animus, vel languet, ut n leg.  
justo errore 44. §. eum qui 6. ff. de usucap. vel ex-  
tinguitur, vel extinctus est, ut ait Div. Augustinus in princip. capit. 15.  
de Trinitate, ibi: Furiosi animus, sive mens quo-  
dammodo extinguitur, anima manet. Unde merito per om-  
nia, & in omnibus absensis, & quiescentis loco habe-  
tur, leg. 2. §. furiosus 3. ff. de jure codic. Itaque impunitum  
remanet factum furiosi, quemadmodum si damnum sine  
facto personæ contigisset, leg. fin. in fin. ff. de adm. tutor.  
& non secus ac si regula vento dejecta damnum dederit,  
ut dicit text. in dict. leg. 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil. Prosper.  
Fagnan. in cap. ad audientiam 12. de homicid. num. 26.

8 Secunda ratio est, quia furiosus satis, superque  
furore ipso puniri videtur, ut inquit Consulti in leg. Di-  
vus 14. ff. de offici. Presid. leg. pœna 9. §. 1. ff. de leg. Pomp.  
de parricid. nam ut ait Cicero in orat. de respon. aurusp.  
nulla major homini esse potest pœna furore, atque demen-  
tia;

tia ; quapropter non poena , sed miseratione dignus censeri debet, leg. unic. Cod. si quis Imperat. maled. cap. indicas 14. 3. quæst. 9. cap. illa cavenda 6.15. quæst. 1. quoniam fati infelicitas eum excusat , leg. Infans 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. cujus haec sunt verba : Infans , vel furiosus si hominem occiderit , leg. Cornelia non tenetur , cum alterum innocentia consilij tuetur , alterum fati infelicitas excusat : ne igitur in furore sapientiam quæras , in vomitione prudenciam , in sopore justitiam; in infantia judicium ; satis enim, quibus aqua , & igne rationis interdictum est , puniuntur. Notant Tiraquell. in tract. de pœnis temper. caus. 2. Mascal. de probationib. conclus. 92. num. 5. Anton. Gomez. lib. 3. var. cap. 1. de delict. num. 70. D. Solorçan. lib. 2. de parresid. cap. 18. in fin. Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. à numer. 9. Arellano lib. 2. de rationis Imperio , cap. 11. Anton. Faver in rat. ad leg. Divus 14. de offic. Praesid. & ad leg. 5. §. 2. ff ad leg. Aquil. quibus rationibus accedit , & alia, quia ad hoc , ut hæ duæ actiones, scilicet , homicidium , & mutilatio inferant irregularitatem , necessè est , quod procedant ab habente usum rationis , & non ex sola sensualitate. Nam homo quatenus rationalis , non verò quatenus sensualis est , irregularitatem incurrit : non enim verè est homicidium , aut mutilatio , ( quæ sunt actiones humanæ ) ubi non est rationis usus ; sicut nec habet propriam rationem homicidij id , quod fit à leone , vel tauro. Idcirco necessarium est ad irregularitatem incurrendam , quod operationes illæ , per quas infligitur , sint rationales , hoc est , factæ ab homine rationis usum habente , ut ex Alfonso de Castro lib. 2. de potestat. leg. pœnal. cap. 14. vers. Prima Principalis conclusio , optimè notat Illustr. Praeses D. Covarr. in relect. ad nostram Clementin. 3. part. num. 1. Quibus constat , satis justam esse pœnitentis Clementis V. constitutionem , quæ furiosum censet liberum ab irregularitate , etiam si hominem occiderit , aut mutilaverit.

9 Illud tamen circa hanc primam nostri textus partem observatione dignum censeo: propter immanitatem tætterimi facinoris quandoque puniri furiosum , ut innuit text. in leg. Divus 14. ff. de offic. Praesid. ibi : Nec subest ulla

ulla suspicio matrem ab eo simulatione dementiae occissam, potes de modo poenae ejus disimulare. Premite verba illa: *Potes de modo poena ejus disimulare*, quæ apertè denotant, non omnino impunitum remanere hujusmodi parricidium. Quod non aliam potest habere rationem, nisi facinoris tanti horribilem immanitatem; quemadmodum si seipsum feris immiscendo, horrendum dictu! polluerit, puniendum existimo, cum & fera puniatur, quamvis rationis sit expers, & inferendæ injuriæ omnino potestate careat. Sicque videmus lege Mosaica bruta animalia morte (ut scilicet major esset facti istius detestatio) multari, ut constat Exod. *capit. 22. vers. 19.* Levitic. *cap. 20. vers. 15.* & seq. ibi: *Qui cum iumento, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite.* Cujus rationem præstat D. Augustinus super *di. Et cap. 20.* Levit. *quæst. 74.* relatus à Gratiano in *cap. mulier 4. 15. quæst.* .: *quaritur* (inquit) *quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax.* Et infra: *Pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam.* Et hoc sibi vult textus in *dict. leg. Divus 14.* ibi: *Ut existinemus, an per immanitatem facinoris, si, cum posset videri sentire, committerit supplizio afficiendus sit*, ut notat Fortaculus *dialog. 33.* Quod miror non observasse D. Solorçanum *lib. 2. de parricid. cap. 18. in fin.* ubi satis diligenter exposuit, in parricidio nullam justam causam ad sceleris patrocinia prætendi posse, ut dixit Alexander ab Alexand. *lib. 3. genial. dier. cap. 22.* Ut inde conjectari liceat, quām fuerit rationi congruum, furiosum illum, qui Ferdinando Catholico Regi nostro vulnus intulit, morte afficere, nè scilicet prætextu furoris tam enormis audatiæ ansam quisquam in posterum arriperet. Cujus rei meminit P. Mariana *lib. 26. Historia Hispania, cap. 4.* Ant. Gomez *lib. 3. var. cap. 1. de delict. num. 72.*

10 Sed superiori nostræ assertioni graviter obfisteret videtur paritas ebrij: certum enim est, ebrium similem esse furioso, nam ubi ebrietas, ibi & libido dominatur, & furor, *cap. venter 5. dist. 35.* ebrietas namque mentis exilium inducit, *cap. acrapula 14. de vita, Q. honestat. Cle-*

*Clericor.* sed ebrius homicidium , vel aliud delictum committens non est immunis à culpa , nec à pena , cap. sanè 7. cap. inebriaverunt 9. 15. quæst. 1. ergò similiter furiosus immunis non erit à pena , si hominem occiderit , aut multilaverit. Ut huic difficultati respondeam , suppono , ebrium in ipsa ebrietate delinquentem puniri debere non poena ordinaria , sed mitiori ; quia ebrietas tollit dolum in delicto , licet non culpam : unde non excusat in totum a poena , sed illam mihiuit , leg. perspiciendum 11. §. pen. ff. de panis ; leg. omne delictum 6. §. qui se 7. vers. Per vinum ff. de remilit. docent Dom. Covarrub. in præsenti , 3. part. numer. 3. & seqq. Tiraquell. in tract. de pœn. temperand. caus. 6. Gomez 3. var. cap. 1. num. 73. Sed tamen non est irregularris , quia furioso similis est , dict. cap. venter 5. dist. 35. Nec refert , quod ebrietas sit voluntaria insania: unde culpa ebrij ipsam ebrietatem accidere consequens est ; nam etiam si furiosi culpa furor contingat , ut accidere potest juxta text. in cap. si quis insaniens 12. 15. quæst. 1. non ideò irregularis efficitur , nec poena ordinaria delicti puniendus est , sed mitiori , ut post alios a se relatos docuit Tiraquell. citat. loc. caus. 2. num. 6. & 7. necnon Farinacius lib. 3. prax criminal. tit. 10. de pœn. temper. quæst. 94. numer. 32. & seqq. Neque obstat , quod ebrius puniatur , & non furiosus ; nam ebrius punitur non propter delictum commissum in ebrietate , nec de ipso delicto , sed de illa ebrietate , quæ majori est digna poena propter circumstantiam homicidij , cuius causam præbuit licet remotam. Quod patet ex D. August. lib. 22. contra Faustum Manicheum , cap. 44. relato in dict. cap. inebriaverunt 9. 15. quæst. 1. ibi : Inebriaverunt (inquit S. Doctor ) Lotb. filia ejus , & senescienti misererunt : quapropter culpandus est quidem , non tamen quantum ille incestus , sed quantum illa ebrietas meretur. Idem testatur Ambrosius lib. de Abram Patriaroba , cap. 6. quem refert Gratianus in cap. sanè 7. 15. quæst. 1. Idem ex Hieronym. ad Eustoch. de cœpitalia virginitatis , & Origine homil. 5. in Genes. probat Joannes Arbore. lib. 10. Theosophie , cap. 3. Quod manifeste fatetur , ac explicat D. Bonaventura in 2. sentent. dist. 22. artic. 1. quæst. 3. ubi sic ait: Nee furiosum , nec

nec ebrium , quamvis uterque illorum sit sua culpa usū rationis privatus , posse committere novam culpam , sed omne malum , quod durante furore , vel ebrietate factum fuerit , esse circumstantiam , quæ aggravat ebrietatis , aut furoris peccatum. Quem locum citat Alphonsus de Castro lib. 2. de potest. leg. poenal. cap. 14. vers. prima principialis conclusio. Sed objicit aliquis : ebrietatem per se non puniri , sed crimen ab ebrio commissum , tametsi leviori poena ; quia si illud crimen non contigisset , foret ebrietas impunita : ergo in eo non punitur causa ebrietatis , sed ipsum delictum. Huic objectioni respondeo : delicta in ebrietate commissa puniri non ex ratione propria , nec secundum se ; quia tunc sunt omnino involuntaria : sed ratione causæ , quæ voluntaria fuit , & ab illa denominationem accipit. Non enim culpatur coitus Loth ratione , & nomine incestus , sed nomine ebrietatis , veluti circumstantia quædam ebrietati conjuncta. Rursus respondeo : culpam ebrietatis non esse causam proximam , aut immediatam homicidij , sed causam mediatam , & remotam : unde non efficitur irregularis , etiam si voluntariè , & culpabilitè fuerit inebriatus , dando videlicet operam immoderatae potionis vini , ut docte tradit Eximus Doctor P. Suarez de censur. disp. 45. sect. 6. num. 4. immo in ipsam hominis occisionem nec per se , nec per accidens voluntas fertur ; alioquin si adhuc indirecè fuisset voluntarius actus contingens in ipsa ebrietate , profecto imputaretur ebrio , cuius contrarium probatur in diel. cap. inebriaverunt 9. 15. quest. 1. & incurreretur irregularitas , docet D. Covarr. in præsenti , 3. part. num. 4. ubi ex nuper traditis fundamentis conatur defendere ebrium , qui ex simplici culpa in ebrietatem incidit immoderatè bibendo , & in ebrietate hominem interfecit , aut mutilavit , irregularē non manere.

II Cæterum contrarium absolute sentit Angelicus Præcept. in 1. 2. quest. 77. art. 7. ait enim : *Aliquid esse posse voluntarium , vel secundum se , sicut quando voluntas directè fertur in ipsum , vel secundum causam , quando voluntas fertur in causam , & non in effectu*

fectum , ut patet in eo ; qui voluntariè inebriatur : ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur , quod per ebrietatem committit. Idem apertius firmant Cardinalis , & Immola in nostra Clementina , quos sequuntur , Villadiego de irregularitate , cap. de percussore , column. 11. Silvester in verb. homicidium 3. part. 4. Quibus primò suffragantur textus in dict. cap. sanè 7. cap. inebriaverunt 9. 15. quest. 1. Ex quibus patet ebrium delinquentem in ipsa ebrietate non esse omnino immunem à culpa , nec à poena , quia saltem ex ebrietate vitium contraxit , culpanque commisit ; irregularitas autem satis procedit à culpa homicidij , licet ea non sit omnino perfecta , ut de homicidio casuali tradunt Interpretes. Secundò facit pro hac sententia sequens consideratio ; nam miles coelestis militiæ æquiparatur militi armatæ militiæ , valetque argumentum de uno ad alium , ut notari solet in leg. miles 6. ff. de re judic. & probat textus in cap. 1. de renuntiat. Sed miles armatæ militiæ in ebrietate se ipsum vulnerans , aut alias mortem sibi consciscens à militia removetur leg. omne delictum 6. §. pen. ff. de re militar. ergo fortiori ratione miles coelestis militiæ , ut est Cleonicus , debet deponi ab altaris ministerio , & per consequens videtur in irregularitatem incidere. Tertiò favet eidem sententiæ authoritas Aristot. 3. Ethic. cap. 5. dum docet ebrium mereri duplices maledictiones , videlicet , propter duo peccata , quæ committit , scilicet ebrietatem , & aliud peccatum , quod ex ebrietate sequitur , prout explicat D. Thom. in 1. 2. quest. 76. art. 4. ad 4. Quamobrem Pittacus unus ex septem Gratiæ Sapientibus ebrio delinquenti duplēm poenam infligendam esse constituit , alteram propter ebrietatem , alteram propter crimen in ebrietate patratum : cuius rei meminit Dom. Cœyarrub. hic 3. part. num. 4. in fin.

12 Nec contra hanc sic formatam sententiam quidquam facit consideratio Illustrissimi Præsidis Covarr. quæ sic in forma procedit : ebrius , & furiosus æquiparantur cap. venter 5. dist. 35. sed furiosus non est irregularis propter homicidium in furore commissum , ut in nos-

nostra Clement. ergò nec ebrius. Nam hoc argumentum potest in oppositum retorqueri sic : furiosus , qui propria culpa in furorem incidit irregularis efficitur , si in furore aliquem interfecet , aut mutilaverit , ut docet Fagan. in cap. audientiam 12. de homicid. num. 24. ergo & ebrius , qui sua culpa incidit in ebrietatem. Neque refragatur , quod homicidium ebrij processit ab eo , qui usu rationis caret : ergo irregularitatem non inducit ; nam hæc consequentia negatur ; siquidem irregularitas non contrahitur hoc casu ex eo , quod homicidium sit voluntarium in se , sed quia est voluntarium in sua causa propter culpam præcedentem , ut patet ex mente D. Thom. in dict. 1. 2. quest. 77. art. 7. Similiter non adversatur authoritas D. Bonavent. in 2. sent. dist. 22. art. 1. quest. 3. ubi S. Doctor sentire videtur , ebrium non puniri propter homicidium commissum , sed propter ebrietatem illam , quæ graviori pena est digna propter circumstantiam homicidij , cui causam præbuit. Nam hoc argumentum eo tantum spectat , ut ostendat delictum in ebrietate , vel furore commissum non constituere novam speciem peccati , sed esse circumstantiam peccati præcedentis , quod &c nos fatemur ; quia voluntarium est de ratione intrinseca peccati actualis , cap. majores 3. §. verum de Baptismo ; nec potest esse voluntarium in eo , qui caret usi rationis. Sed non est bona consequentia : homicidium in ebrietate commissum non est nova species peccati , quia non est voluntarium : ergo ex illo non contrahitur irregularitas. Ratio est , quia ad irregularitatem , quæ non est peccatum , sed poena peccati , non requiritur , ut delictum ipsum sit voluntarium in se , ut requiritur ad esse peccati , sed satis est , quod culpa præcesserit , ut optimè explicat Doct. Angelic. in 4. dist. 17. quest. 2. art. 2. quest. 4. ad 2. ait enim : Effectus consequens , qui peccatum aggravat , jam in actu præcessit , velut in causa ; O ideo quando commissum est , tam suam quantitatem habuit , O ex effectu consequenti non acrescit aliquid quoad culpe rationem , O si acrescat quoad penam accidentalem . Hæc S. Doctor , quem

sequitur Silvester in verbo : *Ebrietas , num. 5.*

13 Idque ipsum patet apertissimè in omni homiæ  
cidio casuali , & præter intentionem commisso : illud enim  
non potest dici peccatum homicidij , cum voluntarium  
non sit , quia ignorantia , & error , perinde ac furor , &  
ebrietas excludunt consensum , cap. quamvis 11. dist. 38.  
leg. cum Aquiliana 5. ff. de transact. leg. non idcirco 9.  
Cod. de jur. & fact. ignor. quia nil magis contrarium  
consensui , quām error leg. si per errorem 15. ff. de ju-  
risd. omn. judic. & tamen jura passim clamant ex homi-  
cidio casuali ignoranter , seu per errorem commisso irre-  
gularitatem induci , quoties culpa , vel negligentia ca-  
sum præcessit , ut in cap. continebatur 8. cap. suscepimus  
10. cap. ad audientiam 12. cum plurib. alijs de homicid.  
sic etiam dormiens usu rationis caret , non secus , ac fu-  
riosus , infans , vel ebrius , ut in nostra Clem. & tamen  
si in somnis filium in lecto suffocaverit , irregularis effi-  
titur propter culpam , vel negligentiam , quæ homicidium  
præcessit , ut probant text. in cap. quæstum 7. de pœnit.  
& remiss. cap. fin. de his , qui filios occid. D. Gonçal.  
in cap. de cetero 11. de homicid. num. 8. in fin. ergo  
licet homicidium ebrij non sit peccatum distinctum ab  
ebrietate , sed circumstantia ebrietatis ; semper tamen ex  
illo incurritur , irregularitas , si præcessit culpa , sicut in-  
curritur ab ignorantie , seu errante , vel dormiente , licet  
in his quoque homicidium propter defectum consensus , non  
sit nova species culpæ , sed circumstantia culpæ præceden-  
tis. Neque obstat , quod ebrietas non sit causa proxima ,  
nec immediata occisionis , sed causa mediata , & remo-  
ta , arg. cap. quia diversitatem 5. de concess. prab. eò  
quod culpa fuit causa ebrietatis , ebrietas verò causa  
occisionis ; nam ad irregularitatem contrahendam non  
requiritur , ut quis præbuerit causam proximam , seu im-  
mediatam homicidio , sed satis est , ut præbuerit remotam ,  
quando dabit operam rei illicitæ , si causa fuerit aliquo  
modo ad homicidium ordinata , dict. cap. continebatur  
8. cap. suscepimus 10. de homicid. & est communis regu-  
la in materia irregularitatis , ut tradit Prosper. Fagnan.  
in

*in cap. ad audientiam 12. de homicid. num. 19. Q. 3.*

14 Verum his non obstantibus , exitimabantur  
hasce inter se pugnantes opiniones posse in concordiam  
redigi foedere distinctionis adhibito. Dupliciter enim ex  
simplici culpa potest aliquis in ebrietatem incidere ex men-  
te D. Thom. 2. 2. *quest. 150. art. 2.* Uno modo cum  
percipit usum vini esse immoderatum , non tamen estimat  
ex illo inebriari posse , & ita ex inordinata concupiscen-  
tia , & usu vini contigit ei ebrietas præter intentionem ,  
& consuetudinem : & hoc in casu existimo hunc esse im-  
munem ab irregularitate , si contracta ebrietate aliquem  
occidat , aut mutilet. Moveor ex eo , quia in hujusmo-  
di homicidio possunt considerari tres actus , ut recte ob-  
servat D. Covarr. *in praesenti 3. part. num. 4. circa med.*  
Primus est ipsa potatio , secundus ebrietas , tertius ho-  
minis occisio. In primum actum dumtaxat fertur vo-  
luntas directe , nempè quia tantum voluit bibere vinum  
immoderatè. In secundum fertur voluntas indirecte , &  
per accidens. In tertium vero , id est , in hominis oc-  
cisionem , nec per se , nec per accidens fertur voluntas ,  
aut per accidens quidem , sed valde remotè: atqui ex  
causa valde ex se remota , & ad homicidium non ordi-  
nata , irregularitas non contrahitur , etiam ab illo , qui  
dabat operam rei illicitæ , ut dissertè probat text. *in cap.*  
*exhibita 22. de homicid.* cum alijs congestis à P. Piring.  
*in lib. 5. Decretal. tit. de homicid.* *seci. 2. §. 1. per tot.*  
ergo , &c. & in hoc primo casu salvari potest opinio  
Alphonsi. de Castro , *ubi supra* , & Illustrissimi Covarr.  
ut ipsem videtur declarare in nostra Clem. *dicit. num.*  
*4. vers. Tandem quarto.* & eodem modo intelligi etiam  
potest , quod docuit Arist. 2. Ethicor. scilicet , quod in  
ebrietate oportet veniam habere , & quod habetur *in dict.*  
*leg. omne delictum 6. §. per vinum 7. ff. de re milit.*  
videlicet per vinum , aut lasciviam ebrios clementius esse  
puniendos , idque judicis arbitrio relinquunt tradiderunt ,  
Dec. *in cap. 1. in fin. de testib.* & alij apud Menoch.  
*de arbitr. judic. lib. 2. centur. 4. casu 326.* & hunc ve-  
nialiter tantum peccare docuit D. Thom. *præaliegatus*  
*d. 2. 2. q. 150. art. 2.*

15 Alio modo potest quis in ebrietatem incidere , cum advertit potum esse immoderatum , & inebriantem ; & tamen vult magis ebrietatem incurrire , quam à potu abstinere , & sic voluntariè inebriatur , & factus ebrius hominem occidit , aut mutilat , & hunc non auderem excusare ab irregularitate , quia ejus voluntas proximiū accedit ad homicidium , quam in primo casu . In illo enim solus potus fuit voluntarius , ex potu vero præter intentionem contigit ebrietas , & ex ebrietate homicidium . In hoc vero non tantum potus fuit voluntarius , sed etiam ebrietas , ex qua immediatè homicidium processit . Unde hic illata fuit culpa , & dedit causam proximam homicidio , aut remotam quidem , sed tamen ad homicidium ordinatam , quæ sufficit ad incurriendam irregularitatem ex traditis à Prosp . Fagnan . in cap . de cetero 11 . de hom . num . 9 . & 16 . Siquidem facile potuit immo , & præcognoscere debuit , posse contingere , ut in ebrietate aliquem percuteret , vel offenderet , quia pluriē injuriantur ebrij , quam sobrij , ut patet ex Philosoph . 2 . Politic . Et hunc moraliter peccare probat D . Thom . ubi proxime . Et in hoc secundo casu procedit opinio ejusdem D . Thom . 1 . 2 . quæst . 77 . art . 7 . loquitur enim expressè (D) de illo , qui voluntariè inebriatur . Illud tamen hic obiter notare oportet , qđ si ebrius propria culpa incidat in ebrietatem , & quidem , si dedit operam , ut inebriaretur , cum sciret se consueuisse in ebrietate arma sumere , & homines persequi , & percutere , proculdubio irregularis efficitur ; siquidem jam per immoderatam vini potionem dedit operam rei illicitæ , & ad occasionem periculosæ argum . leg . nibil interest 15 . ff . ad leg . Corn . de siccari . leg . qui occidit 30 . § . in hac , quoque 3 . vers . nam & qui occasionem , ff . ad leg . Aquil . cap . de cetero 11 . de homicid . & hic casus est extra omnē dubium , ut docet D . Covarr . dict . num . 4 . vers . posset , quidem vera censeri .

(D)  
Huc cum  
perveniret  
oratio,  
Magister  
ceremo-  
niarum  
signum re-  
cepui de-  
dit.

16 Secundò præmittendum est pro explicatione secundæ partis nostræ Clementinæ , ea , quæ de furioso hactenus à nobis sunt dicta , ad infantem septennio mi-

no-

norem transferri debere. Cujus ratio perspicua est, nam infans usu rationis careat, non secus ac furiosus, à quo non multum distat, ut ait Imp. Justinian. in §. pupillus 9. vers. sed quod diximus, inst. de inutil. stipul. non enim infans minus incapax est culpæ, & injuriæ, quam furiosus: nam quæ injuria potest puniri in infante, qui rationis est impos, ut in legem peccare videatur? Et ideo utriusque factum impunitum est, leg. quod infans 60. ff. de revindic. leg. infans 12. ff. ad leg. Cornel. de sciar. quamobrem infantis nullum esse sensum ait Paulus in leg. quamvis 32. §. infans 2. ff. ad acquir. poss. ff. leg. illud 3. §. 1. ff. de injurijs: & judicio carere docetur in leg. Praetor 12. vers. natura, ff. de judicijs, leg. 8. cum seq. ff. de adquir. hered. §. præterea 1. inst. quib. non est permis. fac. testam. & brutis comparatur à nostro Boetico Seneca epist. 121. ibi: *Quomodo ergo infans de conciliari constitutione rationari potest, cum rationalis nondum sit?* Et ideo quia ipsos innocentia consilij tuetur, nec poena criminali, aut civili puniuntur, dict. leg. quod infans 60. ff. de revindic. leg. si quis suo 33. §. fin. Cod. de inoff. testam. junc. leg. 9. tit. 1. partit. 7. quomodo enim, quæso, reus constituetur, qui nescit quod facit? Ut elegantè ait D. Augustinus relatus in cap. aliquos 5. 15. quest.

1. Gomez 3. var. cap. 1. num. 57. Plaza de delict. lib. I. cap. 31. num. 1. quos refert D. Gonç. in cap. 2. de delict. pueror. num. 8. in fin. Idemque prorsus dicendum esse arbitror de eo, qui major est infante; nam juxta Ulpian. in leg. sed & si 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil. ita demum tenetur impubes lege Aquilia, si sit injuriæ capax, ut habetur etiam in leg. impuberem 23. ff. de furtis: quo fit, ut nisi prope pubertatem sit (quia jam exinde doli capax est) ege non teneatur: & ideo non minus furioso comparatur impubes, quam infans in leg. cum Praetor 12. §. non autem 2. ff. de judicijs: ita ut de impubere, sicuti de furioso idem dicatur, & capitalem fraudem uterque videatur effugere in leg. cum autem 23. §. excipitur 2. ff. de adilit. edit. quoniam ætas eorum quid malum nequit satis discernere, cum prorsus omnia ignoret, leg. 1.

*Cod. de falsa monet. leg. ult. ff. de jar. & fact. ignor. §. in summa 18. Inst. de obligat. qua ex delict. leg. 3. §. 1. ff. de sepulchro violat. sic intelligenda cum Suarez lib. 1. ad leg. Aquil. cap. 2. num. 24. & Cujac. 6. observ. cap. 22.* Neque huic doctrinæ adversatur text. in cap. 1. de delict. pueror. ubi ætatem puerilem, sive impuberem excusari à poena furti negatur; siquidem Pontifex Gregorius IX. ibi aperte loquitur de pueris grandiusculis, id est, de doli capacibus, & pubertati proximis, ut recte Gloss. *ibidem* interpretatur. Et de hoc impubere, qui pubertati proximus est, intelligi etiam debet text. in leg. *impunitas* 7. *Cod. de pœnis.*

17 Hæc licet regulariter procedant in infante, per accidens tamen possunt dari infantes doli capaces, quia quemadmodum pubertas præveniri potest, & contingere ante 14. ætatis annum, ex traditis à D. Gonçal. in cap. 2. de delict. puer. num. 7. ita & infantes doli capaces possunt dari, præsertim his temporibus, in quibus malitia prævenit ætatem, ut tenet Panormitanus in dict. cap. 2. num. 4. Quem sequuntur plures, quos referunt Fatinac. in praxi, 3. part. quæst. 92. num. 47. Gomez 3. variar. cap. 1. num. 57. pro quorum sententia facit, quod refert D. Gregorius lib. 4. dialog. 19. videlicet infantem quinque annorum solitum jurare, & blasphemare, & manibus parentum raptum fuisse à Diabolo. Unde idem Panormitanus affirmat singulariter limitari posse regulam nostræ Clementinæ si furiosus, ut quamvis infantes doli non capaces per homicidium non fiant irregulares, irregularitatem tamen contrahant, si doli capaces sint: quod & docuerunt Villadiego de irregularit. cap. de percusore, column. 12. Magnus Praesles Covarrub. in relect. ad nostram Clement. 3. part. num. 5. Verum hæc sententia, quantumvis tantorum virorum munita præsidijs, displicet ex eo: tum quia in utroque jure aperte distinguitur infans à doli capace, leg. *impuberem* 23. ff. de furtis, leg. *infans* 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil. leg. 1. *Cod. de falsa monet.* cap. literas 4. cum seq. de *d'espousi* impub. Tum quia irregularitas non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, cap. pen. de sentent. ex-

*commun.* sed non est expressum in jure , quod infans & si doli capax sit , & plenum usum rationis habeat , si hominem occidat , vel mutilet , fiat irregularis : ergo nullo modo eam incurtere valebit: tum denique quia generaliter , & absque ulla distinctione , aut exceptione in præsenti Clemens V. constituit , infantem , si hominem occidat , aut mutilet , non fieri irregularē : ergo cum sit beneficium à lege concessum ex causa miserationis , & pietatis , non est restringendum , sed ample intelligendum ex regul. *odia 15.* *cum vulg. de regul. jur. in 6.* Nec favet sententiæ Panormitani argumentum adductum ex casu pubertatis , quia pubertas pendet à corporis dispositione , quæ ex nimio calore aliavè ex causa potest contingere ante annum 14. at doli capacitas pendet ab animo , qui haberi non potest ab eo , qui nondum fari valet , *leg. in sponsalibus 14. ff. de sponsalib. leg. 1. in princip. leg. mulier 70. ff. de V. O. leg. si infanti 18. Cod. de jure del. b.* Similiter mihi juvat exemplum relatum à Div. Gregor. quia ut post Ananiam , & alios notarunt Farinac. *abi supr. dict. quæst. 92. numer. 50.* & Gomez *dict. num. 57.* supplicium hoc potius contigit in odium patris non corrigentis filium , quam in poenam ipsius infantis , in quo propter defectum ætatis non aderat dolus , ut ex principio ipsius dialogi facile colligitur. Accedit , quod ea , quæ ex nutu Dei aguntur , non cadunt sub lege , *cap. duæ sunt 2. 19. quæst. 2.* Nec refert , quod in infante plenum usum rationis habente cesset ratio , ob quam in præsenti constitutione statutum fuit , non fieri irregularē ; videlicet quia occisio non est voluntaria in infante ; nam non cessat ratio concessionis adæquata , & totalis , cum non cesset tenera ætas , in cuius favorem immunitas ab irregularitate ei concessa est : defendit etiam hanc sententiam , licet non omnibus adductis fundamentis , Dom. Gonçal. *cap. 2. de delict. puer. num. 9.*

18 Tertio pro intelligentia tertiae partis nostræ assertionis , quæ de dormiente loquitur , præmittere oportet , quod si fortassis (ut multoties accidit) dormiens surgat de nocte in somnis , & homicidium , aliudvè delictum committat , ab omni poena immunis censemur . Cujus rei ratio

est: tum quia furioso, ac amenti comparatur , leg. 1. §. furiosus 3. ff. de acquir. possiss. cap. merita 1. cap. sane 7. 15. quæst. 1. cap. majores 3. §. sed adhuc , O §. item queritur de Baptismo : tum quia mortuo similis est, juxta illud Virgilij 6. Aeneid.

*Dulcis, O alta quies, placidaque simillima morti.*

Et illud Ovidij lib. 2. Amor. eleg. 9.

*Stultiè, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago ?  
Longa quiescendi tempora fata dabunt.*

Tum etiam , quia ob naturale vitium , & imbecillitatem excusatur quis à peccato , argum. leg. fluminum 24. §. sed ut ne 7. vers. Vitium , ff. de damn. infect. leg. probrum 42. ff. de verbor. signif. ast dormiens quidquid ita perpetrat, ex naturali facit ignorantia : ergo à delicto immunis censendus est , & consequenter etiam à poena irregularitatis, Tiraquell. in tract. de pen. temper. caus. 5. num. 2. O seqq. Hæc tamen doctrina fallit , si dormiens in culpa aliqua fuerit; quoniam videlicet sciebat, se aliquando solitus esse noctu dormiendo è lecto surgere , deambulare , arma capere, & cætera hujusmodi agere,nec diligentiam adhibuit, præcavendo nè dormiens alicui noceret, ostium claudendo, arma removendo, vel aliquid aliud necessarium adhibendo. Eo namque casu de culpa tenebitur , & poena extraordinaria, sive arbitraria puniendus erit, nec excusabitur ab irregularitate , opere subsecuto. Et ita tradunt cum multis D. Covarr. bīc 3. part. num. 6. Fagnan. in cap. ad audientiam 12. de homicid. num. 37. Toletus in summa , lib. 1. cap. 78. num. 4. Sicut & qui nimium irascitur in vigilia , & postea in somnis dat operam , ut dormiens aliquem occidat , vel offendat ; nam tunc irregularis erit , qui sic dormiens aliquem occideret, ut eleganter docent relati à D. Covarrub. citat. loc. num. 7. Deinde fallit superior doctrina , quando is, qui dormiendo deliquit, posteaque vigilando ratum habuit , & approbavit , quod jam male egit. Hunc enim punicen-

niendum esse, sentit post alios Menoch. lib. 2 . arbitr. jud. centur. 4. cas. 327. num. 3. Tiraqueli. ubi supr. num. 10. Juxta hanc doctrinam intelligendus est text. in leg. si servus 27. §. si fornacarius 9. ff aa leg. Aquil. ubi si servus coloni, vel inquilini juxta fornacem, vel locum, ubi erat ignis, obdormisset, & domus combusta sit, tenetur ad damnum; quod ideo procedit, quia, ut proxime diximus, tunc dormiens ex delicto tenetur, quando aliqua præcessit culpa, saltem in non præcavendo damnum. Unde cum in ea specie culpa præcessisset in non extinguedo igne, dormiens de incendio secuto tenetur, ut latius prosequuntur Anton. Gomez 3. variar. cap. 1. num. 74. Farin. in prax. quest. 98. ex num. 62. Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. sect. 2. cap. 2. ubi an in ejus text. specie detur actio utilis, an verò directa late exanimat. Ex eadem doctrina pendet decisio text. in cap. fin. de his qui filios occid. cap. questum 7. de pen. t. & remis. cap. consulisti 20. 2. quest. 5. in quibus habetur, quod si dormiens filium in lecto suffocaverit, irregularis efficitur propter culpam, vel negligentiam, quæ homidium præcessit; quamvis enim parentes, qui inculpabiliter filios in lecto collocarunt, & si inde eorum oppressio sequatur, nullam contrahant irregularitatem; secus verò si culpabiliter, ut docent D. Gonçal. in cap. 11. de homicid. num. 8. circa fin. P. Pithin. in lib. 5. Decretal. sect. 2. §. 3. tit. de homicid. num. 62. in fin.

19 Hucusque egimus de homicidio omnino in voluntario, & inculpabili, nunc agendum superest (ut ultimam nostri text. partem absolvamus) de homicidio coacto, seu necessario, quod non dolo, sed quodammodo coacte, hoc est ob vitæ corporisque defensionem committitur; pro cuius clariori intelligentia, scire oportet, nullam contrahi irregularitatem ab eo, qui in dubio vitæ discrimine constitutus, proprij corporis defendendi causa suum occidit, vel mutilat invasorem, & ratio est, quia ad irregularitatem contrahendam propter homicidium privatum necessaria est culpa homicidij, saltem aliqua: is verò, qui ad defensionem aliquem occidit, nullam culpam homicidij contrahit: ergo non erit irregularis. Minor probatur, nam unicuique

naturali ratione permisum est se ab aggressore defendere, leg. ut vin 3. ff. de iust. & jur. leg. itaque 4. leg. sed & si 5. leg. scientiam 45. §. 4. ff. ad leg. Aquil. leg. 1. §. vim vi 27. ff. de vi, & vi arm. leg. furem 9. ad leg. Cornel. de Si- car. leg. 1. Cod. unde vi, praeclarè Cic. lib. 1. de offic. & in orat. pro Milone. Cum autem defensio isthæc jure naturali sit introducta, gentium aprobata, civili confirmata: imò jure quoque divino, & canonico permissa, Actor cap. 7. vers. 24. & seqq. & cap. 22. vers. 55. cum seq. cap. 2. cap. 3. cap. significasti 18. vers. Si verò de homicid. cap. 3. de sent. excom. cap. dilecto 6. cod. tit. lib. 6. Clem. Pastorialis 2. §. ca- terum, de re jud. quibus consonat lex 3. 4. tit. 8. part. 7. leg. 4. tit. 23. lib. 8. Recop. ipsa meridiana luce clarius est eum, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mu- tilat, invasorem, poenam, animadversionemque ullam non mereri, cum nulla adsit culpa, alias enim puniretur quod jure permisum est contra leg. Gracchus 4. Cod. ad leg. ful. de adult. D. Covarr. in præf. 3. part. §. unic. num. 1. P. Suarez de censur. disput. 46. sect. 1. num. 1. Antonius Gomez 3. var. cap. 3. num. 20. D. Gonçal. in cap. 3. de homicid. & in cap. 18. eod. tit. num. 5. & alijs DD. communiter. Hoc tamen homi- cidiū defensionis causa commissum debet fieri servato moderamine inculpatæ tutelæ ex dict. cap. significasti 18. de homicid. alias voluntarium dicitur, leg. 1. Cod. unde vi, & irregularitas contrahitur, docet D. Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 7. in corp. & in citat. loc. D. Covarr. & P. Suarez num. 4. Acuña in cap. miror. 4. dist. 50. & in hoc casu acci- piendi sunt text. in cap. de bis 6. dist. 50. ubi ideo Clericus, qui se defendendo paganum occidit, irregularitatē incurrīt, quia defensio non fuit cum moderamine incul- patæ tutelæ, siquidem unius à pluribus fuit occisus, ut ex- plicat Gloss. fin. in eo text. eamque sequitur P. Suarez ubi supr. num. 3. Et text. in cap. si quis viduam 8. ead dist. 50. cap. 2. in fin. de Cleric. pugn. in duel. cap. olim 12. de restit. spoliat. cap. perpendimus 23. de sent. excom. Concil. Tribur. cap 11. Similiter quando Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. de reform. loquens de homicidio, quod vim vi re- pellendo, ut quis se à morte defenderet, commissum fuit, ejus

eius dispensationem committit Ordinario loci , intelligi debet in casu , quo quis excessit moderamen inculpatæ tutelæ , quia se aliter defendere poterat. Quomodo etiam accipiendus est texti . in cap. quicunque 33. 23. quæst. 8. illis in verbis : *Qui vero sine aliqua publica administratione, maleficum, furem, sacrilegum, & adulterum, vel quemlibet criminosum interficerit, aut truncaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur.* Ubi D. Augustinus agit de eo , qui furem occidit privata authoritate, non pro defensione propria , sed potius ipsum aggrediens nulla necessitate coactus. Quomodo autem moderamen inculpatæ tutelæ consideretur circa modum, tempus, causam, & factum, exponunt Navarr. lib. 5. cons. 31. & in sum. cap. 15. num. 2. P. Suarez de cens. disput. 46. sect. 1. ex num. 7. & plures alij , quos referunt P. Pirhin in lib. 5. Decret. tit. de homicid. sect. 2. S. 3. per tot. D. Gonçal. in cap. 3. cod. tit. num. 12. in fin.

20 Illud tamen coronidis loco hic commodè queri potest , an is , qui ob defensionem bonorum , quæ possidet , occidit , vel mutilat aliquem , fiat irregularis ? Et affirmativam sententiam tenuerunt Glossa fin. in cap. 2. de homicid. & ibi Felinus , & Abbas num. 2. Silvester verbo : *homicidium 2. quæst. 16. num. 11.* & alij , quos refert , & sequitur D. Gonçal. in cap. 3. de homicid. num. 11. Eam tamen opinionem , nisi rerum defensio cum vitæ quoque , corporisvè periculo conjuncta sit , minimè recipiendam esse cum quibusdam non contempnendæ authoritatis Interpretibus censeo. Huic sententiae adstipulatur primum textus in leg. furem 9. ff. ad leg. Cornel. de siccari. ubi Ulpianus respondet : furem nocturnum ita demum impunè occidi posse , si occisor parcere illi sine suo periculo non potuit. Secundò eam probat text. in leg. itaque 4. ibi : *Insidiantem mibi : leg. sed et si 5. ibi : Metu mortis : ff. ad leg. Aquil. leg. si ut allegas 4. ibi : Inferenda cadi. Cod. ad leg. Cornel. de siccari.* quibus accedunt textus in cap. 2. ibi : *Te, tuaque liberando;* cap. si per fodens 3. cap. suscepimus 10. S. verum de homicid. cap. dilecto 6. de sent. excomm. in 6. In his omnibus locis,

quæ

quæ cœdem ob defensionem factam probant , de hominum defensione , non rerum tuitione tractatur ; ut non immixtio dici possit , inclusionem unius esse exclusionem alterius , leg. 12. in pr. ff. de judicij , leg. 21. Cod. de pro. curat. Tertio facit , quod nulla prorsus sit inter bona , & vitam proporcio : adeoque vita hominis sit præferenda quibuscumque rebus etiam pretiosissimis , leg. Sancimus 21. in fin. Cod. de Sacros. Eccles. leg. justissimè 44. in pr. ff. de adi. edit. Idque sanè non immerito : est enim differentia maxima inter rem , & hominem , qui divinum dicitur animal , qui maximum naturæ miraculum , quique ad similitudinem , atque imaginem Dei ter Optimi Maximi conditus est , ut dicitur in dict. cap. 2. de homicid. ibi : Propter imaginem Dei , & cui Deus omnia subjecit , atque super universas creaturas dominij principatum concessit , Clem. 1. §. divini amoris immensitas. de reliq. & venerat. Sanctor. Quartò eandem sententiam juvat tex-  
tus in leg. 1. Cod. quando liceat sine judic. se vind. ubi cum depopulatores nocturnos propter rerum , sive agro-  
rum invasionem interficere licere , specialiter sit constitu-  
tum : inde colligitur jus commune esse in contrarium  
proindeque ad offendentis internectionem usque res defendere non esse permisum. Denique adduci potest text. in  
leg. si ex plagis 52. §. 1. ff. ad leg. Aquil. ubi taberna-  
rius , cui lucerna fuerat ablata , non potuit jure cœdere auferentem , aut ei licet effodere oculum , nisi prior ab auferente vapulasset. Ex quo evincitur ad homicidij ex-  
cusationem rerum periculum non sufficere , sed corporis etiam periculum necessarium esse. Huicque sententiæ haud inviti ad stipulantur P. Suarez de censur. disp. 46. sect. 2.  
num. 10. D. Covarr. in præsentij 3. part. §. un. num. 6.  
vers. secundò proponitur ea species. P. Pirhing. ubi sup.  
§. 2 per tot. Fachin. 1. controv. cap. 31.

21 Neque huic sententiæ resistit textus in leg. 3.  
§. 9. ff. de vi , & vi arm. ubi habetur , nos eum , qui possestionem nostram invadere tentat , armis repellere , sic-  
que occidere posse. Siquidem aperte loquitur de eo , qui cum armis venit , adeoque vita nostræ periculum creat.

Hunc,

Hunc , qui ita armata manu venit , armis quoque repellere lieet , ad hoc ut vis illata propulsetur , & par pari eidem referatur. Proindeque quando quis res tantum vio- lenter , invadit , & defensorem in vita periculum non con- jicit , tamdiu defensor tantum vim à rebus suis amove- re , & non invasorem interficere debet. Ubi verò omis- sis rebus de proprij corporis salute agitur , tunc vim vi quocumque modo etiam cum invasoris cœde propulsare licet , leg. 3. ff. de just. O jur. cum supra add. Simili- ter non obstat *textus in leg.* 1. Cod. unde vi ; ubi ab Im- peratoribus rescriptum est : recte possidenti ad defenden- dam possessionem suam , vim illatam propulsare licere ; quoniam de possessionis defensione , quæ fit cum immo- deramine inculpatæ tutelæ agit. Id autem moderamen tunc adhibitum intelligitur , quando non rebus tantum , sed propter eas vitæ etiam , sive corpori possidentis vis infer- tur , *juxta text. in cap. 2.* ibi : *Te , tuaque liberando.* de homicid. ubi ex illa copulativa inter res , & personam po- sita , satis evincitur pro sola rerum defensione occidi in- vasorem non posse. Siquidem Pontifex de eo casu querit , ubi fur , aut latro poterat comprehendi absque occisione : & ostendit tunc homicidium fore impunitum , cum pro re- bus , & persona simul defendendis perpetratum fuerit. Dicô etenim que copulativa est , ad cuius copulæ verita- tem requiritur utramque partem veram esse , leg. si bæ- redi 5. ff. de condit. inst. §. pen. Inst. de bæred. inst. Nec obstat si dicas cum D. Gonçal. in dict. cap. 2. num. 4. si in sensu copulativo acciperentur verba illa : *Te , tuaque liberando* , sequeretur , quod ob solam vita defensionem non licaret aliquem occidere , nisi simul cum vita bona defenderentur. Etsi enim verum sit illa verba copulatè esse accipienda , non tamen idcirco recte inferri potest : numquam nisi ob solam vita defensionem cœdem fieri posse , nisi simul & res defendendæ sint : quia contrarium non solum iure naturali , gentium , & civili , sed etiam alijs in locis Jure Canonico est constitutum , ut latius dixi- mus *supr. num. 19.*

22 Præterea nihil refragatur , quod bona , & res dicant-

dicantur alter sanguis , & vita hominum : & propterea paria censeantur infiduciari vitæ , & infiduciari bonis : atque ita metu amissionis omnium bonorum æquiparetur metui mortis , juxta Glossam communiter receptam in leg. ad. vocati 14. Cod. de advocatione divers. jud. Tiraquell. de nobilit. cap. 31. num. 364. cum seqq. ubi plurima notata digna ea de re congescit. Nam respondeo , comparationem istam non esse perperam : idcirco enim patrimonium , & bona vocantur hominis sanguis , & vita , quia ex ijs homo alitur , & sustentatur : alioqui longè , latè que inter se differre liquido constat. Nemo quippe adeo mentis expers est , ut non pluris faciat corpus , & vitam , pretiosissimum , nobilissimumque donum Dei , quam bona , & res suas admodum fluxas , atque caducas. Atque hinc etiam ingens deprehenditur discriminem inter eam defensionem , quæ fit ob corpus , & eam , quæ propter bona instituitur. Etenim qui corporis sui tutelam suscipit , is directò , ac immediate salutem , & sanguinem suum defendere dicitur ; qui vero bona , & patrimonium suum tuetur , mediately , atque per consequentiam solummodo salutem , & corpus suum defendit. Itaque cum hæc diversa appareant , ab uno ad aliud , hoc est , à defensione personæ ad defensionem rerum nullum firmum , aut validum ducitur argumentum , leg. Papianus 20. ff. de minorib. leg. 7. §. 1. ff. pro emptor. leg. 83. §. sacram 5. vers. sed bac dissimilia sunt , ff. de verb. oblig. Unde quoque constitutum esse videtur , ut nocturnum furem , qui non tam furandi , quam occidendi animo adesse præsumitur , præmissa proclamatione , indistinctè , simodò ipsi sine vitæ periculo parcí non potuerit , leg. furem 9 ff. ad leg. corn. de sciar. diurnum vero simili clamore adhibito , nonnisi telo se defendantem interficere liceat , leg. itaque 4. ff. ad leg. Aquil. leg. 54. §. 2. ff. de furt. junct. cap. si perfodiens 3 de homicid. Quare dominus , seu pater familias , si cum tutè apprehendere furem vel proclamando avertere , aut alias sine metu mortis , corporisve periculo ei parcere posset , occidere eundem maluit , lege cornelia tenebitur , leg. sed et si 5. ff. ad leg. Aquil. dicit.

*dict. cap. 2. de homicid.* Eaque de re vide latè differen-  
tem D. Gonçal. in *dict. cap. si perfodiens* 3. num. 9.  
*cum 2. seqq.*

23 His non inutiliter expositis pro nostri textus  
intelligentia, prout pressura temporis permittit, respon-  
demus modò ad rationes dubitandi, quas contra nostrum  
textum, & assertionem objecimus *supra ex num. 2.* Non  
quidem obstat prima desumpta ex paritate prodigi, cui  
facile obviam ibis dicendo, quod et si prodigus (qui ne-  
que tempus, neque finem expensarum habet, sed bona  
sua dilacerando, & dissipando profudit, *leg. 1. ff. de*  
*curat. furios.*) furioso æquiparetur, adeoque propter ho-  
micideum, aliudvè delictum commissum conveniri non  
posse videatur, *ex leg. is cui 6. ff. de verb. oblig. leg.*  
*furiosi 40. ff. de reg. jun. cum alijs*, tamen verius est,  
æquiparationem istam tantum procedere quoad contractus,  
& bonorum administrationem *leg. his, qui 12. §. Divus*  
*2. ff. de tutor. & curator.* non autem quoad delictorum,  
maxime in faciendo consistentium, coercionem, ut cum  
pluribus docuerunt Gomez 3. var. *cap. 1. num. 75.* &  
Fachin. 2. *controv. cap. 68. circa fin.* Similiter non ad-  
versatur paritas quadrupedis, cui ut respondeat Faber *in*  
*rat. ad leg. sed et si 5. §. & ideo 2. ff. ad leg. Aquil.* solum  
dixit, non usque adeo adæquandum esse furiosum quadru-  
pedi, ut pro damno, quod furiosus dederit, & pau-  
perie, quam fecerit, aliqua actio dari debeat: & in ra-  
tion. *ad leg. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fecisse*, cum  
fateatur, ideo ex damno dato à quadrupede damni inju-  
ria nomine agi non posse, quia non potest animal inju-  
tia aliquid facere, cum sensu careat: docet, sensu ca-  
rere rationis, ut de infante, & furioso scriptum est in  
*leg. si tibi 8. §. unius 2. ff. de opt. leg. leg. 12. ff. ad*  
*leg. corn. de sciar.* Nec tamen, prosequitur idem Faber,  
consequens est, ut etiam pro homine, qui sensu careat,  
puta pro furioso, & pro pupillo, hæc actio dari possit;  
non enim datur, nisi pro brutis. Hæc tamen solutio pla-  
cere non potest, dum ratio dubitandi in suo robore ma-  
net; potius enim difficultatem excitat, quam dissolvit.

Quare

Quare aliter eam enervare tentat Fortaculus *dialog.* 33.  
*num.* 2. assertens , hoc interesse inter quadrupedem , &  
 furiosum , quod quadrupes pro noxia dari potest , *leg.*  
 1. *ff.* *si quat. paup. fec.* non autem furiosus ; cæterum  
 in alijs convenire ; nam nisi pro quadrupede dominus con-  
 venitur , etiam pro furioso custos ejus , *leg.* *Divus* 14.  
*ff.* *de offic. Praesid.* eodemque modo se videtur expedire  
*Arellano lib. 2. de rat. imperio , cap. II. num. 1.* Sed nec  
 hæc arridet evasio ; quia ita demum furiosi custodes tenen-  
 tur , si negligentiores sunt in ejus custodia ; quippe tunc  
 culpæ eorum imputatur damnum ab eo datum : & in hoc  
 casu , quando scilicet dominus quadrupedis culpam com-  
 missit , non datur actio de pauperie , sed damni injuriae  
 nomine agi potest *dict. leg.* 1. §. 4. *ff.* *si quad. paup.*  
**Quapropter** valde diversi sunt quadrupes , & furiosus , si  
 quidem casu , quo custos negligens non sit , dagnum  
 omnino impunitum remanet , adeo ut nec adversus domi-  
 num , quando servus ejus furiosus damnum dedit , actio  
 ulla prodita sit , si sine culpa , aut negligentia ejus ac-  
 cederit , contrarium verò militat in quadrupede , ex cuius  
 damno tunc præcisè actio *ex leg. 12. tabul.* adversus do-  
 minum , qui nullam culpam adhibuit , nec ulla negli-  
 gentia ei imputari potest , datur.

24 His ergo , & alijs subterfugijs omissis , ten-  
 tabam posse dici , actionem de pauperie cessare , quando  
 quadrupes damnum dat naturali feritate commotus , *princ.*  
*Inst.* *si quad. paup. fec.* habereque locum , quando con-  
 tra naturam , id est , contra naturalem manuetudinem  
 omnium ejus generis animalium , dagnum dat , *leg. 1. §.*  
**O** generaliter 7. *eod. tit.* ideoque si equus dolore con-  
 citatus calce percusserit , tunc hæc actio cessat. Cum er-  
 gò furiosus quasi sui morbi dolore concitus , & non  
 excedens naturalem feritatem aliorum sui generis furioso-  
 rum , dagnum det , inde tentari poterat , mirum non  
 esse , ut pro damno ab eo dato nulla detur actio. Nec  
 refragatur , quod licet in specie proposita cessaet actio de  
 pauperie , in factum tamen datur contra eum , qui equum  
 percusserit , aut vulneraverit ; ergò non remanet omni-

nō impunitus. Nan respondeo , quod si accidat , ut aliquis furiosum concitaverit ad damnum faciendum , similiē aduersus eum experiri conveniet. Non item obstat augmentū primum ipsius difficultatis deductum ex Conc. Uvormac. can. 18. O ex cap. si quis 12. 15. quæst. 1. nam etsi furioso propter delictum in furore commissum , si ad sanam mentem pervenerit , aliqua poenitentia injungatur , ea imponitur propter causam , eò quod ipsa infirmitas causa peccati fuisse videtur , non propter culpam , cum suæ , & sanæ mentis non sit , ut latè probavimus supra num. 8. quapropter licet pro homicidio in furore perpetrato imponatur poenitentia , non tamen irregulatis manet , nisi casu , quo propria culpa in furem incidit , juxta à nobis tradita num. 12.

25 Similiter non obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis ex leg. fin. § fin. Cod. de curat. furios. ubi supponitur furiosum , & furiosam exhereditos faisse propter ingratitudinem erga patrem ante furem commissam. Occasione hujus difficultatis disputant DD. numquid mente santis homicidium , aliudvè delictum committens , ob furem supervenientem corporali poena , durante furore , affici possit ? Interpretum judicia varia sunt : quibusdam putantibus furem post delictum perpetratum advenientem delicti impunitatem adferre : non nullis contrariam prorsus sententiam propugnantibus. Et quidem prioris sententiæ , quæ receptior est Auctores sunt Baldus , Jason , & plures alij laudati , & sequi à D. Covarr. hic 3. part. num. 2. Gomez 3. var. cap. I. num. 72. Posterioris verò sententiæ assertores sunt Ludov. Roman. in leg. furiosam 9. Cod. qui test. fac. Barbos. in cap. super litteris 20. de rescript. num. fin. & alij congesti à Gomez dict. num. 72. circa med. Cæterum ego nec priori , nec posteriori sententiæ acquiescendum , sed totum negotium arbitrio Judicis , ac Principis , quem Judex consulete debet , committendum esse arbitror ex leg. Divus 14. vers. si verò ff. de offi. Praesid. Qæ profecto lex nihil certi definit , sed potius aperte statuit , Judicem diligenter explorare , & inquirere debere , an faci-

cinus a verè furioso commissum sit ; nec non Principem consilendum esse , qui aestimet , utrum delinquens supplicio sit afficiendus. Itaque Judex , ac Princeps omnibus delicti , totiusque negotij circumstantijs mature , accuratèque pensatis , de poena decernet , prout æquitas , & ratio poposcerit ; atque ita etiam sentire videtur Fachin.

*9. contr. cap. 3.* Sed retenta priori sententia adhuc non obstat *aict. leg. fin. §. fin.* quoniam respondetur , quod licet regulariter loquendo furiosus non puniatur propter delicta ante furorem commissa , hoc tamen cessat aliquando , videlicet in teterrimis , & immanibus delictis , quale est illud , de quo in *dict. leg. fin. §. fin.* Nam quid majus quam erga Patrem ingratitudo , ob quam præcipue exhortatio meretur ? Si enim ingratitudo erga extra-neos grave nefas reputatur , juxta illud Aulonij epig. 132. *Nil homine terram pejus ingrato creare :* Unde etiam ingratitudinem omnium vitiorum maximum vitium appellavit noster Boeticus Seneca in lib. 1. de benef. cap. 10. quid de ea , quæ erga parentes committitur dicendum ? Ergo nihil mirum quod exhortationis reus censeatur furiosus , nec ejus morbo venia tribuatur , argumento eorum , quæ supra num. 9. diximus ex Levit. cap. 20. & ex D. Augustino relato in cap. mulier 4. 15. quæst. 1.

26 Nec etiam relaxatur text. in *leg. 1. ff. de pœnis* , ubi indistinctè habetur , quod in delictis poena imponitur secundum tempus delicti ; quoniam illud debet intelligi respectu qualitatis personæ , veluti si servus post crimen commissum libertatem consequatur ; tunc enim non puniunt ut liber , sed ut servus ; ut dicitur in *dict. leg. 1. §. 1.* O<sup>r</sup> 2. non autem procedit respectu personæ incapacis subeundi poenam , qualis est furiosus ; tum quia satis , superque furore ipso puniri videtur , ut inquit Consultus in *leg. 14. ff. de offic. Præf.* tum etiam , quia præcipuus finis poenarum est , ut ipsi rei emendentur , & alij exemplo terreatur , *leg. si quis 6. §. si quis 1. leg. si pœna 20. cum alijs ff. de pœn. junct. cap. prodest 4. 23. quæst. 5.* Id quod in furioso minimè locum habet. Neque obstat , quod secundum Theologos , & Canonistas furiosus punia-

puniatur , vel judicetur ad poenam , secundum opera commissa ante furorem ; quia cum lethale peccatum privet peccantem gratia Dei , & haec non recuperetur , nisi per Sacramentum poenitentiae , & veruna dolorem de peccatis commissis , furiosusque imponitens decedat , nihil mirum quod damnationis poenam quoad Deum non effugiat propter peccatum tempore sanæ mentis commissum , cap. 6. in fin. de pœnit. dist. 7. Minus obstat text. in leg. 31. §. 4. ff. de usucap. quoniam ibi agitur de usucapione , qua furiosus volebat ditari cum alterius jaœtura , quod jure naturali iniquum est , cap. locupletari 58. de reg. jur. 6. leg. jure 207. ff. cod. tit. cum vulg. at nos loquimur de easu , in quo delicti gratiam sibi fieri sine alterius detimento postulat : quapropter hoc longè prorsus concedendum , leg. rescripta 7. Cod. de precib. Imp. offer. Ita sentire videtur Fortaculus dialog. 33. num. 4. Verum haec Fortaculi evasio supponit difficultatem , ubi nulla inventitur. Nam in hoc , quod presumatur , furiosum in eadem mala fide perseverare , in qua erat ante furorem , non potest considerari ulla punitio , nec inflictio poenæ ; cum etiam si furiosus non esset , eamdein presumetur habere malam fidem , donec de bona non constaret , argum. text. in cap. Perlatum 1. de his , quæ vi : non est ergo poena habere aliquem pro malæ fidei possessore , cum re vera talis sit.

27 Neque vero secundam nostræ assertionis partem infirmitur textus in cap. adhuc 32. de pœnit. dist. 3. & in cap. si enim 40. de pœnit. dist. 2. in quibus ex D. August. & Hieronym. legitur , quod nemo mundus à peccatis , nec infans , cuius est unius diei vita , super terram ; nam hoc accipiendum est de peccato originali , quod contrahitur à die animationis : & ita Sancti Doctores non sunt intelligendi de infantis ordinaria nativitate , sed de priori secundum Adam , quæ contigit tempore conceptionis. Et ita verum est , nec infantem unius diei , immo nec unius horæ , posse dari absque peccato , videlicet originali. Sed huic solutioni obstat graviter textus in cap. firmissime 3. vers. firmissime de consecr. dist. 4. ubi ex

codem D. Augustino dicitur , parvulos non baptizatos sempiterno igne puniendos : ergo quia parvuli nedum capaces sunt peccati originalis , sed etiam actualis. Cui difficultati priusquam respondeam , notare oportet ; probabilitatem esse sententiam eorum , qui asserunt parvulos cum solo peccato originali decedentes , ita ob illud damnari , ac visione Dei , & cœlestis gloriae fruitione privari , ut tamen nullum inde dolorem neque internum , neque externum patiantur , ut patet ex D. Gregorio Nazianç. *Orat. de baptism.* ubi loquens de parvulis sine baptismo descenditibus : *Existimo (inquit) illos , neque gloria donandos , neque pena multando esse : ut qui baptismi quidem characterem non habeant , sed improbitate quoque non laborent , verum & ipsi damnum potius passi fuerint , quam injuriam fecerint.* Unde hoc supposito respondeo , D. Augustinum accipiendum esse de poena damni , & carentia visionis Dei ; passim enim in Sacra Scriptura , & apud Ecclesiae Patres ignis nomine notatur poena , aut vindicta gravis , quæcumque illa sit , juxta illud *Pſalm. 76. vers. 10.* Ibi : *Igne nos examinasti* , id est verberibus , & flagris , ut oprimè notat D. Basilius in *Pſalm. 139. vers. 11.* ibi : *Cadent super eos carbones ignis* : docet post alios D. Gonç. in *not. ad cap. majores 3.* §. *verum de baptism. num. 2.* Vel potest responderi ignis æterni nomine apud Augustinum intelligi locum inferni , ita ut ve lit S. Doctor solum parvulos illos ad aliquam inferni partem desponsuros , ibique perpetuo moraturos , ut & communiter docent DD. ubi tamen aliqua animi , & corporis pace , & quiete perficiantur , necnon immoderato aliquo lumine , ita ut semper verum sit , nullam illos penam sensibilem externam , aut internam subituros esse. Neque obstat primum augmentum hujus difficultatis ex *cap. 1. de delict. puer.* nam hujus textus difficultas satis jam explicata remanet *supra num. 14. in fin.* Similiter non refragatur secundum augmentum ex *cap. 2. eod. tit.* quia in eo tantum agebatur de exigenda poena centum solidorum à pueri doli non capace propter homicidium casu commissum , ideoque ex eo , quod Pontifex prohibeat.


nè ipsi poena temporalis infligatur , non infertur puerum ,  
 de quo in eo textu agitur , irregularem manete , alijſ-  
 que poenis spiritualibus puniri posse : videndi sunt Dom.  
 Gonç. in not. ad dict. cap. 2. num. 3. & Fagnan. in  
 cap. 41. de sent. excomm. num. 91. Denique non obstat  
 quartā , & ultima dubitandi ratio *supra num. 6. expen-*  
*sa , pro cuius solutione videndus est D. Gonçal.*

*in cap. 3. de homicid. num. 11. in pr. ♂*

*num. 12. cum seq. junct.*

*quaꝝ diximus.*

*num. 19.*



# REPETITIO

*AD TEXTUM IN CAP. IN APIBUS 41. VERS. ROMA,*

*CAUS. 7. QUÆST. 1.*

P R O

OBTINENDA IN SACRO JURE CANONICO

LICENTIÆ PALMA

CORAM

ACADEMIÆ SALMANTINÆ PATRIBUS

H A B E N D A

A DOM. D. DIDACO FERNANDEZ

DE CORDOVA ET ARAGON,

Rutensi Abate, Sanctæ Toletanæ Hispaniarum

Primatis Ecclesiæ Canonico, Veterisque, ac

Majoris Divi Bartholomæi Collegij

fusciali toga præ-  
cincto.

# AUCTORE

SUO DILECTISSIMO PRÆCEPTORE  
DOCT. D. DOMINICO NICOLAO ESCOLANO;

Apud eosdem Salmatenses ejusdem

Juris publico Professore,

Anno Dom. 1722.

NON



ON injucundum fore vobis arbitror ( Amplissimi hujus Academæ Patres ) famosum illud facinus excipere , quod olim urbem terruit , & orbem. Profecto injuriam celsissimo huic Theatro irrogarem , si aliud non æquè

nobile Antiquitatis monumentum in medium proferrem. Verum quid , obsecro , magis dignum , opportunumque in hoc tractari Senatu , qui Sacrum , & Regium est sapientia domicilium , & caput ; nisi argumentum illud , quod Roma , Religionis scilicet caput , & Imperij , vestris auribus insinuandum obtulit. Affatim ergo , quæ mihi tanto muneri desunt , materia dignitas explebit. Ergo inter alias Sanctorum Patrum sententias , quibus veluti stellulis nitet , aut gemmarum copia ditescit Gratiani Decretum , una est Hieronymi , quæ refertur *cap. in Apibus. 41. vers. Roma, caus. 7. quaest. 1. Roma* ( sic loquitur Maximus Ecclesiæ Doctor ) ut *condita est* , duos fratres simul Reges babere non potuit , & parricidio dedicatur. Verba hæc quidem sunt ante hac a paucis clucubrata. Expendam illa , ut mos fert Academicus , & harum prælectionum postulat ordo. Præibit assertio : illam & Legum , & Doctorum authoritas roborabit. Succedit oppugnatrix ratio denso argumentorum agmine stipata. Adhæc , quæ tenebris vel tantillum offuscata sint , quibus possim Jurisprudentiæ facibus illustrabo. Denique rationem subjungam in hoc dissidio arbitram , quæ expedita manu objectionum jaculis se se opponat.

2 Ut tamen feliciorem exitum nostra hæc sortiatur concertatio , illa mihi opus est modo compellare Numinia , quorum juvamine nihil non possim faustissimum sperare. Adsis ergo Augustissima Tryas Pater , Filius ; & Spiritus Sanctus , votaque nostra assere Christe.

*O nomen prædulce mibi , lux , & decus , & spes .  
Præsidiumque meum , requies , ò certa laborum.*

Faveat divini Verbi felicissima parens , & qua solet dulcedine , benignitateque me ad concertandum validissime obfirmet. Aspriet castissimus Deiparæ Spousus Joseph. Adfaveant Angelus custos , Michael Archangelus , Apostolorum Principes Petrus , & Paulus. Adsit diuinum togæ decus , virtus hæremitici Sacci Joannes à S. Facundo , vetustissimi mei Collegij Fulgentissimum sydus , florentissimum germen , hadera maritata cupressu germinato germine vitens. Nec deserant domestica patrocinia Divor. Bartholomæi , Fabiani , & Sebastiani. Tu que, ò ardentissime Ignati , qui orbem doctrina illustras , qui sacro igne accendis , tu me coecutientem luce dirige , ardore fove. Vos Ecclesiæ lumina Thoma , & Augustine , vos feminineæ sexus gloria Getrudis , & Theresia me in arenam euntem recipite. Denique exoro , atque humili prece invoco Sanctissimos Didacum Complutensem , & Paschatium , quorum mihi nomina aurea fors incidit , cum sacro fonte Iustrandus salutari bus undis immergerer.

3 Sed quia grati animi est , accepti beneficij intimis præcordiorum affectibus memoria perpetuo sculptam posidere. Cedat quidquid dixero non in qualem qualem , sed in maximam laudem , reverensque cinerum monumenum illius quondam magnanimi Principis , Excellentissimi Domini , ac semper Domini mei D. D. Didaci ab Anaya , & Maldonado , primum Henrici III. Castellæ Regis , ac Ferdinandi fratis ejus Regis Aragoniæ Magistri , ac Præceptoris vigilantissimi : deinde Tudenii , Auriensis , Salmanticensis , ac Chonchensis , simul Ecclesiæ Præsulis dignissimi : tunc temporis in oecumenica generali Constantiensi Synodo Hispaniarum Legati fidentissimi , ibidemque pro sedando totius Orbis jam pene quinquaginta annorum infestissimo ingruente schismate , Martini V. Pontificis Maximi Electoris destinati , summaque cum spectatione in patriam revocati , Summi Senatus primi Præsidis , ac

ac tandem Archiepiscopi Hispalensis , cujus opera , & ope non solum hæc Academia tot insignibus nobilitata Collegijs exultat , verum non in gloria tota Hispania nimis grata lætabunda gratulatur , dum primum illud nostrum Divo Bartholomæo sacrum fidei fortalitium , scientiarum domicilium quatuor ab hinc sæculis , cæteris futurum prototypum , felicibus vovit , felicibusque extruxit auspicijs , cujus clamide accinctus alumnus litterariam tento palæstram.

4 His de more , & debito obsequio prælibatis auspicijs , conclusio , quæ ex supra relatis Divi Hieronymi verbis depromitur , sequentibus verborum clauditur cancellis : *Romulus in Remum parricida fuit.* Conclusio hæc , licet solo verborum sonitu veritatis specimen exhibeat , nobilibus tamen testimonij firmatur. Primum , quod cætera quidem cl. ritate percellit , est Pomponij in *leg. fin. ff. de rer. aro.* *Siquis* ( inquit Consultissimus Vir ) violaverit muros , capite punitur ; nam *¶ Romuli frater Remus occissus traditur* , ob id , quod murum transcendere voluerit. Nec miremini me profanæ Jurisprudentiæ primum dedisse locum ; sacra quippè Canonum volumina ( ut suspicor ) horrendum adeo paricidij facinus , nedum patratum ferro , verum & calamo scriptum perhorrescunt ; idcirco ne vestigium tanti criminis in illis invenitur. Quapropter Sanctorum Patrum , & aiorum Doctorum opera veluti asylum criminatrix ita causa solicitat.

5 In primis suffragantur illi S. Leo papa *concion. SS. Apostolor. Petri , ¶ Pauli , S. Augustini lib. 3. de Civitat. Dei , Justinus lib. 28. suæ historiæ , Navarrus in cap. novit. 13. de judicijs , notabil. 3. corolar. 63. D. Valençuela Velazquez tom. 2. consil. 299. num. 13. Jacobus Revardus lib. singular. de authoritate Prudentum , D. Solorçanus in tract. de Parricid. lib. 2. cap. 14. Arnoldus Vinnius in §. Sanctæ quoque res 10. Inst. de rer. divis. num. 2. Prosperus Fagnan. in cap. significasti 4. de elect. à num. 34. Sapientissimus hujus nostræ Academiæ Pontificij Juris Primarius Doct. D. Andreas Garcia à Samaniego in Acad. repetit. ad textum in cap. majoribus 8.*

*de Præb. & dignit. num. 13.* His accedunt alij quam plurimi , quos nè vobis molestus sim , præterire juyat.

6 Cæterū licet assertio nostra fortissimo tot Sapientum præsidio sit communia, validis tamen argumentorum machinis impetratur. Porro si fides danda est Plutarcho , Andreæ Paladio , & Rosino , Remus occiditur à Romulo , sed impunè : Non ergo insimulandus est Romulus parricidij. In antecedenti hærendum mihi est. Probationem præbeo : etenim Remus immani imperandi aviditate perculsus , eò usque progressus est , ut Urbi recenter structæ sibi debitum vellet imponere nomen.

*Certabant Urbem Romam , Romamvè vocarent .  
Omnis cura viris , uter esse induperator.*

Canebat olim antiquissimus Poëtarum Ennius. Ad id expectantur auguria , consuluantur Arioli , quorum pars major Romulo cessit. Hinc fraternum odium exarsit : ex oraculis ventum est ad arma , utrinque pugnacissimè aggrediuntur : vicit tandem Romulus bello , qui victor antea extiterat pace. Quæ , obsecro , injuria ? Quid reprehensione dignum aperitis in Romulo ? Nam vim vi propulsare permittunt naturæ præcepta , & probant unanimiter Consultorum responsa. Testes mihi sunt textus *in leg.* *ut vim 3. ff. de iust. & jur. leg. 1. S. vim vi 27. ff. de vi , & vi arm.* textus *in cap. 2. & 3. de homic.* Clem. 2. §. ceterum de re jud. cum alijs à me congeslis in extemporanea elucubratione ad Clem. si furios. un. de homic. volunt. vel casual. num. 19. Remus hostili voce bellum Romulo indixit , aggreditur : Romulus jus sibi concessum tuebatur : nil ergo justum , milvè contrarium legibus Romulus fecit ; nam

*Armaque in armatos sumere jura finunt.*

7 Præterea Bartholus Jurisperitorum facile Princeps Romulum à parricidio liberat hisce verbis : *Fratres periz*

perimere est actus tyrannycus , quod verum est , nisi ex juxta causa , ut fecit Romulus de Remo ; in quibus duo ostendit , tytannidem videlicet Remi , & justam Romuli defensionem. Modò sic ; Reipublicæ incumbit perturbatores debitiss compescere pœnis ; itaque si audacia eō crescat , ut leges parvi pendant , ad ultimum usque capitis discrimen illos adigi oportet , *leg. capitalium* 28. §. solent 3. ff. de pœnis , *leg. fin. tit.* 10. part. 3. violaverat Remus legem à Romano populo latam , in qua Urbis prima sedes Romulo deferebatur : merito ergo potuit Romulus ardentem adeo contra jus , & fas dominandi cupidinem ipso Remi sanguine extinguere.

8 Ad hæc , si retroacta saccula memoria repeatat , innocentem Romulum inveniemus. Non dum Romanum florebat Imperium , nec prima erant erecta Civitatis molimina , & jam Remus proprio erat cruento sepultus : hoc indicat Tibulli carmen

*Romulus æternæ nondum fundaverat Urbis  
Mœnia , consorti non habitanda Remo.*

Imò parricidium usque ad Lucium Hostium longè quidem posteriorem Romulo ignotum in Romanorum subfelijs habebatur : Remum trucidaverat Romulus , quin ulla ante hoc fraternum excidium parricidij pœna foret designata , quod vel de tempore Romuli jam pridem observaverat Rodiginius *lib. 11. leēt. antiq. cap. 17.* Denique : proprius dicerem , Romulum fratricidij crimine , non autem parricidij augustum polluisse nomen : è vivis sustulit fratrem : fratricidio ergo vel ipso sanguinis vinculo Romulus dumtaxat mulctari poterit.

9 Hucusque excepiamus haud inermia adversariorum argumenta , quæ tamen , ut radicitus conveillantur , finite , obsecro ; ( Audires optimi ) altius rem istam explanare , atque intra veritatis mœnia memetipsum non debilibus circumunire armis. Postquam ergo larvatus ille Ulyses Troyæ campos incineravit , Rheaque Numitoris filia ex voraci flamarum imbre evasit incolumis ,

è fatali libidinis ardore , Matre Rhēa , & Marte genito-  
re Romulus , & Remus gemello ortu lucem aspexere , quos  
vel ipsa mater erubescens,

*Amne jubet mergi , geminos scelus unda refugit:  
In sicca pueri deſtituntur humo.*

Sic expositi partu , socij & fortuna fuere , donec ad ma-  
jora nati , rerumque fluxarum discrimina experti Roma-  
nam Urbem ambo condiderunt : ambo dixerim juxta  
commune Eruditorum placitum adversus ea , quæ non  
ita concordes opinantur Virgilius , Valerius Maximus,  
Marcus Varro , & Aulonius.

10 Hinc facile quisque noscere incipiet Ro-  
muli crimen ; quippè cum natura Romulum , & Remum  
tum meritis , tum fortuna æquales mundo dedisset , in-  
justè sibi Romulus abrogavit dignitatem Imperij : unde  
fas erit conjicere non alio , quam afflato invidiæ Romu-  
lum in Remum conspirasse . Hoc facinus egregiè descri-  
bit Chrisologus *concion. 4.* loquens de Caýmo , qui ab  
orbis exordio præextitit exemplar Romulo . O Cœli ,  
(inquit) tumor , duos non capit domus ampla Germanos:  
O quid mirum fratres ! Fecit invidia , fecit ut mundi  
tota duobus esset angusta fratribus latitudo . Adhæc ,  
sicuti in humano corpore duo prominere capita mons-  
truosum est , cap. quoniam 14. de Offic. Jud. ord. sic in  
polytico Regnorum corpore foedum est plusquam uni  
solium præparari ; nam neque in una navi multi Guber-  
natores , neque in armendo , aut Grege duces multi , nec  
in uno examine multi Reges ; adeò quippè in unitate ,  
Scribebat olim Lactantius de ira Dei , cap. 11. natura  
universa subsistit . Porrò Reipublicæ nimis exitiosum est  
duorum legibus subjacere , quæ non semel diversa im-  
perarent , ancepsque passim foret inter subditos , cuius-  
nam sanctione , essent præferenda . Huic rationi nonnulla  
antiquitatis monumenta accedunt . Contentio i la invida  
& flammaatem pyram protracta fuit . Præterea Cæsar ,

&amp;

& Pompejus affinitatis vinculo devincti fuerunt, nec tam  
men necessitudinis fœdus in æmula tenuerunt potestate,  
ajebat eloquentissimus Cyprianus *libr. de Idolor. van-*  
*nitat.*

11 Hæc, nisi ratio fallat, satis indicant super-  
biæ, & invidiæ humore Romuli animum tumescentem,  
quod pulchre cecinit Pharsaliæ Vates.

*Nulla fides Regni socijs, omnisque potestas (Lucanus  
Impatiens consortis erit. Nec gentibus ullis  
Credite. Nec longè factorum exempla petantur,  
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Cui consonat Rodiginius *lib. 24. lection. antiq. cap. 11.*

*Nulla sancta societas, nec fides Regni est,  
Omnisque potestas impatiens consortis erit.*

Optime noster laureatus Poeta Lope de Vega Carpio,  
qui loquens de Romulo, & Remo sic canit.

*Hijos de Marte nacimos,  
Eterna Ciudad fundamos;  
Siete montes ocupamos,  
Y en todos aun no cupimos:  
No es governo el dividido,  
Cielo, y Tierra rige un Dios;  
Un Reyno no sufre a dos,  
Ni dos Pajaros un nido.*

Ex quibus, & alijs authoritatibus regimen monarchicum  
aristocratico, & democratico præstantius esse tenent cum  
pluribus Prosperus Fagnanus *in cap. significasti 4. de elect. a num. 34.* & Salmaticensis Primarius noster D. Sa-  
maniego *in Acad. repetit. ad text. in cap. majoribus 8. de Præbend.* & dignit. num. 12. ubi plurima notatu-  
digna ea de re congerunt.

12 Forsan hic aliquis tacitus obmurmurat, &  
me

me inconsequentia simulat : superius quippe dixi , Remi mortem Urbis præcessisse moenia , modo autem Romanum muro circumvallatam esse astero. Libenter audio ; filum tamen consequentia me hucusque servasse convinco. Bifariam Urbis muros considerare libet vel aratro ( ut scitis ) duntaxat designatos , vel supra terram erectos ; ea autem tempestate , qua Romulus exanimavit Remum , solum erant , sic fateor , ferro delineata mœnia ; cæterum hoc abunde sufficit , ut secundum Romanorum mores muri absque ullo discrimine appellen- tur. Sic non semel Urbis porta aratro tantum signata porta absque ulla restrictione dicitur à Marco Catone in fragmentis : captato ( inquit ) augurio , qui Urbem novam condebat , taurō , & vacca arabat , ubi arasset , murum faciebat , ubi portam volebat esset , aratrum tollebat , & portam vocabat.

13 Hinc haud difficulter objectio diluitur : nempe murorum transgressioni sat esse , quod aratrum illos solummodo indicaret , irreverentia etenim scelus idem est sublata mœnia , aut infima illorum fundamenta transilire. Non quiescis adhuc ; nam teste inter Consultos Modestino in leg. desertorem 3. §. Nec non 17. ff. de re milit. leviori puniebatur poena , qui fassam ( utar Consulti verbis ) quam qui murum superabat : hic capite plestebatur , ille autem à militia exulabat : non adeò atrox Remi peccatum judicandum erat , ultimoque discrimine afficiendum , cui tantum exilij poena juxta legem respondere debuisset.

14 Sed hæc non urgent ; Romuli quippe edicto sancitum erat , nè quis ampliores limites Civitati præscriberet : quam legem transgredienti ultima inter homines poena imponebatur. Imò non solum apud Ethnicos , verum etiam in Catholico nostro Regno hujusmodi lex jam diu stabilita , & promulgata fuit , ut constat ex leg. 6. tit. 7. lib. 5. recopil. leg. 8. tit. 6. lib. 6. recopil. Reusque læsa Majestatis arguitur quisquis justissimis adeo sanctionibus contradicit : textus in leg. 3. ff. ad leg. Jul. Mai. Qui consentiunt Matienço , Azeve- do,

do , & Gigas. Legem Remus violavit , dominandique cupidine , ultra quam per edictum Romuli licebat , progressus est: justam igitur passus est pœnam , qui adeo graviter delinquisse videbatur.

15 Insistis : tollitur de medio Remus , quod vellet muros concordare : voluit ergo tantum , conatum tamen cohibuit forsan facti atrocitate perterritus: modo sic : affectus polyticarum legum pœnis non sub jacet , nec in abditas hominum passiones humana potestas imperium exercet , *textus in leg. cogitationis 18. ff. de pœnis , cap. cogitationis 14. de pœnit. dift. i.* igitur contra legum omnium æquitatem , imo & sine lege occiditur Remus. Huic non levi difficultati occurrat inter alios magnus ille vir Bartholus , inquiens , Remum & facto , & voluntate peccasse ; verum enim est , innui duntaxat moenia transcendere voluisse , ut pateret inde non casu , sed consulto , quod animo audax volvebat ad executionem usque perduxisse. Nodum istum hac etiam arte dissolvit Primarius Juris Interpres Ferdinandus de Mendoza *lib. i. de pact. capit. 3.*

16 Veneror , ut par est , Bartholi doctrinam: ceterum nequeo non mirari accuratum istum Jurisprudentiae Magistrum plus justo in Romulum propendere , quo magis detegit , atque arguit Remi delictum , Romulum a tyrannide liberat. Profecto , ut cum Cicero loquar , *Romulus omittit bis pietatem , O humanitatem , ut id , quod utile videbatur , neque erat , affectui posset ; O tamen muri causam opposuit speciem honestatis , nec probabilem , nec satis idoneam.* Prætexuit absdubio Romulus Religionis larva avarum dominandi animum ; re tamen injustus , crudelisque exactor sanguinis extitit fraterni. Quod vel ex monumentis Romanarum antiquitatum manifestum fit. Porro extra controversiam est , utrumque fratrem æquo jure , æqualique fortunæ eventu imperium obtinuisse : duos fratres ( inquit textus noster ) simul Reges habere non potuit , cui accinuit Virgilij Lyra:

*Cana fides, & Vesta: Remo cum fratre Quirinus  
fura dabunt.*

Ecce Romulum, & Remum sceptro pares: quo igitur jure, quove naturæ privilegio alteruter superior evasit? Sanè nullo, quod sciam. Imò famosum, & à natura ipsa receptum est, quod par in parem non habet imperium, juxta text. *in leg. nam Magistratus 4. ff. de recept. arbitr. cap. cum inferior 16. de major.* & obed: quin potius vel juxta ipsum Bartholom ad leg. inter tutores. 36. ff. *de administ. tutor.* hoc primarium juris elementum ubique receptum est.

17 Verùm enim verò ex duobus, qui æquè Castro, vel Civitati dominantur, utro ex illis peccante non ab alio, quam a Supremo utrorumque Judice puniri debet; quos etenim natura, vel fortunæ eventus æquavit, lex non discriminat, nec alterum alio superiorem jurisdictione constituit; cum autem supra constitisset, Remum Romulo æqualem imperio fuisse, nullis legibus coerceri debebat quodcumque in illas prohibitum facinus admisisset. Principem quippè decet legibus præsertim coactivis solutum esse, *text. in leg. Princeps 31. ff. de legibus* Hinc affatim innotescit Romulum non injustitiæ zelo, sed mordaci invidia consumptum fraternalm machinatum fuisse mortem, quam coelestes iræ postmodum vindicarunt; ab ipsis quippè Senatoribus, quos creaverat, capitis poenam pro beneficij gratitudine accepit, ut narrat Valerius *lib. 5. cap. 3.* & quidem justissimè, nam

*Quod quisque fecit, patitur authorem scelus  
Repetit, suoque premitur exempla nocens.*

Monebat olim Boeticus noster Seneca in *Tragic.* Reliquum modo est sciscitari, an Romuli peccatum fratricidij, aut parricidij nomine appellandum sit? In qua re majoris controversiæ digna, meum quale quale ju:

judicium breviter insinuabo ex probabiliori Doctorum judicio , legum responsis , & quod mihi maximi ponderis est , veneranda Sanctorum Patrum authoritate. Ex his ergo habetur , Romulum parricidium commisiss. Do in specimen unum pro multis mirabilem Augustinum sic scribentem lib. 3. de Civitat. Dei : *Magis ( inquit ) contra Romanos movere Deos debuit Romuli frater oceissus , quam contra Troyanos græcus maritus illusus , magis irritare parricidium nascentis , quam regnantis adulterium Civitatis.*

18 Augustinuna secuti sunt plurimi , quorum sententiam illustrat eruditissimus D. Solorçanus , lib. 2. de crimin. parricid. cap. 14. Quibus præluxit Juris Consultus Martianus , qui leg. 1. ff. de lege Pompeya de Parricid. Pompeyanam istam sanctionem latam in Parricidas minutim describit , & ad fraternalm cædem extendit. Quæ verò in hoc edictum opposita antea exceptis , illam permittunt explicationem : nempe fratribus sanguinem fundentem , non omni parricidijs imposita pena , atrocem alioqui culpam luere , sed unice vitam pro vita secundum leges expendere damnatum. Hac doctrina in concordiam , ut suspicor , rediguntur omnia , quæ hucusque litterarium bellum adornarunt , illustrataque manet , quibus ingenioli viribus potui , difficilima Hieronymi sententia.



# ELUCUBRATIO

A D

TEXT. IN CAP. DE REBUS 22. CAUS. 12. QUÆST. 2.

NICOLAUS PAPA

Adoni Viennensi Archiepiscopo in Epistola , cuius  
initium : *Quia sanctitatis vestrae.*

*De rebus , quæ semel Deo contributa , atque  
dicatae sunt , & postea sub occasione concessionis  
principum à quibusdam invaduntur , atque diri-  
piuntur , sancimus , ut prius consulatis prin-  
cipem , ad resecandam tam præsumptivam  
factionem , & cognoscendam , utrum illitus  
sit concessio , an invasoris præsumptio . Quod  
si principis inordinata fuerit largitio , ipse  
sit princeps pro emendatione redarguendus . Si  
autem invasoris declaratur præsumptio , us-  
que ad emendationem excommunicationis sit  
vindicta coercendus .*

I **E**X cuius textus littera sequens deducitur il-  
lustranda conclusio : qui principum autho-  
ritate res Ecclesiæ invadunt , excommuni-  
cationis pœna coerecentur . Quæ conclusio probatur ex  
cap. qui res 2. cap. cum laicis. fin. de reb. Eccles. non  
alien. cap. tua 25. cap. dudum 31. de decim. cap. cum,  
& plantare 3. vers. Ecclesijs. de privileg. Ex Decreto  
Gratiani , cap. quicumque 4. bac caus. & quest. cap.  
in Canonibus 57. 16. quest. 1. cap. decimas 1. cap. si-  
quis 12. cum seq. 16. quest. 7. Extravag. un. de reb.  
Eccles. non alien. Ex Concilijs probant Concil. Turo-  
nense 2. can. 25. & 26. Concil. Parisiense 3. can. 1.  
Conci-

Concil. Valentin. Galliae 2. cap. un. Concil. Aurelan.  
 4. can. 24. ibi : *Siquis Clericus , aut laicus sub poten-*  
*tum nomine , atque patrocinio res ad ius Ecclesie per-*  
*tinentes , contempto Pontifice , petere , seu possidere*  
*præsumperit , primum admoneatur , quæ abstulit , ci-*  
*viliter reformare : quod si in pervasionis pertinacia per-*  
*sistit , tandiu ab ecclesiæ liminibus arceatur , donec*  
*cum satisfacione justissima pervasa , aut occupata res-*  
*tituat.* Concil. Trident. Sess. 22. de reform. cap. II.  
 Noster Nicolaus Papa in epist. 1. ad Michael. Imperat.  
 ibi : *Irrationabile est , ut Ecclesiastica possessio , unde*  
*luminaria , & concinationes Ecclesia Dei fieri debent,*  
*terrena quavis potestate subtrahantur.* Et epist. 63. ad  
 Aquitanos , ibi : *Similiter autem , & de his hortamur*  
*à vobis fieri , quæ Reges quomodocumque à sanctis lo-*  
*cis aliqua tempore abstulerunt , quod justum non fuit,*  
*neq; est , & quisquis hæc sibi vindicat , Deum inde ha-*  
*bebit judicem , & ultorem.* Exhortant ultra congeitos à  
 Barbosa , & Doct. Graña in cap. 2. de reb. Eccles. non  
 alien. Severinus Binius in not. ad Concil. Arven. P.  
 Gregorius lib. 33. syntag. cap. 16. Exim. D. P. Sua-  
 rez de censur. disp. 22. sect. 6. num. 22. & de legib.  
 lib. 3. cap. 34. Peregrinus de jure fisci lib. 6. tit. 4.  
 num. 18. vers. Undecimo limita. P. Pithing. in lib. III.  
 Decretal. tit. de reb. Eccles. sect. 4. §. 2. num. ult.  
 pluresque alij , quos plena manu congerit D. Gonçal.  
 in dict. cap. 2. de reb. Eccles. num. 5. quibus adden-  
 dus est Primarius noster D. Samaniego in methodico  
 tract. de rebus Ecclesiæ per Principes temporal. non dis-  
 pon. sect. 2. per tot.

2 Sed conclusio hæc tot fulcita authoritatibus,  
 sequentes , & quidem ingentes patitur dubitandi ratio-  
 nes , quarum prima sic expendi valet. Adstante Prin-  
 cipis autoritate neutiquam invasor ullis poenis puniri  
 valet , etiam si res Ecclesiæ invadat : ergo sub occa-  
 sione concessionis Principum recte , & citra poenam res  
 Ecclesiæ invaduntur. Antecedens probatur : quoties id  
 facimus , quod jure possumus , recte fieri dicitur , id  
 est

est sine culpa , leg. quis sit fugitivus 17. §. apud Las-  
beonem 12. ff. de adl. edict. leg. Gratianus 4. C. ad leg.  
Jul. de adult. sed quoties quis res Ecclesiæ invadit sub  
occasione concessionis Principum , facit , quod jure  
facere potest : ergo nullam committit culpam , conse-  
quenterque Ecclesiastica coercitione puniri non debet.  
Minor probatur : licet invasio rerum Ecclesiæ per se  
facta reprehensione sit digna , attamen Principis autho-  
ritas malam causam invalidis mutat : ergo quoties res  
Ecclesiæ quis invadit sub occasione concessionis Prin-  
cipum , facit , quod jure facere potest. Assumptum  
difficultatis primo suadetur ex eo , quod Imperator  
non solum supremum caput , & Rector mundi , Popu-  
lique Christiani appellatur in aurea bulla cap. 2. de elec-  
tione Regis Romanor. §. 2. & 3. ideoque

*Nullum caput ista super se aspicit, excepto Cœlorum Rege  
potestas,*

verum etiam totius mundi dominus dicitur in leg. de-  
precatio 9. ff. ad leg. Rhod. de jaētu , ibi : Ego qui-  
dem mundi dominus: junct. leg. benè à Zenone 3. C. de  
quadrienn. præsc. ibi : Cum omnia Principis esse intelli-  
gantur ; à quo non multum abludit tritus ille versiculus.

*Astra Deo nil majus habent , nil Cœfare terra:  
sic Cœsar terras , ut Deus astra regit.*

Ex quibus aperte constat , etiam res Ecclesiasticas sub  
involio omnium mundi rerum Principis ditioni sub-  
jacer : ergo recte potest Princeps contensum , seu au-  
thoritatem præstare invasioni rerum Ecclesiæ. Modo sic;  
sed estò , quod Principis authoritas hujusmodi inva-  
sionem confirmet , tam Princeps , quam invasor im-  
munes manent à culpa : ergo & à pena immunes cen-  
seri debent , ac per consequens minus recte Nicolaus  
Papa tam Princi , quam invasori excommunicationis  
flagellum imponit.

3 Secundò id ipsum suadetur ex d. leg. benè à Zenone 3. ubi Imperator Justinianus constituit, quod emptor, qui ex Principis auctorario donationis, vel emptionis, vel cuiuslibet alienationis titulo quidquam accipit, nullum substineat detrimentum, nec aliqua actione pulsari possit. Ex cuius textus decisione sic efformatio argumentum: Principis authoritas facit, ut emperor ab evictione, vel alia qualibet actione, qua alioquin teneretur, sit immunis, Peregrin. *de jure fisci lib. 6. int. 4. num. 15.* ergo similiter in specie nostri textus, eo quod invasor res Ecclesiæ Principis autoritate, ejusque concessionis occasione perturbet, minimè excommunicationis iuramento feriri debet. Hoc idem assumptum optimè comprobari potest ex varijs Sacrae Scripturæ locis; tum ex *cap. 14. O. 18. lib. 4. Reg. vers. 14.* *O. 16.* ubi Joas Rex Israel tulit omne argentum, & aurum, & universa bona, & vasa sacra, quæ inventa sunt in domo Domini, & reversus est in Samatiā: tum etiam ex *cap. 18. ejusdem lib. 4. Regum, vers. 15. 16. O. 19.* ubi Ezequias Rex omnē argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, Regi Atsyriorum dedit. Quæ loca clare ostendunt Reges, & Imperatores esse dominos etiam eorum, quæ Deo contributa, atque dicata sunt. Id quod jure quoque Canonico probatur ex eleganti ad rem textu *in cap. convenior 21. 23. quæst. 8.* illis in verbis: *Eō quod in potestate ejus essent omnia*, ubi D. Ambrosius refert omnia sub Principis potestate existere. Item *ex cap. si tributum 27. 11. quæst. 1.* ibi: *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum.* Ex quibus verbis constat, Principem saecularem utpotè supremum Legislatorem, agrorum Ecclesiæ dominum esse, siquidem vindicatio tantum vero domino competit, *leg. in rem 23. ff. de rei vind.* Igitur si Princeps habet verum dominium rerum Ecclesiæ, quilibet privatus poterit eas impunè ab ipso recipere.

4 Nec hujus difficultatis nodum facile dissolvet, si quis respondeat, D. Ambrosium *in citat. capit. esse*

esse intelligendum de oneribus realibus , cum quibus bona ad Ecclesiam transierunt , id est , de illis præsidijis , quæ tributaria erant , antequam ad Ecclesiam pervenirent , quo in casu , tributo non soluto , poterit Imperator prædia illa vindicare , juxta text. *in leg. lex veterigali 31. ff. de pignorib.* prout hoc dubium explicare conatur Glotfa , & Cardin. Turrecrem. *in d. cap. si tributum 27.* Verum hæc evasio , & si à multis recepta , displicuit tamen Eximio Doct. P. Suarez lib. 4. *adversus Regem Angl. cap. 21. num. 11.* Utpotè divinationis morbo laborans , siquidem ex verbis textus non constat , prædia illa Principi antea tributaria fuisse ; si enim ita esset , non est credendum D. Ambrosium se excusare à solutione tributi , ex traditis à Doct. Balboa *in cap. decernimus 2. de Judicijs , num. 104.* ¶ 105. Augetur difficultas , & prorsus convincitur effugium , tum ex *leg. sanctimus 21. q. de Sacrof. Eccles.* ubi dicitur posse Principem res Ecclesiæ alienare ad redimendos captivos , vel irruentes hostes propulsandos : tum etiam ex *Novill. 7. de non alien. aut permutand. rebus Ecclesiæ* , ex qua constat , quod sapè seculares Principes res Ecclesiæ alienare prohibent : unde subinferredo : ergo si eorum prohibitione non alienatur , ex eorum quoque voluntate alienari poterunt , consequenterque poterit quis impunè res Ecclesiæ à Principe , tanquam à domino , recipere , contra quod cautum est in nostro textu.

5 Secunda dubitandi ratio militabit adversus illam nostri textus partem , in qua Principibus de rebus Ecclesiæ disponendi facultas denegatur. Si propter aliquam rationem prohibitio nostri textus subsisteret , ea maximè esset , quia , ut inquit textus *in cap. fin. de reb. Eccles. non alien.* nulla est attributa potestas Principibus laicis ad alienandas res Ecclesiæ : sed hæc ratio in notissima juris testimonia impingit : ergo noster textus nullo juris nititur fundamento. Minor probatur : dicimæ adeo res Ecclesiastice , & spirituales sunt , ut solis Ecclesiæ ministris omni jure debeantur ratione spirituum

ium officiorum , quæ pro salute fidelium Deo exhibent , cap. tua 26. cap. cum non sit 32. de decim. cap. revertimini 65. cum seq. 16. quæst. 1. docet D. Co-var. lib. 1. var. cap. 17. num. 2. & 3. atqui hoc non obstante possunt Reges decimas possidere , & in laicos etiam alienare , ut probat Garcia de expensis , cap. 9. num. 48. Doct. Balboa in cap. causam 7. de præscript. num. 12. & 13. ergo Principes sacerdetales non carent potestate , ut se intromittant indisponendo de rebus Ecclesiæ. Rursus , nam certi , atque explorati juris est , collationem Præbendarum , & institutionem Beneficiorum Ecclesiasticorum esse jus mere spirituale , cap. cum secundum 16. cap. dilecto 25. de prab. & dignit. cum alijs congestis à Primario nostro D. Samaniego in tract. Acad. de prohib. succession. in benef. Eccles. cap. 1. num. 1. & 2. sed Principes sacerdetales possunt propria authoritate Præbendas , & Beneficia Ecclesiastica conferre inconsulto Episcopo : ergo multò magis poterunt se immiscere in dispositione , seu administratio-ne rerum Ecclesiæ , quæ non sunt tām spirituales , sicut Præbendæ , & Beneficia Ecclesiastica. Minor uberrimè probatur. Primo per text. in cap. cum inter 5. de consuet. ibi : Decanatum , & præbendam ipsius Ecclesiæ idem Rex , & Progenitores sui conferebant Diocesano Episcopo inconsulto : ex quibus verbis apparet , Reges , & Principes sacerdetales posse proprio jure præbendas , & dignitates Ecclesiasticas conferre. Secundo per textum in cap. dilectus 34. de prab. & dignit. ubi proponitur quendam litteras impetrasse à Rom. Pontifice contra Decanum , & capitulum Andegavense , ut quām pri-mum facultas se offerret , in fratrem , & Canonicum reciperetur , quibusdam super hoc executoribus datis , coram ipsis ex parte Decani , & capituli propositum fuit , litteras non posse subsistere , eo quod in eis men-tio non fiebat , quod collatio Præbendarum ad ipsum Decanum ex donatione Regis pertinebat : qua exceptione animadversa ab executoribus , inter loquendo pronuntiarunt ipos in negotio procedere non posse.

Re deiata ad Henorium III. decretivit, quod non obstante supradicta exceptione, quam ut frivolum reputavit, executores in executione litterarum procederent. Ex cuius textus hypotesi liquido constat, donationem, & collationem praebendarum in Ecclesia Andegavensi ad Regem Galliae expectare, & per donationem ipsius Regis facultatem conferendi in Decanum, & Capitulum translatam fuisse: ergo non repugnat quominus ad Principes saeculares collatio Praebendarum, & Dignitatum expectet. Tertio per textum *in cap. dilectio. 40. de testib.* & *in cap. fin. de concess. praebend.* ex quibus probatur donationem, & collationem praebendarum ad Joannam Comitissam Flandrensem expectare: Si ergo Principes saeculares possunt propria autoritate de Praebendis, & Beneficijs Ecclesiasticis disponere, fortiori ratione poterunt se intromittere in dispositione retum Ecclesiae, ac perconsequens minus recte Pontifex in nostro textu excommunicationis vindicta afficit Principes res Ecclesiae alienantes.

6 Insuper augetur, & fulcitur haec eadem dubitandi ratio, tum ex Concil. Matiscon. *can. 4.* apud Burchardum *lib. 3. Decreti, cap. 172.* ibi: *A Synodo decretum est, & Imperialis authoritas denuntiat, ne commutationes rerum, vel mancipiorum Ecclesiasticorum quilibet persona sine licentia, & consensu Regio presumat facere;* tum etiam ex Concil. Suezion. *can. 12.* ibi: *Ne commutationes rerum, mancipiorum quilibet Prælatus earundem rerum Ecclesiasticarum sine licentia, & consensu nostro facere presumat.* Unde Flodoardus *lib. 1. hist. Rhemens.* refert, quod Ivo Rhemensis Antistes nonnullas res Ecclesiae commutavit, sed imperato prius Ludovici Pij rescripto, ibi: *Sed & imperialia super eiusdem commutationibus præcepta obtinuit:* ergo Principes, Reges, & Imperatores de rebus Ecclesiae disponendi facultatem habent. In cuius assumpti confirmationem mirificè facit textus *in cap. preearia 4. caus. 10. quast. 2.* in illis verbis: *Nec commutationes rerum, vel mancipiorum Ecclesiasticorum quilibet per-*

*sona sine licentia , & consensu regio facere presumat:*  
*ergo in nostro textu , in quo Principis authoritas in-*  
*tervenisse proponitur , immerito damnatur alienatio re-*  
*rūm Ecclesiae. Ejusdem ponderationis est textus in cap.*  
*precariæ 44. 12. quæst. 2. ubi præcariæ , & commu-*  
*tationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ ab his,*  
*qui loca Episcoporum occupaverant , rescindi jubentur;*  
*& disponitur , quod solum cum authoritate Ecclesiastica ,*  
*vel civili , si faciendæ sunt , fiant: ergo civilis ,*  
*sive sæcularis Principum potestas tam sufficiens est , quam*  
*Ecclesiastica ad commutationes rerum Ecclesiæ. Eadem*  
*dubitandi rationi accedit decisio textus in cap. si Princeps.*  
*1. de rer. perm. ex quo constat Principem sæ-*  
*cularem posse rem Ecclesiæ immobilem acquirere per*  
*permutationem ; ibi enim dicitur , quod in Synodo*  
*Silvanectensi specialiter Principi fuit concessum , ut*  
*commutationes cum rebus Ecclesiæ facere possit , alia*  
*re ab eo assignata ejusdem valoris , & bonitatis: ergo*  
*quia Princeps facultatem habet se intromittendi in re-*  
*bus Ecclesiæ. Cujus textus decisio difficilior redditur ,*  
*si conferatur cum cap. si quis 56. 12. quæst. 2. ubi cui-*  
*libet alienatio de rebus Ecclesiæ permittitur , si de suo*  
*proprio tantum Ecclesiæ contulerit , quantum vilus est*  
*abstulisse : ergo nil speciale statuitur circa Principem in*  
*d. cap. si Princeps 1. siquidem eadem permutatio , &*  
*commutatio cuiilibet permittitur in dict. cap. si quis*  
*56.*

7 Tertia dubitandi ratio militabit adversus illam partem , in qua Nicolaus Pontifex asserit , quod in casu , quo ipsius Principis inordinata fuerit largitio , ipse Princeps tantummodo pro emendatione redargendum est , si vero invasoris fuerit præsumptio , ipse usque ad emendationem excommunicationis vindicta sit coercendus , contra quam partem sic efformo argumentum in utroque casu debet puniri , & excommunicari accipiens : corruit ergo decisio nostri textus etiam quoad hanc partem. Antecedens probatur ex decisione text. in cap. quicunque 4. 12. quæst. 2. ubi non

non excusatur , imò expressè excommunicationi subiicitur , qui prædia Ecclesiastica à quocumque Rege , seu sæculari Principe suscepit , vel invaserit : ergò sola receptio punibilis est ; ac percohlequens non recte in nostro textu excusatur recipiens , quando ipse Princeps culpam habuit in largitione. Quæ dubitandi ratio fulcitur , & illustratur ex decis. textus *in cap. qui res 2. de rebus Eccles. non alien.* ubi petentes res Ecclesiæ à Regibus à communione Ecclesiæ excluduntur , eò maximè , quia Ecclesiæ facultates auferre cupiunt : ergò si petitio damnatur , & punitur , multò magis receptio punibilis erit. Accedit , nam ratio præstata in eo capite consistit in eo , quod in petitione cupiditas , & desiderium auferendi facultates Ecclesiæ dignoscitur : ergò fortiori ratione receptio earum rerum Prohibita debet esse , siquidem solum desiderium damnatur *in d. cap. qui res 2.* Majores vires sumit eadem difficultas *ex cap. præterea 4. de jur. patron.* ubi Præsbyter , sive Clericus , qui Ecclesiam per laicos sine propria Episcopi autoritate receperit , communione privatur , et si persistiterit , à ministro Ecclesiastico , & ordine deponitur : ergo sola receptio rei Ecclesiastice ab illo , qui dare non potest , punitur in jure. Majus robur accipit difficultas *ex cap. quisquis 43. de election.* ibi: *Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumperit , & electionis commodo caret , & inelegibilis fit :* ergò quamvis abusus , sive inordinata largitio , ut utar nostri textus verbis , in Principe largiente interveniat , non ideo à poena excusari poterit accipiens. Rursus hoc ipsum depromitur *ex cap. in Lateranensi 31. de Præb.* & *Dign.* ubi prohibitum fuisse refertur per Concilium Lateranense , nè quilibet regulares Ecclesiæ , seu decimas sine consensu Episcoporum de manu laici accipere præsumant : ergò sola receptio sufficiens delictum est , ut recipiens puniri debat : minus ergò recte Pontifex in nostro textu distinguit , aut culpa intercessit ex parte Principis , vel non ; ita ut in primo casu tantummodo ipse Princeps veniat

veniat redarguendus , in secundo verò excusetur recipiens  
authoritate majoris elargientis.

8 Tandem decilio nostri Nicolai Pontificis urgetur sequenti consideratione ex eodem textu deprompta. Vel Princeps , & simul invasor puniri debent , vel neuter ; sed neque Princeps , neque invasor sygillatim tenentur : ergò in conceptu cumulativo neuter teneri debet. Probatur minor quoad primam partem : Princeps per se rectè potest alienationi consentire : ergò Princeps immunis evadere debet. Antecedens sic probo : Si Princeps in littera nostri textus non posset alienationi consentire , & robore invasionem factam de rebus , quæ semel Deo contributæ , aut dicatæ sunt , non consalere tur Princeps , sed imò potius tanquam immunitas Ecclesiastice fractio puniretur : atqui noster Pontifex non ad flagellum , sed ad consilium confugit , ibi : *Ut prius consulatis Principem* : ergò potest Princeps impunè alienationi consensum præbere , & invasionem roborare. Id quod ex nostro met textu manifestè evincitur Pontifex Nicolaus invasorem non punit , nisi in casum declaratae præsumptionis: ergò supponit , quod si Principis authoritas accedit , rata manet invasio : sed ex re benè gesta authori præjudicium non infertur : ergò Princeps immunis ab Ecclesiastico rigore manet. Probatur eadem minor propositio quoad secundam partem , videlicet quod nec invasor teneri debet. Invasor causam habet à Principe , & in ejus locum subrogatur ; sed Princeps non tenetur , ut nuper probavimus : ergò nec invasor excommunicationis mucrone feriri debet. Patet consequentia , nam ex nostro textu constat , invasorem usque ad emendationem solummodo excommunicationis vindicta esse coercendum ; sed hoc non ad primum casum veræ , & realis Principis concessionis refertur , sed ad secundum , nempè præsumptionis invasoris , ut liquet ex litera textus : ergò in casu veræ Principis concessionis invasor non tenetur: manet ergò intra litteram textus **convicta superior Nicolai Pontificis assertio.**

Sed

9 Sed his dubitandi rationibus minimè refragantibus , rectissimè Nicolaus I. Pontifex Naximus in nostro textu tam Principem authorem , quam laicum invasorem sub foedere distinctionis plectit. Siquidem inquirendum jubet de rebus , quæ semel Deo tributæ , atque dicatae sunt , & postea sub occasione concessionis Principum à quibusdam invaduntur , atque diripiuntur , utrum sit vera concessio , aut invasoris præsumptio : & quod si fuerit principis inordinata largitio , & ipse Princeps sit pro emendatione redarguendus ; si autem invasoris declaratur præsumptio , usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. Quod Pontificis decretum , cum duplicem contineat partem , duplum etiam nititur ratione. Et quidem ad primam quod attinet partem , vera ratio provenit ex eo , quia omnia bona Ecclesiastica exempta sunt à potestate principum sacerdotalium nedum quoad jurisdictionem cap. que in Ecclesiarum 7. cap. Ecclesia S. M. 10. de constit. cum vulg. sed etiam quoad administrationem ; nam per Ecclesiæ ministros custodiri , conservari , transferri , aut permutteri , vel quando opportuerit , alienari debent , non per laicos , quibus nulla super hæc bona est attributa potestas , iuxta latè tradita ab Eximio P. Suarez *Adversus Reg. Angl.* lib. 4 cap. 2. ¶ 15. Unde in Concilio Lateran. suo Leone X. in Bull. de reformatione Curia , §. 2. cum fructuum , inhibetur Principibus sacerdotalibus facultates , & redditus , & proveniis Ecclesiarum sibi vindicare , aut alijs conferre , ea praestita ratione ; quia à jure tamen humano , quam divino laicis nulla in Ecclesiasticas personas attributa est potestas. Quod manifestè indicat connexionem rerum , & personarum Ecclesiasticarum ; cum rerum exemptionem firmet Concilium cum libertate personarum. Quasi diceret , non potest persona dici exempta à jurisdictione sacerdotali , quin etiam res ipsius liberæ sint , & ideo , ut probet Concilium , Principes sacerdotiales non posse sibi vindicare facultates , & redditus Ecclesiarum , aut alijs conferre , adduxit rationem defectus potestatis , quæ carent erga Ecclesiasticas personas ; non solum enim Clerici

rii exempti sunt à sacerdotiis potestate, sed eriam Ecclesiastica bona, *cap. 1. dist. 96. cap. præcipimus 24. 12. q. 1.*  
*cap. 1. de immunit. Eccles. in 6.* cum laicis quamvis religiosis disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quibus obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, ut loquitur Innocentius III. *in cap. fin. de reb. Eccles. non alien.*

10 Id quod mirificè confirmatur ex Synodo sexta Romana apud Gratianum *in cap. in Canonibus 57. 16. quæst. 1.* ubi juxta Concilium Gangrense inquiunt PP. quod valde iniquum, & ingens sacrilegium est, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit ab his, à quibus maximè servari convenit, id est, Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & Primis regionum in aliud transferri, vel converti. Unde maximè, id est, majori ratione Principibus, & Primis regionum res Ecclesiæ defendere, & non lapidare convenit, *juxta text. in cap. boni Principis 16. dist. 96. cap. Principes 20. cap. res 21. cap. Regum 23. 23. quæst. 5. junct. D. Covarr. in pract. cap. 35. Salgad. de Retent. Bullar. part. 1. cap. 1. a num. 29.* Catholicus enim Princeps filius est, non præsul Ecclesiæ, & quoad religionem pertinet, & disciplina, discere convenit, non docere, *cap. si Imperator. 11. dist. 96.* Quippe ad Sacerdotes voluit Deus, quæ Ecclesiæ sunt disponenda, pertinere, non ad sacerdotiis potestates, *cap. benè quidem 1. dict. cap. si Imperator 11. dist. 96.* Unde D. Ambrosius *in cap. convenior 21. 23. quæst. 8.* Allegatur ( inquit ) Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo. Noli te gravare Imperator, ut pates te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus babere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mænium jus commissum est, non sacrorum. Plena sunt hujusmodi testimoniiorum Concilia, quibus optimi quoque Imperatores,

ac reges assensum præbuerunt. Et illustre est ea de re testimonium Caroli, & Ludovici Imperatorum, quod habetur apud Gratianum *in cap. 59. 16. quæst. 1.* ubi p̄ijſſimi, ac verè Christianissimi Imperatores inquiunt: *Quia juxta Sanctorum Pairum traditiones novimmoſ res Ecclesiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolum habita conſervare, verū etiam multa, Deo opitulante, conſerſare optam̄us.* Ut autem ab Ecclesiasticis de diuinae rebus Ecclesiæ ſuspicionem dudum conceptam amoveremus, ſtatuiimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpensante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtrā, vel progeſſitorum noſtrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diuisionem, aut jacturam patiatur.

**II.** Itaque Rex noſter Alfonsus VII. Regibus, & omnibus Christianis rerum Ecclesiæ conſervationem in junxit in *leg. 1. tit. 5. lib. 1. fori leg.* quæ hodie eſt *lex 5. rit. 1. lib. 1. Recop.* & Christianissimi Galliæ Reges, cum agnouiflent multa regna, & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Ecclesiæ ſpoliaverunt: Quapropter ne fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuifſe, nec victores extiſſe, regnaque, & regiones, & quod pejus eſt, regna coeleſtia perdiſſe, *in lib. 7. ſuor. cap. tular. cap. 104.* ſuccelſoribus ſuis Divino, & Sancto Spiritu confeſtantur, nē talia faciant, vel facere volentibus conſentiant, ſed imò quod adjutores, & defenſores, atque ſublimatores Eccleſiarum, & cunctorum ſervorum Dei pro viribus exiſtant, ne in foveam, in quam prædicti Reges, & regna ceciderunt, cadere iſpos contingent, ut conſtat ex historia, quæ refertur à Gratiano poſt dict. *cap. 59. 16. quæſt. 1.* & plurima alia exempla, in quibus Regnorum ſtrages propter rerum Ecclesiæ expilationem ſequitæ fuerunt in Reges, qui ſacra convalant, reperiuntur apud D. Solorçan. emblem. 40. Cum ergo ex hucusque dictis ſatis abunde conſtet, laicos, etiam ſeculaires Principes, nullam potef- tatem in rebus Ecclesiæ habere, ideo ex defectu potef- tatis nequeunt de illis diſponere, & perconſequens recte in

in prima nostri textus parte decrevit Nicolaus I. alienationem bonorum Ecclesiae factam à Principe seculari nullam esse, ipsumque pro emendatione redarguendum esse. Sed dices: Reges non esse pure laicos, siquidem virtute sacrae unctionis, quam in coronatione suscipiunt juxta formam stabilitam in cap. unic. §. unde in veteri de Sacr. unct. quodammodo consecrantur, & sacrati manent: imo & in ipsa unctione ipsos latè Sacramentum recipere docuerunt Petrus Damianus in Sermon. de Dedicatione, & Archiepiscopus D. Rodericus lib. 3. Chron. cap. 1. ubi agens de unctione Regis Uyanibæ ita ait: Decredit se Regis nomine imperare, id est in majori Ecclesia urbis regiae unctionis suscepit Sacramentum. Cum ergo virtute hujus Sacrae unctionis Reges personæ Sacrae, & Ecclesiastice censeantur, non debent comprehendendi in communi prohibitione non disponendi de rebus Ecclesiasticis. Assumptum hoc fulcitur ex singulari ad rem textu in cap. cum non ab homine 10. de Judicij, ibi: Regi vel alicui sacuari persone, ex quibus verbis aperte probatur, Regem non dici, nec censi personam sacerularum, ut innuere videtur particula disjunctiva vel, ex textu in cap. in ceteras 4. de rescript. junct. leg. pen. Cod. de verb. signif. cum vulgat.

12 Sed, his non obstantibus, contrarium dicendum est, nempè quod laici quantumvis Principes, & viri Religiosi existant, regioque diadematate insigniti condecorarentur, ritè, & rectè in prohibitione nostri textus tanquam incapaces comprehensi inveniuntur, imo ideo magis, quia Principes sunt, prohibiti judicantur, cum exinde in vi regij tituli potius defendere, & conservare res Ecclesiasticas debeant, quam adversus earura jura protestatem suam exercere, ac invadere. Neque contra hanc verissimam doctrinam aliquid facessit superior difficultas; quippè hujusmodi unctione non tribuit aliquam capacitatem laicis etiam Regibus circa Ecclesiasticas res administrandas; dum enim Reges inaugurarunt, seu unctionem tempore coronationis recipiunt, magis inviolabiles existunt, non ideo tamen in aliquo Clericali gradu conf-

tituuntur , sed laici manent , ut probatur ex dict. cap. unic. §. undē in veteri. de Sacr. unct. & ex Synodo Lao- dicena can. 10. docet D. Gonç. in cap. dilectus 3. de Præbend. & Dign. num. 2. Nec contrarium suadent verba dict. cap. cum non ab nomine 10. nam cum in eo quæstio proponatur de Rege , & sacerulari persona , ut ref. ponsum quæstioni conveniat ; argum. §. præterea 5. Inst. de inutil. stipul. dicendum est , prædicta verba in deci- sione posita Regem quoque comprehendere , & ita ip- sum veluti sacerularem personam censeri. Unde alterna- tiva stat propriè pro disjuncta ; quia textus dicit : *Regi, vel alicui sacerulari persona* , dictio autem alicui ostendit , quod nullus laicorum , sive sit Rex , sive quæcumque alia persona , possit Clericos punire. Et propterea laicis , quantumcumque , & qualicumque fulgeant dignitate , non licet Clericos judicare. Et ratio est , quia nulla dignitas sacerularis Sacerdotali adæquatur ; cap. duo sunt 10. d. st. 96. cap. solita 6. de major. & obed. & ideo Rex oleo de- linitur in brachio ; sive humero , vel in armo : Episcopus , vero , cuius est Clericos discutere , & judicare , cap. si Imperator 11. ead. diff. christmatè consecratur in capite ; ut ostendatur , quanta sit differentia inter autoritatem Sacerdotalem , & Regiam potestatem , ut legitur in dict. cap. unic. §. undē in veteri de Sacr. unct.

13 Neque his contrarius est textus in cap. si quis 2. de regularib. ubi habetur , quod si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum , & ipsius parentes intra annum non reclamaverint ad Principem , aut proprium Episcopum , vel ad Missum Dominicum , in ipso Clericatu maneat. Ex qua textus decisione deduci videtur , Principem eandem potestatem habere , ac Episcopum , siquidem ad utrumque pariter da- tur recursus , & facultas reclamandi in materia valde Ecclesiastica , qualis est Clericatus : ergo Princeps sacer-ularis potest , & Clericos judicare , & se intromittere in dispositionem , seu administrationem rerum Ecclesiæ. Non , inquam , obstat hæc difficultas , cui respondeo , quod in eo textu Principis nomine comprehenditur , seu intelli- gi.

gitur Pontifex, qui Princeps Sacerdotum dicitur *in cap.*  
*Cleros 1. dist. 21.* & per eandem alusionem Imperiali  
 autoritate irretractabiliter Pontifex definire legitur *in*  
*cap. inherentes 1. de juram. column. cap. si quis 2. de ma-*  
*ior. & obed.* ex illo Regum: *Qui non obedierit Principi,*  
 ubi Glossa vertit *Principi*, id est, *Papa*. Unde in Con-  
 cilio Moguntino, cuius littera refertur *in dict. cap. si*  
*quis 2. principis*, & Pontificis nomina confundi viden-  
 tur propter alusionem verbi, seu ipsius significationis.  
 Sicut & antequam ad vetum ventum fuisse, juxta text.  
*in cap. cum ad verum 6. dist. 96.* Principes quondam  
 ethnici, & mundani Pontificis nomine utebantur, seu  
 abutebantur, ut refert Div. Isidorus *in dict. cap. Cleros 1.*  
*§. Pontifex*, ibi: *Ante autem qui Reges erant, & Pon-*  
*tifices erant. Nam majorum haec erat consuetudo, ut ex*  
*esset etiam Sacerdos, & Pontifex. Unde & Romani Im-*  
*peratores Pontifices dicebantur; itaque Pontificia simul,*  
*& Regia potestate gaudebant, juxta text. in leg. 9. §. 1.*  
*ff. de rer. div. s. leg. hereditas 50. §. 1. ff. de petit. hered.*  
*cum alijs eruditè congestis à D. Gonçal. in cap. 2. de ju-*  
*dicis, num. 9. & in dict. cap. si quis 2. de regular. nu-*  
*mer. 4. ubi hunc textam, & alium *in cap. corpora 37. de**  
*confecr. dist. 1. junct. leg. offa 8. ff. de relig. & sumpt.*  
*funer. leg. nemo 14. Cod. eod. tit. non ineleganter explicat*  
*de Principe sacerulari juxta morem Francorum non aliter*  
*ascendendi ad Clericatum, quam Regis obtenta licen-*  
*tia: & de Legato à prædicto Principe missò intelligit*  
*pariter Missum Dominicum *dict. cap. si quis 2. numer. 5.**  
*contra Leonem Pinell. dissertacionul. ad eundem text. nu-*  
*mer. 197. videndus etiam est Doct. Balboa *in cap. 10. & II.**  
*de for. comp. num. 1. & 11.*

14 Et hæc sufficient pro ratione decidendi ad  
 primam partem nostri textus; secundæ vero partis ratio  
 non usque adeo obscura est, provenitque ex eo; quia  
 recipiens bona Ecclesiæ à quocumque Principe sacerulari,  
 factilegij particeps est, juxta text. *in cap. qui rapit 18.*  
*17. quæst. 4. æquiparaturque raptor, qui tales res pete-*  
*re, & perconsequens recipere, atque retinere procurat;*  
*non*

non enim multum interest quoad animæ periculum in-  
justè retinere , ac invadere alienum , ut loquitur textus  
*in cap. saepè 18. vers. Unde de ref. spoliat. junct. cap. de-*  
*cimas 1. 16. quest. 7.* sed sacrilegus excommunicatione  
punitur , *cap. cum sit generale 8. cap. conquestus 16. de foro*  
*comp. cum alijs :* ergo merito in secunda nostri textus  
parte decrevit Pontifex , recipientem bona Ecclesiæ sub  
occasione concessionis Principum sæcularium excommu-  
nicationis vindicta esse coercendum , id est , privandum à  
communione fidelium , non solum illius Ecclesiæ , cui  
bona ablata sunt , verum & à communione totius Ec-  
clesiæ Catholicæ , & universalis , quæ dicitur commu-  
nio fidelium , *cap. Canonica 107. 11. quest. 3.* quoniam  
quando una Ecclesia lædiatur , & spoliatur , universalis  
Ecclesia offenditur , quæ una est , *cap. loquitur 18. 24.*  
*quest. 1.* docet Doct. Graña *in cap. 2. de rebus Eccles.*  
*non alien. numer. fin.* Verum huic doctrinæ graviter ob-  
sistere videtur noster texius , ubi quando sub occasione  
concessionis Principum res , quæ semel Deo contributæ,  
atque dicatae sunt , à quibusdam invaduntur , atque diri-  
piuntur , distinguit Nicolaus Pontifex , utrum Principis  
inordinata fuerit largitio , an invasoris præsumptio , ita  
ut in primo casu ipse sit Princeps pro emendatione re-  
darguendus : secundo vero cau talem invasorem usque  
ad emendationem excommunicationis vindicta coerceri  
jubet. Unde colligitur , accipientem à Principe excusari  
illius aurhoritate ab excommunicatione , argum. text. *in*  
*cap. Diaconi 8. dist. 28. cap. salonitana 24. dist. 63.* ac  
perconsequens inferri videtur , res Ecclesiæ alienatas à Prin-  
cipe apud accipientem remanere , contra doctrinam nu-  
per traditam.

15. Nec audiendus est Doctor Graña *in cap. 2.*  
*O fin. de rebus Eccles. non alien. num. 4.* ubi pro solu-  
tione prædictæ difficultatis respondet , Antonium Cucum  
nostrum textum legere adhibita copulativa dictione *O* ,  
ita ut littera in hunc modum concipiatur : *Quod si Prin-*  
*cipis inordinata fuerit largitio , O ipse sit Princeps pro*  
*emendatione redarguendus ; quasi in utroque casu excusari*

non debeat ab excommunicatione recipiens , juxta text.  
*in cap. quicumque 4. bac ead. caus.* & quest. ubi non  
excusatur , imo expressè excommunicatur , qui prædia  
Ecclesiastica à quocumque Rege , seu seculari Príncipe  
suscepérít , vel invaserit ; qui enim rem Ecclesiæ qua-  
lecumque detinet , licet exhibeat authorem suum , con-  
veniri merito tanquam injustus detentor debet ; *cap. in*  
*Canonibus 57. 16. quest. 1.* ibi : *Et qui dat , & qui*  
*accipit , anathema sit ; ubi Glossa in vers. generaliter,*  
*verbo : Potentum notavit , authoritatem maioris in illi-*  
*cisis non excusare , cap. si dominus 93. 11. quest. 3.*  
*cap. nullus 6. 36. quest. 2. junct cap. salomonis 24.*  
*def. 63.* Verum haec Doct. Grañæ expositiō displicet:  
tum quia non congruit litteræ nostri textus , qui in  
omnibus exemplaribus absque prædicta copulativa dic-  
tione legitur : undē admitti non debet adjectio sine  
divinationis vitio ; tum etiam , quia si in utroque casu  
excommunicaretur recipiens , frustra hea , & inepta om-  
ninò foret distinctio casuum , quam seduicit textus ;  
tum denique , quia immerito , quando inordina-  
ta fuit Principis largitio , innocens recipiens excom-  
municaretur absque culpa , & ideo noster Nicolaus I.  
voluit cognoscere , utrum Principis præcessisset conces-  
sio , an invasoris præsumptio , & in primo casu redar-  
guit Principem , in secundo vero invasorem excommuni-  
cationis vindicta coerget : ergo in primo casu nulla  
invasio ex parte recipientis præcessit , ac perconsequens  
nulla poena affici debuit recipiens .

16 Nec sic littera textus retenta , divinationis ,  
& absurdī vitandi causa , quidquam pro expositione  
Doct. Grañæ facit textus *in d. cap. quicumque 4.* nam  
procedit in casu , quo ille , qui prædia Ecclesiæ à quo-  
cumque Príncipe seculari , vel Rege suscepérít , vel in-  
vaserit , & detinere ipsa voluerit , & non restituere ,  
quo casu æquiparantur merito , & pariter excommuni-  
cationi subiiciuntur recipiens , & invasor ; quia con-  
veniri tanquam injustus detentor debet , qui res Ec-  
clesiæ retinere audet jussu , vel largitione Principis , aut

quadam invasione, aut tyrannicopestate acquisitas. Ceterum cestante hac injusta detentione non potest negari, diversum esse recipientem ab invasore; ita ut ille tunc excommunicari non debeat, si paratus sit statim, ac agnovit injustitiam dantis, restituere res taliter acquisitas, ac per consequens in hoc casu Princeps tantummodo debet pro emendatione redargui, cum ipse solus fuisset, qui tunc delictum perpetravit inordinate largiendo res, quæ semel Deo contributæ, atque dicatae erant, juxta nostrum textum sic præcisè intelligendum. Ex quo, hac retenta intelligentia, non probatur, excusari à restitutione recipientem res Ecclesiæ à Principe fœculari, sed ab excommunicatione, casu, quo nulla invasio ipsius præcesserit, neque injustitia detentionis hujusmodi à Princeps inordinate largiente acquisitæ, seu receptæ, ut ægregiè tradit. Sacrorum Canonum merito Primarius noster D. Samaniego in suo doctissimo tract. de rebus Eccl. per Principes temporat. non disponendis, sect. 2. num. 12. ubi num. 13. in confirmationem præfatæ suæ doctrinæ adducit ab argumento textum in cap. prohibemus 19. de decim. ubi si quis receperit, & Ecclesiæ non restituerit decimas cum anima sua periculo detentas, christiana sepultura privatur: ergo utrumque desideratur.

17 Id ipsum confirmat idem Sapientissimus Magister ex decisione text. in cap. decimas 1. 16. quest. 7. ubi laici Apostolica authoritate decimas, quæ in usum pietatis. Sacerdotibus concessæ sunt, possidere prohibentur, & sive ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ redditiverint, facilegij crimen committunt, & æternæ damnationis periculum incurunt: ergo in simplici receptione crimen non est, sed in retentione, seu detentione, vel non restitutione. Id quod expresse suadetur ex cap. in Canonibus 57. §. generaliter 16. quest. 1. ubi recipientes, seu retinentes res Ecclesiæ jussu, & largitione Principum, vel invasione ab excommunicatione liberantur, & exipiuntur, si

citè res Dei admoniti à Pontifice agnita veritate rediderint : ergò saltem hoc casu Princeps tantammodo, & non recipiens redargui , & excommunicari debet nulla præcedente invasione ; nam si præcesserit , usque ad emendationem merito excommunicationis vindicta erit coercendus , ut inquit noster Pontifex. Verum hanc doctrinam destruere videtur textus in cap. qui res 2. de rebus Eccles. non alien. dum à communione Ecclesiarum excludit eos , qui à Regibus res Ecclesiarum petunt : ergò sola petitio absque receptione , vel invasione , seu retentione puniibilis est. Sed respondetur , quod talis petitio rerum Ecclesiarum à Principe continebat avaritiam sacrilegio conjunctam accipiendi illicite à Regibus , quod licet à Principibus Ecclesiasticis propter eorum Ecclesiasticam disciplinam sperare digne non poterant propter suam improbitatem , jura scilicet , & beneficia Ecclesiarum , & insimul res , quarum omnium usurpationem Reges temporib. Concilij Arvernensi sub Theodoberto can. 4. & Concilij Meldensi can. 40. ex quibus despensus est prædictus textus , impia , & violenta manu aggressi fuerant , & ideo illa quantumvis improba arreptâ occasione , facile indigni , & improbi homines hujusmodi res , atque jura , & beneficia Ecclesiarum ab ipsis Regibus petebant , ut notat D. Gonzal. in notis ad dict. cap. qui res 2. num. I.

8 Quare in Concil. Parisiensi III. contra sacrilegos , & ambitiosos tempore Joannis Papæ III. celebrato anno 556. jubetur in canon. 1. ut nemo res Ecclesiarum , aut pervadat , aut competat , aut detineat , & insuper additur , ut quicumque immemor interius sui res Ecclesiarum delatas injustè possidens retinere præsumperit , & veritate comperta res Dei servis ejus restituere dissimulaverit , ab omnibus Ecclesiarum segregatus , à sancta communione habeatur extraneus , & ideo in dicto Concilio can. 6. tam successores , quam Principes , & populus poenis admonentur , ut nullus res alienas competere à Regis audeat potestate ; quia cum illis temporibus inter sanctos Episcopos Gallicanos vigeret

Ecclesiastica disciplina , multoties experientia docuit , ut pravi homines à Rege impetrare conarentur , quod ab Episcopis scirent prohiberi . Caperunt enim tempore Symmachi peti à Principe res Ecclesiarum , & ab eo impetratae retineri , & ideo in praedicto Concil. Parisiensi , & in Synodo 6. Romana sub Symmacho Pontifice habita apud Gratian. in cap. in Canonib. 57. §. generaliter 16. quæst. I. dicuntur , qui petunt , competitores , fortassis , quia eousque numerus petentium res Ecclesiarum excrevit , ut non tam petitores , quam competitores dici debuissent , quasi simul petentes , sicuti confocij plures socij dicuntur , & Coepositores , qui simul se invicem opponunt . Et non tantum hæc , & alia à profano quantumvis regio commercio aliena , verum etiam , quam optabant sibi conjugem , favore Regis petere non erubescabant , ut constat ex sequentibus praedicti can. 6. verbis : Nullus viduam , nec filiam alterius extra voluntatem parentum , aut rapere presumat , aut Regis beneficio astimet postulandam : pro quotum verborum intelligentia videndus est Seveinus Vinnius tom. I. (encilior. in not. ad Epistolam Evaristi ; quapropter in dict. Synodo Parisiensi talis avaritia cum sacrilegio conjuncta coercita fuit : unde merito in d. cap. qui res 2. de rebus Eccles. non alien. cum simil. petitores , & competitores damnantur , quia non potest non esse conjuncta cum illa improba petitione detentio , & non restitutio . Et in hoc differt receptio à petitione ; nam illa potest accidere ex Principis sola largitione , ac perconsequens speratur retentio , ut damnetur ; hæc vero praefert pravum retinendi animum , argum. leg. improba 7. Cod. de acquir. possess. cum alijs adeo , ut contra hanc presumptionem debeat constare manifeste de simplici , & recto petentis desiderio , quo casu non dubitarem , hujusmodi petitorem excusari à poena nostri textus , usque dum in prava detentione reperiatur ; sicut & excusat recipiens decimas , & alias res Ecclesiarum in juribus supra num. 16. & 17. allegatis . Id quod singulariter probatur ex d. cap. qui res 2. ubi ideo à com-

communione Ecclesiæ excluduntur , qui res Ecclesiæ pertinet à Principibus , quia supererit horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapuisse virtute illius petitionis : ergo raptus , & detentio intercessit saltem virtualiter , quibus concurrentibus petitio damnatur , cum regulariter ipsa verificari non possit , nisi hujusmodi animo interveniente.

19 His ergò suppositis jam quasi manuducimus ad dissolvendas difficultates , quas suprà exposuimus. Non obstat prima deducta *ex leg. deprecatio 9. ff. ad leg. Rhod. de jaet.* ibi : *Ego quidem mundi dominus,* ex quibus probare intendebamus , res Ecclesiæ sub involucre omnium mundi rerum Principis ditioni subjacere. Nam omissa aliquorum sententia afferentium , verba illa fuisse prolatæ ab Antonino cum tumore , & fastu , facile respondetur , si animadvertas , Romanos Imperium suum tanti æstimassem , ut totius mundi caput judicarent : aliorum etenim regna non ita amplia erant Romanum , quod inter reliqua Imperia , quæ Deus ab orbe condito esse voluit , primas tulit , & eminet magis. Quare non immemor Roma dicta fuit caput mundi , *cap. fundamenta 17. de elect. lib. 6. leg. nemini 4. Cod. de Consulib. lib. 10. Barbosa de Offic. O Poteſt. Episcop. part. I. tit. 3. cap. 1. numer. 14.* Quo attento illius temporis loquendi usu , Antoninus sine vana elatione dixit , se mundi esse dominum , non ut universum comprehendenderet orbem terrarum , sed Imperium Romanum dumtaxat. Quo sensu accipi debet illud *Lucæ cap. 3. & Paul. ad Roman. cap. 13.* ibi : *Exit edictum à Cæsare Augusto , ut describeretur universus orbis.* Quod edictum (ut hoc obiter notemus) latum fuit in Hispania in Civitate Tarragonensi , ut tradit *Franciscus Tarrafa de rebus Hispaniæ , fol. 571.* ibi : *Cæsar. Augustus apud Tarragonem citerioris Hispaniæ, Civitatem anno Imperij sui 38. ante adventum Christi illud instituit edictum , quod in Evangelio Luca legitur.* Idem tradit *Comes de Mora in Historia Toleti part. I. lib. 4. cap. 1.*

20 Ex quibus clare colligitur , non bene *ex dict.*

*dicit. leg. deprecatio 9. deditici, Imperatorem totius mundi dominum esse. Quinimò, & si hoc gratis concederemus, nihil contra assertionem nostram probaret, eò quod Pontifex Romanus etiam mundi dominus appellatur, ut præter adducta à Barbos. ubi supra cap. 2. per tot. probatur ex Prospero Aquinatico lib. de ingratitudine, ubi sic canit:*

*Sedes Roma Petri, que pastoralis honoris  
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,  
Religione tenet.*

Et nihilominus Romanus Præfus non est dominus rerum Ecclesiasticarum, sed dispensator, ut constat ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 4. in princ. ibi. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: ergo ex eo, quod Imperator mundi dominus dicitur, non infertur, res Ecclesiae Principis ditioni subiacere, non solum quoad dominium, verum nec quoad administrationem, cap. fin. de rebus Eccles. cum alijs adduct. supra num. 9. Nec contrarium suadet textus numer. 2. expressus, in leg. benè à Zenone 3. Cod. de quadrienn. præf. illis in verbis: Omnia Principis intelliguntur; nam hæc verba intelligenda sunt, ut omnia prophæna, &c secularia, non vero Ecclesiastica, Principis esse dicantur quoad protectionem, non autem quoad dominium, ut eleganter notavit noster Boeticus Seneca lib. 7. de Benef. cap. 4. inquiens: Jure civili omnia Regis sunt, & tamen illa, quorum ad Reges pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & unaquaque res habet possessorem suum. Itaque dare Regi, & dominum, & mancipium, & pecuniam possumus, nec donare illi de suo dicimus; ad Reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Similiter non obstat alia consideratio deducta supra num. 3. in princ. ex dict. leg. benè à Zenone 3. quia regula ibi posita varias patitur limitationes, quas late prosequitur Peregrinus de jun. Eifici, lib. 6. tit. 4. num. 18. inter quas illa præcipua recen-*

Letur , videlicet , ut non procedat in bonis Ecclesiæ à Princeps datis , vel donatis , tum ob defectum potestatis in ipso principe largiente , tum etiam ob defectum bona fidei , quia Princeps , dum distrahit res Ecclesiæ , bonam fidem habere nequit : videndus D. Gonçal. *in cap. 2. de reb. Eccles. non alien. num. 8.*

21 Rursus assertioni nostræ non refragatur *capit. 14. lib. 4. Reg. vers. 14.* O 16. ubi Joas Rex Israel tulit omne argentum , & aurum , & universa bona , & vas sacra , quæ inventa sunt in domo Domini ; quia hujusmodi Rex excusari forsitan potuit propter necessitatem , quam Interpretes Sacri referant , illum coegerisse , juxta tradita a Petro Gregor. *lib. 3. de Republica , cap. 7.* à num. 34. & à D. Solorçano *emblem. 40.* & nihilominus occasio legitur à servis suis : unde non impunè hujusmodi factum accidisse credendum est . Nec etiam obsistit *cap. 18. ejusdem lib. 4. Regum vers. 15.* O 19. ubi Ezechias Rex omne argentum in domo Domini repertum Regi Assyriorum dedit ; nam hujusmodi factum nullus imitari debet ex doctrina textus *in cap. quod ait 1. dist. 14.* & ulteriorius præsumitur prædictum Ezequiam ea reddidisse postea , quæ è Templo abstulerat , juxta ea , quæ leguntur *in cap. 31.* O 32. *Paralipom.* Neque his omnibus contrarius est textus *in cap. conuenior. 21. 23. quæst. 8.* ibi: *Eò quod in potestate ejus effent omnia ; nam hæc verba à Comitibus , & Tribunis fuerant prolatæ ; siquidem D. Ambrosius ibidem contrarium sentit , dum asserit propria sua bona pauperum esse , & bona Ecclesiastica Imperatoris non subiacere potestati , affirmet. Majorem difficultatem continent alia ejusdem Ambrosij verba relata in cap. si tributum 27. 11. quæst. 1. ibi : Si agros desiderat Imperator , potestatem habet vindicandorum , in quibus innuere videtur D. Ambrosius , Principem sacerularem dominum esse prædiorum Ecclesiæ , siquidem vindicatio solis dominis competit , leg. *in rem 23. ff. de rei vindic.* Verum huic dubio facile obviam ibis , si respondeas , verba illa dicta esse ab Ambrosio , permittendo potius , quam approbando , & factum asserendo , non jus confi-*

tendo, ut constat ex illis verbis : *Imperator non dono, sed non nego*, quasi dicat, permitto, non approbo. Verissimile enim est, illo tempore, quod erat Valentiniani junioris, & pueri, Justus nam ejus matrem, & pro illo gubernantem, & Arianam, tributum aliquod ab Ecclesijs exegisse, prudenterque censuisse Ambrosium, non fuisse tunc illi resistendum, vel propter vitanda scandala, vel quia majora pericula tunc imminebant Ecclesiæ, quibus magis occurrere oportebat, nec poterat simul omnibus resili. Unde verba supra relata non sunt accipienda de justa, & legitima vindicatione, sed de injusta, quæ ex usurpatione proficiuntur. Vindicatio enim nonnumquam sumitur pro usurpatione, leg. ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. norat Oſuald. ad Donat. 20. com. cap. 1. lit. A. Quare in dict. cap. si tribatum 27. nullomodo affirmat D. Ambrosius, jure posse Imperatorem bona Ecclesiæ sibi vindicare, sed potius, si ea petierit, reddenda esse, ut tradunt D. Gonçal. in cap. 2. de rebus Eccles. num. 9. & ibidem D. Graſia num. 6. & omnium optimè P. Suarez adversus Reg. Angl. lib. 4. cap. 21. num. 11. & 12. Nec item obstat dubitandi ratio num. 4. in fin. proposita, cui respondebis cum eodem Grana in dict. cap. 2. numer. 7. & 9.

22. Ad difficultatem, quam supra num. 5. ponderavimus ex paritate decimarum, respondeo, quod licet verum sit, jus percipiendi, seu exigendi decimas, utpotè spirituale, laicis regulariter competere non posse, cap. causam 7. de prescript. cap. quanvis 17. cap. probabemus 19. de decim. quia cum sint incapaces spiritualis ministerij, capaces esse non debent stipendij, quod huic spirituali ministerio annexum est, & sic decimas possidere non possunt, quatenus stipendum sunt ministrorum Ecclesiæ; ut docent D. Covarr. lib. 1. var. cap. 17. num. 5. Doct. Balboa in dict. cap. causam 7. num. 7. Hæc tamen doctrina accipienda est, cum laici propria autoritate, & facto decimas exigunt, & percipiunt, non vero si justo aliquo titulo ad eos decimatum perceptio, & possessio pertineat; veluti si per privilegium expressum, vel con-

cess-

cessionem Apostolicam à S. Pontifice factam ipsis laicis  
ob sua benemerita in universalem Ecclesiam impensa,  
decime concedantur : quam potestatem sine contro-  
versia habet Pontifex , cap. a nobis 24. cap. dudum 31.  
*de decim.* nam in omni genere gubernationis , & ad-  
ministrationis Ecclesiastice supremam habet potestatem.  
Sic videmus , quod nostri Hispaniarum Reges percipi-  
piunt decimas , quas vulgo *tercias* vocant , vel alia  
subsidia , aut genera contributionum ex Ecclesiasticis  
decimis , ut copiose tradit D. Covarr. in *pract. capo.*  
35. & ita eas juto titulo possident , ut eximantur à SS.  
Pontificibus , & à jure Ecclesiæ separantur , possintque  
ab ipsis Regibus nostris , ut potè prophanae , & sœcu-  
lares in laicos alienari , eisque concedi , ut cum pluri-  
bus testatur D. Gonç. in *cap. 19. de decim. num. 4.* &  
Doct. Balboa *ubi supra num. 12. & 13.* quidquid co-  
gitandum relinquit Palacios Rubios in *Rubr. de donat.*  
*inter vir. §. 37. num. 13.*

23. Nec obstat primum augmentum ipsius du-  
bitandi rationis ex *cap. cum inter 5. de consuet. cap. di-*  
*lectus 34. de Præb.* & *Dignit.* cum alijs sigillatim ex-  
pensis *supra num. 5.* Pro quorum jurium enucleatione  
aliquantulum hic subsistere oportet. Admonendi itaque  
sumus , Reges , & Principes sœculares , Dignita-  
tes , Præbendas , & Beneficia Ecclesiastica conferre  
adeo non posse , ut Presbyter , sive Clericus , qui  
Ecclesiam per laicos sine propria Episcopi authoritate  
recepit , communione privandus sit , *cap. præterea 4.*  
*cap. cum laici 10. cap. consuluit 15. cum alijs de jur.*  
*patron.* Cujus rei ratio provenit , tum ex nimia lai-  
corum incapacitate circa res Ecclesiasticas , à quarum  
administratione , & dispositione Ecclesia laicos semper  
arcere curavit , *cap. 2. de judicijs* , *cap. fin. de rebus*  
*Eccles.* non alien. tum etiam , quia beneficia Ecclesiasti-  
ca sine institutione canonica obtineri non possunt , *cap.*  
*ex frequentibus 3. de institut.* *cap. 1. de reg. jur. in 6.*  
hoc autem jus merè spirituale est , quod in laicum ca-  
dere non potest , *cap. Massana 56. de elect.* *cura vulg.*

& cum certum sit , neminem posse in aliud plus juris transferre , quām ipse habet , cap. quod autem 5. de jur. patr. leg. nemo 54. ff. de regul. jur. inde provenit , laicos non posse jus hoc spirituale , quod non habent , donare , aut in alios transferre , cap. Pastoralis 11. de jur. patr. ibi : *Cum laici non possint , nisi jus , quod habent , in alios transferre.* Taliterque laici , etiam Principes , & Reges , falcem suam mittere in Præbendarum , & Beneficiorum collationibus non possunt , ut nec consuetudine etiam immemoriali , nec præscriptione hujusmodi jus obtinere eis licitum sit , adeo ut nec tolerantia Pontificis possit cohonestare hujusmodi consuetudinem , aut præscriptionem ; quia præsumitur propter scandalum , & majus malum vitandum patientiam adhibitam fuisse , & quia nulla inducitur dispensatio in ijs , quæ sunt contra juris dispositionem , cap. cum jam dudum 18. de Præb. O. Dign. ut docent Peregrin. de jur. fisc. lib. 6. tit. 8. à num. 18. Zevallos lib. 4. q. 999. à num. 1002. Cujus rei ratio perspicua est ; quia ad hoc , ut consuetudo , sive præscriptio possit esse justa , debet dicere relationem ad subjectum capax , & ideo cum laicus incapax sit juris Ecclesiastici , & spiritualis , non potest præscribere jus conferendi , ulla etiam consuetudine quantumvis immemoriali , capit. causam 7. de præscript. cap. 50. O 51. de electione .

24 At inquires : certi , atque explorati juris est , quòd privilegium , & immemorialis præscriptio æquiparantur , ita ut ea , quæ possunt acquiri privilegio , acquirantur etiam præscriptione , cap. super 26. §. præterea de verb. signif. cap. 1. §. fin. de præscript. in 6. cum. alijs ; atqui virtute privilegij Apostolici possunt laici capaces effici , & habiles reddi ad hoc , ut possint beneficia Ecclesiastica conferre , aliaque munia spiritualia exercere : ergo pari modo consuetudine , seu inveterata præscriptione capaces etiam effici poterunt. Minor probatur ex cap. Mennam 7. 2. quest. 5. ubi fit mentio à D. Gregorio de Brunichilde Regina Francorum , ad quam idem sanctus supponit , mediante pri-

privilegia , competere non solum facultatem conferendi beneficia , & dignitates Ecclesiasticas , sed etiam potestatem excommunicandi , & absolvendi , ut tradit Doct. Balboa in cap. 2. de judicijs , num. 146. Verum ad hanc difficultatem respondendum est , quod licet regulariter consuetudo immemorialis dicatur habere vim privilegij , & ipsi equiparari , nihilominus hoc intelligendum est , data personarum capacitate ; quare cum , ut antea dicebam , laici sint incapaces rei spiritualis , illis non proficit præscriptio immemorialis , quæ non aequivallet privilegio , ubi adest incapacitas præscribentis , & hic ingens deprehenditur differentia inter consuetudinem , & privilegium ; nam hoc sufficiens est ad prædictam incapacitatem tollendam , non vero consuetudo , quæ habilem reddere nequit personam incapacem , ut jura spiritualia licite obtineat , sicut Pontifex efficere potest , ut ex Garcia ; & alijs tradunt duo Salmantenses Primarij D. Samaniego in method. tract. de Prebend. & Dign. per Principes temporal. non conferend. n. 42. & venerandus Praeceptor meus D. Galeote in tract. Acad. de Sacram. Ordinis art. 3. num. 27. mirum ergo non est , quod licet laicus mediante privilegio possit dignitates Ecclesiasticas conferre , tamen virtute præscriptionis , aut consuetudinis , quantumvis immemorialis , id efficere non potest.

25 Unde supposito hoc privilegio , nonnulli asserunt , Reges Christianissimos Galliae dignitates , præbendas , & beneficia conferre in suo Regno , ut tradit Martha de jurisd. part. 2. cap. 40. num. 9. Idem de Rege Appuliae legitur , qui auctoritate Pontificis confert beneficia Ecclesiastica sine Episcopi auctoritate , ut refert Glossa in summa , caus. 7. quæst. 1. verbo : Ecclesia in fin. & idem de Rege Hungariae affirmat Baldus in leg. rescripta 7. Cod. de precib. Imperat. offer. & communiter notatur in cap. quod sicut 28. de elect. ubi Glossa verbo : Episcoporum. Itaque ablatis hujusmodi privilegijs , & Sedis Apostolicæ concessionibus , nullo modo jus conferendi similia beneficia posse com-

peter

petere Regibus , illis verò intervenientibus , utique posse Reges simile jus exercere , defendant Fermoſinus *in cap. 2. de iudicijs , quæſt. 10. num. 4.* Bobadilla *lib. 2. politice , cap. 18. ex num. 92.* Selva de benef. *quæſt. 23.* Cæterū adhuc in hoc caſu , concurrentibus , ſcilicet , præfatis privilegijs , verius eſſe existimat D. Solorçanus *tom. 2. de jur. Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 44.* laicos jura ſpiritualia confeſſe non poſſe , ſed ſolum temporalia , de quibus videntur investiri Prælati Ecclesiastici , qui poſtquam ſic investiti inveniuntur , recipiunt spiritualia à confirmatore , vel conſecratore , aut alio ministro Ecclesiastico : concluditque iſte gravifſimus Author , affirmans , aſſerta privilegia eſſe potius nominationes quām collationes ; quia ea , quæ ſunt jurisdictionis , ut eſt collatio benefictorum , etiam laicis mandari poſſunt , non verò ea , quæ ſunt ordinis , ut probat nunquam ſatis laudatus Preceptor meus D. Galeote ubi *ſuprad. num. 17. & Martha d. cap. 40. num. 22.* ubi etiam aſſerit , quod hujusmodi privilegia propter importunas , & potentes Principum preces ipſis confeſſa fuiffe credunt , & impropiè debere ipſorum verba , quando multum ſignificant , accipi ſecundūm ſubiectam materiam , videlicet personæ , cui diriguntur , argum. *ieg. ex conduto 15. §. si uno anno 4. ff. locati.* & conſequenter ad jus p̄ſentandi , ſeu nominandi *collationis nomen reſtringendum eſſe* ; quia præſentans , ſeu nominans aliquem , confeſſe etiam dicitur , ut notatur *in cap. nobis 25. de jur. patr.* & ex Jacobat. Zevallos , & alijs docet Fermoſinus *in cap. 3. de iudicijs , quæſt. 5. num. 6. & 7. & in cap. 3. de cauſ. poſſeſſ. quæſt. 3. num. 11.* ubi hujusmodi doctrinam limitat , quando evidens , & clara appetet mens , & voluntas Pontificis concedentis non ſolum facultatem p̄ſentandi , ſed etiam titulum , & jus plenum confeſſandi .

26 Verū licet ex hucusque dictis ſatis perſpicue apparet , laicos etiam Principes , & Reges facul-

tatem conferendi Beneficia , & Dignitates Ecclesiasticas non habere , tamen præsentationem , aut nominationem ad eas non prohibentur obtinere . Ratio differentia inter collationem , & præsentationem quoad spiritualitatem non usque adeò obscura est ; quia collatio ex natura sua intrinsecè , & quasi per necessariam consequentiam , est jus merè spirituale ; at vero patronatus , & præsentationis jus dicitur solum annexum esse spiritualibus , cap. quanto 3. de iudicijs , cap. de iure 16. cum alijs de jur. patron. Quod ex mente Angelici Præceptoris 2. 2. quest. 100. artic. 4. in corp. non est intelligendum ratione dependentiae ab spiritualitate , sed ratione præparationis , & ordinationis ad spiritualia , ut accidit in vasis sacris atque ornamentis Ecclesiasticis , quæ tanquam præparatoria , absque aliqua dependentia necessaria , antecedunt spiritualia , cap. vestimenta 42. cap. vasa 44. de consecrat. dist. 1. Beneficia vero alio , & longè diverso modo dicuntur , spiritualibus annexa esse , consequenter scilicet , & immediate ; quia totum suum esse dependenter ab spiritualitate sortiuntur , & in produci , & in conservari , quod latius prosequuntur D. Armenteros in expositione ad dict. cap. quanto 3. & ibidem D. Balboa num. 22. & D. Gonçal. num. 8. & nos aliqua diximus in nostra elucubracione ad text. in cap. gratia 1. caus. 1. quest. 1. numer. 16. & 17. Sed obijcies , quod licet in præsentatione , aut nominatione non jus spirituale , sed spiritualibus annexum consideretur , adhuc tamen ex eadem prohibitiva ratione in laicos cadere non poterat ; nam haec annexio in præsentatione , aut nominatione sufficiens est ad hoc , ut Judices sacerdotes de causa juris patronatus cognoscere non valeant , dict. cap. quanto 3. de iudicijs. Similiter efficit , ut simonia æquè in eo , ac in rebus spiritualibus improbetur juxta celebr. text. in capa quia 6. de jur. patron. & generaliter quidquid de re principali dicitur , & de ei annexa prædicatur , nam eo ipso , quod annexuntur , univocantur , individuaque fiunt , legi 17. §. 1. ff. de neg. gest. leg. qua religiosis 44. ff. de religios. & sumpt. cap. 3. de donat. cap. 12. de sepultur. ergo

ex his omnibus rationibus dicendum videbatur , aequē præsentationem , sicut & collationem prohibitam esse debere laicis , ut idem judicium concipiatur virtute connexionis de utroque jure.

27 Sed his non obstantibus adhuc remanet firma differentia *num. antec.* proposita ; quia licet attento juris rigore laici etiam non possent obtainere hoc jus spiritualibus annexum , nihilominus tamen ex gratia , & dispensatione præsentandi jus competit patronis , sicut & alia innumera contra juris stricti regulas ipsis concessa inveniuntur , favore videlicet Ecclesiastum , ut invitentur fideles ad ipsas construendas , atque dotandas , ac per consequens quoad cognitionem judicis Ecclesiastici , & ad hoc , ut sit materia simoniae , sufficiens habetur , seu consideratur jus patronatus , tanquam spirituale ; quoad favorem vero patroni , qualis reputatur successio , & facultas præsentandi , insuper habetur qualitas illa connexionis , quæ in p̄dictis causis favorem patroni non concernentibus judicium individuum constituit , ut habeat locum regula connexorum , de qua *ubi supra*. Præter quamquod hujusmodi regula potest intelligi , quando talis est annexio , quæ propriè possit constituere unum individuum , qualis est illa ; quæ consequenter se habet ; nam hoc modo , ut diximus , etiam beneficia dicuntur spiritualibus annexa , *cap. quæsitus 5. de transact.* quod non ita procedit in annexione juris patronatus , quod tantum antecedenter adharet spiritualitati. Est & alia differentia inter jus Patronatus , & Beneficia Ecclesiastica ; nam illud ita a laicis possideri , & adquiri potest , ut possint in alios transferre jure hereditario , *cap. 1. cum 2. seqq. de jur. patron. clem. si plures 2. eod. tit. cum alijs* , quod non ita procedit in Beneficijs. Et ratio est , quoniam regula *text. in cap. 1. de Prab. & Dign. & aliorum* , prohibens successionis titulum in Ecclesiasticis Beneficijs , restricta est jure Canonum , & limitata in jure patronatus , quod non solum fuit in Ecclesia reservatum patronis , sed etiam eorum gratia , & favore permisum est , quod jure , & titulo successionis possint transferre in ha-

redes institutos, sive sint sui, sive extranei, ut facilius  
afficiantur fideles ad fundationem, aut dotationem Eccle-  
siarum, cum videant non solum ipsis, sed successoribus  
eorum reservari jus honorificum, & utile in Ecclesijs.  
Ad cujus juris reservationem concedendam, ea moti fue-  
runt ratione Juris Canonici Conditores, quod jus pa-  
tronatus participat aliquantulum de temporalibus, & an-  
cedenter tanum annexum dicatur spiritualibus, & ita  
facilius in eo successionem permissem, quam in Bene-  
ficijs Ecclesiasticis, quae, ut diximus, consequenter, aut  
dependenter annexa sunt spiritualibus, & majorem cum  
illis habent participationem, ut eleganter tradit D. Covarr.  
lib. 2. var. cap. 18. à num. 6.

28. Quibus non inutiliter expositis jam patet  
facilis responio ad jura in contrarium expensa; nam  
textus in cap. cum inter 5. de consuetud. non de colla-  
tione, sed de præsentatione laicis Principibus ratione ju-  
ris patronatus petinenda, accipiens est; quia Ecclesia  
Si Petri de Curia Cenomanensi ratione juris patronatus  
expectabat ad Regem Angliae, itaque illiusmodi plena  
collatio ad ipsum expectare non potuit. Eodem modo  
intelligas velim textum in cap. dilectus 34. de Præb. O.  
Dignit. Quin obstet verbum conferre, quod in dd. ju-  
rib. repetitur; nam improptè accipi debet, & ad jus præ-  
sentandi, seu nominandi restringendum est, ex dictis su-  
pra num. 17. Eadem solutione intelligendi sunt textus in  
cap. dilecto 40. de testib. & in cap. fin. de confess. Pre-  
benti, quæ quidem jura, & alia non de collatione, sed  
de præsentatione, si aliquid probant accipi debent. Nec  
etiam assertioni nostræ obstat Concilium Maistic. can. 4.  
& Suesson. can. 12. nam cum advocatio, seu defensio  
Ecclesiарum Cathedralium, & Regularium ad Reges, &  
Supremos Principes, qui eas sub protectione Regia ha-  
bent, expectet, ut testatur D. Bernardus in Epist. 242.  
ad Contadum Regem Romanorum, ibi: Utrumque in-  
teresse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, &  
Ecclesiastam defensare: alterum Regi, alterum convenit  
Ecclesiæ advocato; ideo singulariter fuit concessum, ne  
alio;

alienationes , seu commutationes rerum Ecclesiæ fieri possent sine consensu Regio : cum enim Reges sint Patroni , & largitores bonorum Ecclesiæ , eorum interest , dotes Ecclesiæ salvas manere . Ex quo minime infertur , Principes sæculares propria auctoritate posse se immiscere in dispositione , seu administratione rerum Ecclesiæ .

29 Ad ipsius difficultatis confirmationem deductam ex cap. precariæ 4. 10. quæst. 2. respondetur , quod olim quædam precariæ concedebantur ab Ecclesia sponte sua , quædam vero jussu Principis ex rebus , quas ipse Ecclesiæ donaverat ea conditione , seu lege , ut irquisito Principis consensu alienari non possent , cap. ea enim 2. §: hoc jus porrectum 10. quæst. 2. ita ut precariæ de rebus Ecclesiæ fiant cum auctoritate Ecclesiastica , quæ vero fiunt de rebus à Principe donatis , fieri etiam debent , simul cum civili auctoritate , quomodo accipiendus est textus in cap. 44. 12. quæst. 2. in verbis illis : Cum auctoritate Ecclesiastica , vel civili , si facienda sunt , fiant . Eodemque sensu intelligendus text. in dict. cap. precariæ 4. ibi : Sine licentia , & consensu Regio , ut ibidem notat Glossa , & Turriscremata : videndum est D. Gonçal. in cap. 1. de precarijs , numer. 6. Nec etiam obstat textus in cap. 1. de rerum perm. ubi res immobilis Ecclesiæ cum alia re immobili , quæ majoris , vel æqualis sit prætij , seu valoris , potest licite commutari , si Princeps ex rationabili causa id petat ; nam cum talis permutatio non sit coacta , sed petita ex rationabili causa , nec in damnum Ecclesiæ , hoc ipso censeri debet eam utilem esse , quia fit propter honorem Patroni , & ad majorem ejus benevolentiam captandam ; solent enim plerumque Principes , & Reges Ecclesiæ defendere , & singularibus Beneficijs ornare : debet tamen talis commutatio fieri communi consensu utriusque partis , Principis , videlicet , & Ecclesiæ , ne fortasse res deterior offeratur à Principe , ut tenent communiter Interpretes in dict. cap. 1. de rer. perm. cui non refragatur textus in cap. quis 56. 12. quæst. 2. ubi cuilibet alienatio de rebus

bus Ecclesiæ permittitur , si de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit , quantum visus est abstulisse : ex quo interfertur , nil speciale statutum esse circa Principem *in dict.*  
*cap. 1.* . siquidem eadem permutatio cuilibet permittitur *in dict. cap. 56.* nam hic textus procedit in subtractione , & alienatione fructuum , & reddituum Ecclesiasticorum neglecta divisione antiquitus præscripta *in capit. quatuor 27. cum seq. 12. quasf. 2.* quo tempore beneficia nondum erecta erant : ita ut sensus sit , quod si quis quilibet conditione , hoc est , in quamlibet causam , & usum de rebus Ecclesiæ aliquid , id est , aliquos fructus , & redditus provenientes ex rebus Ecclesiæ , alienare præsumperit , id est , iniquè distraxerit , neglecta , scilicet , prædicta divisione , si de suo tantundem Ecclesiæ contulerit , quantum visus est abstulisse , tunc demum illud præstare licebit . Denique non obstat tertia , & ultima dubitandi ratio *supra numer. 7. & 8.* expensa , quibus satisfecimus in præmissis num. 16. cum 2. seq. Quibus jam absolutis , licet pro tenuitate nostra parum ingeniosè discussis , huic elucubrationi finem imponimus .



## A D

TEXT. IN CAP. PERLATUM.

DE HIS, QUÆVI, METUSVE CAUSA FIUNT.

ELUCUBRATIO SESQUIHORALIS EXTEMPORANEA.

H A B I T A

Salmantica: Die 17. Aprilis anno 1720.

ALEXAANDER III. OSCEN. EPISCOPO,

ET PRIORI SANCTÆ MARIAE

CÆSAR AUG.

**P**ERLATUM est ad audientiam nostram, quod cum quidam nobilis, & potens M. uxorem suam suspectam haberet, milites sui ejus precepto eam ad quamdam sylvam ducentes, evaginato gladio occidere voluerunt: sed tandem pietate duci, sub tali conditione eidem pepererunt, quod in Monasterio de colobris habitum susciperet Monachalem: (Et infra) Episcopi vero missi à viro, ut ei velum imponerent: quia juvenis erat, & filium parvulum habebat, mutationem vitae sua suspectam habentes, seorsum convenerunt eamdem, quæ rem patefaciens, dixit, se timore mortis Monasterium intrare, & exinde, quam documque posset, exire paratam esse: sed alter Episcoporum (ut viri tyrannidi satisfacere videretur) mulieri velum imponere simulavit: tandem viro de medio sublato prædicta mulier de Monasterio exiens, aliud maritum accepit, &c.



X quibus verbis ( textus hypothesi omissa , quam mira claritate refert Pater Pirhing. ad hunc titul. §. 4. numer. 24. ) sequentem deducimus illustrandam assertio- nema ; *Siquis mitu mortis Religionem ingrediatur , potest quandocumque exire ,* & ma-

rimoniare contrabere , nisi postea professionem ratam habuerit. Quam probant texrus in cap. nullus 1. cap. quis 2. cap. vidua 4. cap. significatum 11. cap. cum virum 12. de regularib. cap. accedens 17. cap. dudum 20. de convers. conjugat. cap. majores 3. §. item queritur final. de Baptism. cap. fin qui Clerici , vel venentes. Ex Decreto Gratiani probant etiam textus in cap. merito 1. cap. non est 10. caus. 15. quest. 1. cap. Gonçaldas 1. caus. 17. quest. 4. cap. puella 2. cap. prasens 4. cap. constituit 5. 20. quest. 3. cap. ubi ista 7. dist. 74. cap. 1. de stat. regular. lib. 6. Concilium Trident. sess. 25. de regular. cap. 18. & 19. exornant ultrà relatos à Barbos. & D. Gonçal. hic num: 10. & in cap. cum dilectus 6. hoc tit. numer. 10. idem D. Gonçal. in cap. nullus 1. de regularib. Basilius de matrim. lib. 7. cap. 19. ex num. 5. D. Moez in cap. 1. hoc tit. lib. 6. Luna , & Arellano lib. 1. antin. cap. 3. duo primarij Salmaticenses Doct. Balboa in cap. si verò 8. de jur. jur. ex num. 18. ibidemque Doct. Bajo- Arroyo num. 11. Eximius Doct. P. Suarez tom. 3. de Reli- gion. cap. 4. num. 3. Sanchez lib. 4. in precepta Decalog. cap. 3. num. 9. & 19. P. Pirhing. ad tit. de regularib. sect. 3. §. 4. num. 119. cum seq. Castro Palao de voto , disput. 1. punct. 8. Henriquez lib. 1. de matrim. cap. 9. Fagnan. in cap. majores 3. de baptism. num. 86. cum 3. seqq. & in cap. nullus 1. de regularib. ex num. 20. pluresque alij in discursu hujus elucubrationis recensendi.

<sup>2</sup> Sed assertio hac tot fulcita authoritatibus sequentes patitur dubitandi rationes , quarum prima sic expenditur : Professio religiosa est quidam contractus

onerous ultrò ; citròque obligatorius , quo professus ab-  
solutè , & simpliciter se obligat ad serviendum religio-  
ni , secundum ejus regulam ; & è contra religio se obli-  
gat ad eum alendum , & tractardum juxta suam insti-  
tutum , ut docent P. Pithing . ad titul. de regular. nu-  
mer. 143. & Fagnan. in cap. ex parte 22. de regular. nu-  
mer. 26. & conitat ex D. Bernard. de præcept. & expens.  
cap. 7. ibi : Regularis professio , qua se junior spontè sub-  
mittit Priori , àquè obligat , & Priorem , siuntque duo  
per unius sponsonem alterutri debitores ; unus fidelis cu-  
rae , alter humilis obedientie ; atqui contractus omnes , sive  
onerosi , sive etiā gratuiti , qui ex metu quantuvis ,  
gravi , & injustè illato sunt , ipso jure validi sunt , ut plu-  
ribus juribus adductis probat D. Gonçal. in praefenti nu-  
mer. 15. eo quod voluntarium ex metu sit simpliciter vo-  
luntarium , licet secundum quid sit involuntarium , testē  
Philosopho 3. Ethic. cap. 1. & Angelico Doct. 1. 2. quast.  
6. artiv. 6. junct. leg. si mulier 21. §. si metu 5. ff. de eo  
quod met. caus. ubi dicitur : Si metu coactus adivi bare-  
ditatem , puto me baredem effici ; quia quamvis si tibe-  
rum effet , noluissim , tamen coactus volui : & ab hac  
voluntate , quæ vitam , & spiritum tribuit , omnes con-  
tractus , robur , & firmitatem accipiunt , leg. 1. §. 3. vers.  
Adeo , ff. de paet. leg. 2. ff. de obligat. & act. Quin obstet  
regula textus in leg. nihil 116. ff. de reg. jur. qua doce-  
mūr , nihil consensiū tam contrarium esse , quam vim  
atque metum ; quoniam metus opponitur tantum con-  
sensiū spontaneo , seu omnino libero , ea libertate , quæ  
oppenit coactio ; non quæ oppenit necessitati , &  
quæ sufficit ad simpliciter voluntarium , & liberum ; er-  
go metus mortis , de quo in nostro textu , licet gravis ,  
& injustè incusus , non tollit consensum voluntarium  
simpliciter requisitum ad valorem contractuum , qui mu-  
tuuo consensu perficiuntur : & consequenter hujusmodi  
professionem nullam ipso jure efficere non potuit.

3. Augetur primo , & fulcitur eadem dubitan-  
di ratio ex eo , quod validissimum , ac firmum in jure  
est argumentum de juramento ad votum ex cap. mag-

na 7. de voto , cap. juramenti 12. 22. quest. 5. ut cum Angelico Magistro , & alijs probat Castro Palao de oblig. & firmit. juramenti , disp. 2. punct. 4. num. 2. quod adeo verum est, ut Pater Sanchez de matr. lib. 8. disp. 2. præcipue à num. 6. affirmet , vota , & juramenta taliter assimilari quoad obligationem Deo acquisitam, ut illa pro his accipientur , & quæ dicuntur de voto, eadem de juramento dici debeant. Quod vel alijs omis- sis singularissimè mihi probatur ex illo Num. cap. 30. in illis verbis : *Si mulier habens virum voverit aliquid, & verbum de ore ejas egrediens animam ejus obligaverit juramento , voti rea erit.* Premite , quæso , verba illa : *Obligaverit juramento ; postquam inspiceritis malierem se non adstrinxisse juramento , sed voto , cum non juramenti , sed voti fiat rea , & hoc ideo , quia pars est utriusque ratio ; quemadmodum enim Deo vota reddenda , dict. cap. magna 7. de voto , ita & juramenta , cap. debitores 6. cap. & si Christus 26. de jure jur.* Tunc sic : sed juramentum metu gravi , & iniuste incusso extortum subsistit , obstringitque quoties impleri potest absque dispendio salutis aterræ , cap. si verò 8. cap. verum 15. de jur. jurand. ubi egregie Primarius noster D. Balboa : Igitur quemadmodum juramentum metu extortum , quia Deo reddendum , adhuc obligat , & obstringit , ita & votum in ingressu Religionis emissum , dum sine dispendio salutis aeternæ servari potest , contra quod cautum est ab Alexandro III. in littera nostri textus.

4. Quam difficultatem , ut effugiant Interpretes , differentiam constituant inter actus illos , ad quorum existentiam requiritur voluntas , seu consensus simpliciter ; & inter eos , qui consensum , seu voluntatem liberam , & spontaneam ad sui valorem desiderant. Primi metu gravi , & iniuste incusso initi , ipso jure sunt validi , ea videlicet ratione , quia voluntarium ex metu est voluntarium simpliciter , ut dictum est num. 2. & quia metus influit moraliter , & non tollit omnino voluntarium , imò relinquit voluntarium simpliciter cum

involuntario admixto. Secundi verò nullitatem à principio incurront, si per metum voluntas extorquatur, quia voluntas coacta opponitur voluntati, & consensui plenè libero. Et hinc in casu nostri textus mulier, quæ metu mortis à marito incusso Religionem professâ est, potuit inde exire, & matrimonium contrahere: ita cum pluribus docent P. Pirthing. *ad hunc titul.* §. 3. num. 10 & D. Gonçal. *his num.* 17. Nec tunc obstat æquiparatio inter votum, & juramentum; nam utecumque assimilantur, similitudo tantum procedit circa Cul-tum Dei; quia sicut per juramentum honoramus Deum quasi immutabilem veritatem, & veritatis assertorem, ita per votum Deum colimus, & veneramur, quasi ipsi, ut summo bono placeant actus virtutum, uti ege-gie docet Emin. Card. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 16. toto tamen Cælo distant quoad validitatem, de qua in *presenti*, quia ad juramentum non desideratur voluntarium, ut ad votum, sed tantum consensus; qua-re metu gravi extortum ipso jure validum est, non item votum: D. Gonçal. in *cap. cum dilectus* 6. *hoc tit. numer.* 10.

5 Verum licet hæc evasio veram contineat doctrinam, tamen difficilis redditur ex eo, quia ad validitatem donationis non minus requiritur liber, & spontaneus consensus, quam ad votum professionis, ut probat textus *in leg. munus* 214. ff. de verb. signif. ubi dona propriè dicuntur, quæ nulla necessitate, sed sponte præstantur, *leg. si privatus* 17. ff. qui ♂ a quib. *leg. donari* 29. ff. de donationib. itaque Marcellus *in leg. proxime* 50. ff. de ript. nupt. quærit, utrum ex causa fidei commissi liberta manumissa obsequium debeat pa-trono, ut non liceat eo invito nuptias contrahere? Ne-gatque hac ratione; quia is, qui ex necessitate manu-misit, magis debitam libertatem, quam ullum beneficium in mulierem contulit, juxta text. *in leg. si seruo* 84. ff. de bared. inst. *leg. unum ex familia* 67. §. *si de falciaria* 1. ff. de legat. 2. ibi: Non enim facultas no-seffaria electionis, proprie liberalitatis beneficium est: quid est.

est enim quod de suo videatur reliquisse , qui , quod  
 relinquit , omnimodo reddere debuit ; at qui donatio  
 metu facta ipso jure tenet , ut disserit probat textus in  
 leg. fin. Cod. hoc tit. ubi decernitur donationes , quæ  
 per potentiam extortæ sunt , infirmandas , ac rescin-  
 dendas esse : quod supponit validitatem , siquidem  
 quod nullum est , infirmari , ac rescindi nequit juxta  
 vulgarem regulam textus in leg. 5. vers. post defectum ,  
 ff. de injust. irrit. test. cap. ad dissolvendum 13. de  
 desponsat. impub. ergo similiter & si votum , seu pro-  
 fessio regularis ad sui validitatem liberam , & sponta-  
 neam voluntatem exigat , non ideo minus ipso jure  
 subsistere debet. Idque ipsum in eisdem terminis voti ,  
 seu professionis clare evincitur ex cap. constituit 42. 16.  
 quæst. 7. cap. constituit 5. 20. quæst. 3. ubi ex Conci-  
 ilio Moguntino statuitur , ut qui per dolum , & circum-  
 ventionem Abbatis professionem emisit , cogatur in reli-  
 gione perseverare. Ex quorum iutium decisione clare pro-  
 batur , professionem dolo emissam ipso jure validam esse:  
 ergo fortiori ratione professio , seu votum solemne  
 religionis metu mortis emissum validum erit. Probatur  
 consequentia ; nam metus & si consensum diminuat ,  
 non tollit , nec excludit , & ideo quod metu contra-  
 etum est , utrumque aliquem consensum habet leg. 21.  
 §. 5. ibi : Coactus voluit , ff. quod metus caus. & ratio  
 est perspicua ; quia metus non tollit objectum , & id  
 circa non reddit actum omnino involuntarium , sed se-  
 cundum quid , & relinquit consensum simpliciter vo-  
 luntarium ; quia neque ex parte intellectus tollit cognitionem  
 necessariam ad volendum absolute , neque ex parte  
 voluntatis illam absolute cogit , sed movet ad  
 volendum aliquid , quod secluso metu non voluisse.  
 Itaque ille , qui consentit propter metum , non errat  
 in causa consensus , sed potius ipsi de ea constat , at-  
 que pure consentit. Cæterum is , qui consentit propter  
 dolum , in causa consensus errat , sicutque pure non  
 consentit , leg. si per errorem 15. ff. de jurisact. leg.  
 nibil 116. ff. de reg. jur. Proindeque sub ea conditio-

ne consentit , si verum est illud , propter quod ad contrahendum inducitur , textus in leg. *si cum te 51. ff.*  
*de pact. & in cap. veniens 16. de jur. jur.* ibi : Nequaquam taliter juravisset , si mandatum illud sibi contrarium praeservasset ; quare cum verum non sit illud , ad quod dolosè inducitur , facit deficere consensum . Ex quibus tunc sic : sed hoc non obstante in præcit. jurib. tenet professio dolo Abbatis emissa : ergo multò magis in nostro textu valida erit metu mortis celebrata , consequenterque mulier monasticam vitam professa , etiam mortuo marito , prætextu metus exire non poterat , contra decisionem nostri Pontificis , & solutionem suprà traditam .

6 Nec ab hac non levi instantia facile quis se expedit , si respondeat cum Glossa *in cap. cum dilectus 6. hoc tit.* verbo : *Ad fatuitatem* , quod quamvis in causis temporalibus , & profanis dolus dans causam contractui faciat involuntarium ; secus tamen est in professione , & alijs causis spiritualibus : itaque si aliquis dolo inductus fuerit , ut regularem , seu monasticum habitum in religione aliqua suscipiat , in eaque professionem emittat , tenet professio . Idque confirmat Glossa exemplo minoris , qui quamvis dolo seductus restituatur , tamen si per dolum , & circumventionem inducatur ad profitendum , non restituitur . Unde Glossa *in cap. sicut 1. 27. quest. 1. verbo* : *In minoribus , & in cap. dudum , verbo* : *Spes. de convers. conjug. Abbas in dict. cap. cum dilectus 6. num. 12.* quem refert , & sequitur Fagnani *in cap. significatum 11. num. 36.* & 37. & *in cap. sicut nobis 17. de regular. num. 9. cum 2. seq.* tenent dolum in similibus actibus non attendi ; quia dolus , quo quis inducitur ad meliorem vitam , dicitur dolus bonus ; & ideo valet professio . Quod & probari videtur , tum ex cap. *ex parte 14. cap. veniens 16. cap. dudum 20. de convers. conjug. cap. ad nostram 8. de regularib.* tum ex eo , quia non videtur deceptus , vel laesus , qui meliorem vitam profitetur , & qui se Deo devovit , aut conjunxit , cum seruat ei , cui scri-

vite regnare est , juxta textum in cap. illud 10. *caus.*  
 20. *quest.* 1. junct. Glossa in cap. constituit. 5. 20. q.  
 2. in verbo : Cogantur : tum denique ex authoritate  
 D. Pauli 2. ad Corinth. cap. 22. in illis verbis : *Ego*  
*vos non gravavi, sed cum esse astutus, dolo cœpi vos.*  
 Et cap. 9. *Factus sum Iudaïs tanquam Iudeus, ut Ju-*  
*daeos lairi facerem.* Quibus fundamentis nixi præallega-  
 ti Interpretes affirmare subausi fuerunt , dolum non in-  
 sicere , seu irritare professionem , nec restitutionem ad-  
 versus eam dari.

7 Hæc tamen Glossæ , & sequacium doctrina  
 mihi placere non potest. Nam præterquamquod non  
 præstat differentiæ rationem , quare videlicet metus  
 mortis , non vero dolus , nullam , & irritam reddat  
 professionem , seu votum solemne Religionis , cum  
 certum sit , dolum omnino tollere , & excludere con-  
 sensum juxta à nobis tradita *suprà num. 5.* convincitur  
 etiam ex Concil. Trident. *Seff. 25. de regular.* cap. 17.  
 ubi jubet explorari voluntatem puellæ , an sit seducta.  
 Deinde , nam ab omnibus actibus tam temporaliibus ,  
 quam spiritualibus fraus , & dolus procul debent abesi-  
 se , ut probatur ex cap. per tuas 5. de donat. Ideoque  
 in jure nostro vis , metus , & dolus æquiparantur , cap.  
 cum contingat 28. de jur. jur. cap. licet 2. eod. tit. lib.  
 6. cap. quamvis pactum 2. de pact. eod. lib. Sicut ergo  
 professio regularis , aut alij actus spirituales metu ce-  
 lebrati nulli sunt juxta nostrum textum , & ferè per  
 tot. tit. sic similiter contingere debet in professione re-  
 gulari per dolum , & circumventionem celebrata. Ac-  
 cedit ; nam dolus dans causam contractui bona fidei ,  
 illum ipso jure nullum reddit , uti probant textus in  
 cap. 1. 15. quest. 6. leg. O eleganter 7. ff. de dolo : &  
 docet Primarius noster Doct. Balboa in cap. si vero 8.  
 de jur. jur. a num. 63. atqui professio regularis , & si-  
 miles actus spirituales bona fidei sunt , juxta text. in  
 cap. viduas 2. 27. quest. 1. ergo dolus eos nullos red-  
 dit. Unde Glossæ opinionem meritò refellunt Eximus  
 Doct. P. Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. de voto , cap. 11.

Basilius lib. 4. de matrim. cap. 21. num. 18. quos , & alios refert , & sequitur D. Gonçal. in cap. 6. hoc tit. num. 8. & in cap. ad nostram 8. de regular. num. 2. Nec sententia Glossæ favent fundamenta numer. antec. expensa , quibus , Deo favente , , in præmissis satisfaciemus.

8 Rursus superiori nostri textus assertioni non leviter adversatur sequens consideratio. Sicut in ingressu religionis Religiosus profitetur certam regulam deinceps observandam , ita in susceptione baptismi Baptizatus amplectitur veram fidem Catholicam veraciter defendendam, & sequendam ; sed qui per vim , & metum suscepit baptismum , & professus fuit fidem Catholicam , tenetur in ea permanere , ut expresse probat textus in cap. maiores 3. §. item queritur ult. de baptism. ergo & qui per metum mortis professus fuit regulam Monachalem, tenetur in ea persistere. Qua difficultate oppressus D. Gonçal. in presenti num. 27. opinatus est , baptismum metu gravi collatum nullum esse ; quia nemo cogendus est ad ipsum recipiendum , cap. de Judæis 5. dist. 45. cap. ad fidem 33. 23. quæst. 3. cap. sicut 15. de Judeis. Itaque assertit , ut coactus vi gravi , & metu cadente in constantem virum , non cogatur fidem profiteri , coactus vero metu levi teneatur fidem servare. Idque probare intendit ex dist. cap. maiores 3. §. item queritur, in illis verbis : Propter quod inter invitum , O invitum , coactum , O coactum , alij non absurdè distinguunt : quod is , qui terroribus atque supplicijs violenter atrahitur , O ne detrimentum incurrat , baptismi suscipit sacramentum , talis (sicut O is , qui fidei ad baptismum accedit ) characterem suscipit Christianitatis impressum , O ipse tamquam conditionaliter volens , licet absolute non velit , cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. In quibus verbis ( inquit D. Gonçal.) Innocentius III. constituit discriumen inter vim gravem, & levem , quod & agnovit noster Alexander III. in cap. de muliere 6. de sponsalib. ita ut in primo casu baptis- mus nulliter conferatur , & illum suscipiens ad obser-

vantiam fidei Christianæ urgeti non possit , secus vero  
in secundo.

9 Sed venia tanti viri contrarium verius mihi  
videtur , nempè , baptismum metu gravi , & in virum  
constantem cadente suscepimus validum esse , siveque illum  
suscipientem compelli posse ad observandam fidem Ca-  
tholicam , ut sentiunt communiter Interpretes , quos  
refert , & sequitur Fagnan . in dict . cap . majores 3 . &  
num . 80 . junct . P . Suarez de voto , cap . 7 . In princi . O-  
tib . 2 . de jurament . cap . 10 . num . 4 . Idque evincitur ,  
tum , quia indelebilis inauritur character , qui nequit  
abradi : præterquamquod in baptismo non exigitur ne-  
cessario consentus ipsius baptizati , cum quandoque suf-  
ficiat præsumptus , ut in dormiente , & in furioso ,  
quandoque parentum , vel alterius personæ , ut in in-  
fante : tum etiam , quia in baptismo quantumcumque  
coacto concurrunt omnia necessaria ad ejus essentiam .  
Neque obligatio ad Religionem Catholicam pendet jam  
à voluntate baptizati , sed à divina institutione , ad  
quam sequitur character baptismalis ; oportet enim ) sic  
docente Innocentio III . in dict . § . item quaritur fin . ) ut  
fidem , quam necessitate suscepimus , tenere cogantur:  
ne nomen Domini blasphemetur : O fides , quam sus-  
cepimus , utilis , ac contemptibilis habeatur . Id , quod  
mirificè confirmatur exemplo peccati per metum com-  
missi , quia licet per metum commitatur , verum pec-  
catum est ; nam voluntas peccandi etiam coacta , vera  
voluntas est , ex qua necessario sequitur malitia culpæ ,  
& reatus poenæ independenter à nova voluntate peccan-  
tis , ut per textum in cap . merito 1 . 15 . quest . 1 . do-  
cet idem D . Gonçal . in cap . sicut 17 . de regular . num .  
7 . in fin . Nec contrarium suadent fundamenta num . ant .  
expensa . Non primum , quia licet fas non sit , quem-  
quam compellere ad baptismum suscipiendum , nec ad  
observantiam fidei Catholicæ , si tamen metu quis bap-  
tizetur , hoc non irritat baptismum ; multa enim fieri  
prohibentur , quæ tamen facta tenent , c.p . ad Apo-  
stolicam 16 . de regularib . Minus obstat secundum funda-  
men-

mentum deductum ex verbis *num. ant.* relatis ; quoniam nulla in eis mentio fit de metu levi : imo Innocentius III. totus ibi fuit in assignanda differentiae ratione inter baptismum vi praecisa, & conditionali collatum: itaque decidit , quod si baptismus per vim praecisam, & absolutam suscipiatur , nullo adhibito consensu , nulliter conferatur ; sin vero per metum , seu vim conditionalem , imprimitur character , & ad fidem servandam tenetur. Cujus decisionis ratio perspicua est ; quia praecisa coactio consensum prouersus evacuat , ita ut sic coactus dicatur potius pati , quam agere , *cap. sacr. 5. hoc nostro tit.* Unde si baptizetur , nec rem , nec characterem suscipit sacramenti. Coactus vero conditionaliiter , id est , qui terroribus , atque supplicijs attrahitur , & ne detrimentum incurrat , baptismi suscipit sacramentum , utique characterem recipit ; quia talis coactio , seu vis compulsiva non evacuat prouersus , sed attenuat consensum , ut dicitur in *dict. cap. sacr. 5.* licet talis rem non suscipiat sacramenti , ut docet D. Thomas in 4. *dist. 6. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. in corp.* & optimè considerant P. Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 12. num. 26. vers. ad tertium* , & Fagnan. in *dict. cap. maiores 3. à num. 80.*

10 Deinde assertionem nostram non parum urget elegans decisio textus in *cap. licet 6. de voto* , ibi enim habetur , quod cum Bella Hungariæ Rex vovisset Hierosolymam in manu forti , & brachio extenso , humili tamen , & devoto corde visitare , hoc est , sanctam illam Civitatem tot sæculis ab inimicis fidei possessam non sine luctu totius Reipublicæ Christianæ , ab eorum tyrannyde liberare , ejusque voti executio dilata esset ab Innocentio III. ob perturbationem regni a patre possensi , juxta text. in *cap. non est 5. eod. tit.* jamque moriturus cum in extremis ageret , fidei filij sui Andreæ Ducis secundo geniti exequendum votum sub interminatione maledictionis paternæ commisit. Mortuo vero , seu ( ut inquit textus ) de medio sublatò hujusmodi Bella , Andreas votum paternum adimplere

recusabat ; quod cum ad aures Innocentij III. perlatum esset , ad eum scripsit præcipiens , ut usque ad Festum Exaltationis S. Crucis hujusmodi votum executioni mandaret : & quod si qualibet occasione detrectaverit , paterna reddatur successione indignus. Ex cuius textus serie colligi videtur , Andream ducem minimè spontaneam habuisse voluntatem in suscipienda paterni voti obligatione. Nam cum Pater ejus fidei commisisset voti executionem sub poena suæ maledictionis , filius metu reverentiali , & minarum coactus esse videtur , & consequenter non præstissime fidem ex libero consensu ; atqui metu hoc non obstante filius votum paternum adimplere tenet : ergo quia ad voti validitatem minimè requiritur liber , & spontaneus consensus. Cui difficultati non satisfacies , si dicas , ideo in dict. cap. licet 6. votum valuisse non obstante metu maledictionis paternæ , quia metus reverentialis , si aliæ non adsint circunstantiæ , actum non irritat , ut expressè probant textus in cap. ex litteris 11. de despōns. imp. leg. fideiūffor 26. §. 1. ff. de pignorib. cum alijs , quæ expendit P. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 6. num. 7. Molina de Hispan. primog. lib. 2. cap. 3. num. 9. quidquid aliter sentiant Basilius lib. 4. de matrim. cap. 15. per tot. & Fachin. 2. controv. cap. 96. Sed quamvis hæc doctrina in se vera sit , urgeri tamen potest ex eo ; nam intervenientibus minis , & metu reverentiali actum nullari in omnium sententia certum est ; sed in prædicto textu minæ maledictionis paternæ intervenierunt ; ergo nulla debuit redi filij obligatio : ergo hoc ideo est , quia metus non inficit votum , seu professionem regularem ,

11 Idem difficultatis assumptum robur accipit ex decisione text. in cap. si in qualibet 1. 20. quæst. 2. ubi dicitur posse parentes filios impuberes etiam per vim religioni offerre , ut in ea non solum sub regulari disciplina vivant , & edacentur , sed etiam ut suo tempore professionem emittant , & perpetuò in ipsa permaneant. Idque confirmat Isidorus relatus in cap. quicunque 4. 20. quæst. 1. exemplo Anna , quæ Samuelem puerum natum.

& ablatum Deo cum pietate obtulit , qui & in ministerio Templi , cui à matre fuerat deputatus , perpetuo permanxit : ergo professio valet , quamvis ad profitendum aliquis compellatur. Neque huic difficultati satisfacies , si dicas : quod paterna oblatio , sive devotio filium religioni offerendo Monachum non facit , nisi postea aveniente pubertate , filij oblati accedat consensus , ut in dd. juribus sic intelligendis ; nam oblatio de filijs impubebribus id tantum operatur , ut impubes sic à patre oblati nequeat resilire , donec pubertatem adipiscatur , non quia sit Religioni alligatus , sed propter defectum discretionis , & judicij , ut in cap. 2. de regular. itaque aveniente pubertate liberum est oblati perseverare , aut ad saeculum redire , cap. significatum 11. cap. cum virum 12. eod. tit. ut cum plurib. docet P. Sanchez lib. 4. de matrim. cap. 18. num. 9. Verum hæc solutio falsitatis convincitur , tum ex cap. addiditis 2. 20. quest. 1. ubi ex D. Gregorio ad Augustinum Anglorum Episcopum scribente deducitur , quod si pueri in infantiae annis à parentibus Religioni oblati fuerint , non debent cum ad annos pubertatis pervenerunt à Monasterio exire , ea ratione: Nam nefas est , ut oblati à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur : ergo non rectè in solutione assertur , filios à parentibus Religioni oblatos posse , cum ad pubertatem pervenerint , è Monasterio egredi : tum etiam convincitur ex Concilio Toletano 4. cap. 48. relato in cap. Monachum 3. 20. quest. 1. ubi dicitur : Monachum aut paterna devotio , aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit , alligatum tenebit. Proinde bis ad mundum revertendi intercludimus aditum , & omnes ad saeculum interdicimus regressus : ergo quemadmodum filius post professionem ad saeculum redire non potest , sed in Religione permanere cogitur ita similiter post oblationem à parente factam ; siquidem juxta prædictum Concilium Toletanum quidquid horum intervenerit , vel sola paterna devotio , vel propria professio , alligatus manebit. Nec subtinenda est expositio Glossæ verbo : Paterna devotio , in cap. cum virum 12. de regular. ubi par-

sicutiam aut, accipit pro  $\Phi$ , ut in leg. pen. Cod. de verbis  
Ignotis. Nam non congruit verbis illis: *Quidquid horum  
fuerit, alligatum tenebit; quæ clare ostendunt alterutrum  
sufficere, ut quis Religioni alligeretur.*

12 Secunda dubitandi ratio in eamdem nostri  
textus assertionem sic expendi potest. Nam estò conce-  
damus metum, qui incutitur causa extorquendi consen-  
sum in professione Regulari, reddat nullam professionem  
ipsam, tamen metus, qui incutitur à causa libera non causa  
extorqueudi tales consensum, sed ob alium finem, non redi-  
dit actum nullum; quia licet ab extrinseco incutiatur,  
cum non gratia extorquendi tales consensum incutiatur,  
votum, seu professio Religionis vires habet, neque res-  
cindi potest. Ratio est, quia tunc metum patiens non  
impellitur ab alio ad votendum, sed à se ipso, cum  
nullus tunc exigat tale votum, seu professionem, sed vo-  
luntariè id eligit ex se ipso ut medium ad evadendum  
periculum mortis, & tunc metus non est causa contra-  
ctus, sed occasio, itaque involuntarium, quod in ea pro-  
fessione invenitur, non est intentum ab incutiente me-  
tum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia.  
Idque patet exemplo adulteræ, quam maritus vult affici  
poena mortis per viam juris, nec aliter veniam indulget,  
quam Religionem profiteatur; in hoc enim casu in com-  
petò est apud omnes professionem esse validam, non  
aliter ac si quis ut evadat ultimum supplicium ob con-  
scientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens  
ab inimicis, Religionem profiteatur. Atque ita in matri-  
monio carnali censem in cap. cum locum 14. de sponsa-  
lib. Innoe. num. 2. Joan. Andreas num. 2. Abbas num. 9.  
& D. Gonçal. in cap. veniens 15. eod. tit. num. 4. ubi con-  
cludunt, matrimonium contractum per metum carceris;  
v.g. incussum ab homine, ita demum esse nullum, si me-  
tus ad extorquendum consensum esset illatus, secus si  
ex alia causa. Ideoque videmus validum esse matrimo-  
nium contractum cum concubina ob metum instantis  
mortis ex morbo vel naufragio, quia is metus non in-  
fertur à causa extrinseca libera ad extorquendum consen-  
sum.

sum. Et similiter tenere matrimonium , quod contrahit  
damnatus ad mortem cum meretrice , ut evadat suppli-  
cium juxta morem , aut statutum nonnullarum regionum.  
D. Covarr. 2. part. de matrim. cap. 3. §. 4. num. 16. P. San-  
chez lib. 4. de matrim. disp. 12. num. 4. Cum ergo in spe-  
cie nostri textus metus mortis illatus non fuisset mulie-  
ri , ut Religionem profiteretur , sed ipsa sibi hunc metum  
intulisset , professio ab ea omissa valida debuit esse.

13 Id ipsum probatur ex leg. si mulier 21. ff.  
hoc tit. ubi licet metus mortis gravis sit , & in virum  
constantem cadens , leg. ego 4. leg. isti 8. §. si is 1. ff.  
eod. tit. non tamen infirmat promissionem à liberta pa-  
tronu factam , à quo metuebat revocari in servitutem,  
quia ipsa sibimet metum intulit , ut docent Fab. in rat.  
ad ipsum textum , & Cujacius lib. 11. ad edictum Pauli.  
Idem quoque depromittit ex decisione textus in cap.  
scut 17. de regularib. ex quo constat , quod si quis ad-  
versa valetudine captus , etiam de salute desperans pro-  
fessionem emisit in aliqua Religione , in ea permanere  
cogitur , quin metus mortis votum professionis inficiat.  
Et ratio est , quia in hoc casu metus non infertur ab ex-  
trinseca causa libera , sed ab intrinseco , & agrotus sibi-  
met metum infert : unde merito hic metus , tametsi gra-  
vis sit , non reddit professionem irritam , aut irritabi-  
lem , sed manet valida , & irrevocabilis , perinde ac si  
absque metu fuisset celebrata , P. Sanchez lib. 4. de ma-  
trim. disp. 9. num. 7. Lessius 2. de just. O' jur. cap. 17. nu-  
mer. 40. & communiter Canonistæ in dict. cap. scut 17.  
Igitur in specie nostri textus eum metus mortis ab alio  
non incutiatur , sed ipsa mulier sibimet metum inferat,  
nulla ratione ductus Alexander III. decidit nullam , ac  
irritam fuisse professionem.

14 Sed his , & alijs difficultatibus parvi pensis  
verissima est nostri textus decisio , jurique consentanea,  
qua docet votum , seu professionem metu gravi , seu  
cadente in virum constantem , injuste incusso nullam esse  
ipso jure , cuius decisionis multiplex ab Interpretibus  
solet assignari ratio. Prima , eaque elegans est ; quia im-  
ijis,

ijs , quæ ad statum , & votorum obligationem spe-  
 ciant , homo est sui juris , & arbitrij adeo liberi , ut  
 non possit cogi à causa extrinseca , cum in hisce rebus  
 nihil consensui summam libertatem petenti magis con-  
 trarium sit , quam vis , atque metus ex notissima juris  
 regula leg. nihil consensus 116. ff. de reg. jur. Licet  
 enim adsit voluntas simpliciter , cum voluntas coacta  
 vera voluntas sit , juxta D. Augustinum relatum in cap.  
 merito 1. 15. quæst. 1. & J. C. tum in leg. mulier 21.  
 §. fin. ff. quod met. caus. cum plurib. add. à D. Gonç.  
 in nostro textu num. 15. & Fagnan. in cap. sacris  
 5. b. tit. à num. 19. non tamen plenè libera , & pro-  
 priè liberalis , qualis ad voti validitatem necessariò re-  
 quiritur : at verò quotiescumque libera , seu spontanea  
 voluntas in actu , qui geritur , desideratur , non valet actus , si  
 metus intercessit , ut post Gloss. in cap. notificasti 2. ver-  
 bo : *Licentiam.* 33. quæst. 5. docent Fagnan. in cap. ma-  
 jores 3. de baptism. à num. 85. & in cap. nullus 1. de  
 regular. num. 22. cum 3. seqq. Abbas in cap. cum locum  
 14. de sponsal. sub num. 6. & alij communiter : faciunt  
 que textus in cap. sicut 17. de regular. illis in verbis:  
*Spontanea voluntate professionem fecit Monachalem* , &  
 textus in cap. 1. de stat. regul. lib. 6. ibi : *Suam in-*  
*tegritatem voluntate spontanea devoverunt.* Quibus uti-  
 que verbis non obscurè significatur , non sufficere vo-  
 luntatem simpliciter , sed spontaneam , & plenè liberam.  
 Et merito ; nam votum res est consilij , non præcep-  
 ti , indeque suaderi potest , imperari non item , ut  
 potè summè voluntarium cap. *integritas* 13. 32. quæst.  
 1. cap. licet 6. de voto : conducunt tradita ab Eximio  
 Doct. P. Suarez de voto , cap. 6. in princ.

15 Ut ergò hæc prima decidendi ratio plenius  
 illustretur , animadvertisendum est cum plurib. quos re-  
 fert , & sequitur D. Gonçal. in presenti num. 17. ut  
 quotiescumque substantia actus est voluntatis liberæ , &  
 spontaneæ , tunc qui metu geritur , sit ipso jure nullus,  
 ut in specie nostri textus , hoc est , in voto ; quoniam  
 ubiquecumque requiritur consensus liber , solus non suffi-  
 cit,

cit, nisi adsit qualitas libertatis: non enim locum habet consentus, ubi metus, vel coactio intercedit, ut inquit textus *in cap. cum locum 14. de sponsal.* quod non ita accipiendum est, quasi metus, vel coactio absolute consensum excludat, cum certo certius sit, metu, vel coactione intercedente simpliciter adesse consensum, ut *num. ant. diximus*, & optimè perpendit P. Pirhing. *ad titul. de sponsal. sect. 4. §. 2. num. 106.* Sensus ergo est, locum sibi non vindicare consensum metu extortum in causa matrimonij, quia & si coactus voluit, non tamen libere, quia si liberum esset, noluisse, ut alias scripsit Consultus *in dict. leg. mulier 21. §. fin. ff. quod met. caus.* atqui ad matrimonium liberrimus adeò consensus requiritur, ut absque ista qualitate interveniens nec adesse credatur, ut notant P. Suarez *dict. tract. de voto, cap. 8. num. 9.* D. Gonçal. *dict. num. 17.* Doct. Moez. *in cap. 1. b. tit. lib. 6. num. 14.* Cæterum quoties actus est voluntatis simpliciter, tunc subtili jure valet; sed nè actus per injuriam extortus proposit ei, qui metum intulit, aequitate Prætoria rescinditur, ut in *leg. 1. & tot. tit. ff. quod met. caus.* decent citati à D. Gonç. *ubi sup. num. 20.* Hincque veniunt rejiciendi plerique ex Theologis, & præcipue Basilius *de matr. lib. 7. esp. 19. num. 5.* & Castro Pælao *3. part. de effent. & obligat. voti, disp. 1. punct. 5. num. 6.* quatenus affirmant, ad valorem voti sufficere voluntarium simpliciter, etiam si alioqui misceatur involuntarium secundum quid, eò quod metus non tollit libertatem sufficientem ad meritum, & demeritum; nam queunt cum metu opera bona, & mala compati: cum ergo talis voluntas sufficiat ad meritum, & demeritum, ut per se patet, & probat elegans ratiocinium D. Angustini *in cap. merito 1. 15. quest. 1. junct. D. Gonç. in cap. 17. de regular. num. 7. in fin.* sufficiet etiam ad valorem voti. Sed longè falluntur, quippe, ut patet ex dictis, ad votum non sufficit voluntas simpliciter, sed requiritur spontanea, id est libera, seu liberalis, prout loquitur, & explicat P. Sua.

Suarez de voto, cap. 6. num. 2. Unde aptissima ad rem est definitio voluntatis, quam tradidit D. Damascenus de duab. Christi voluntatib. dicens: *Voluntatem esse liberum, & mentis imperantis motum*; quo pacto, quæso, libera censembitur voluntas, & liberalis, quæ involuntarij admixtione laborat, non imperans dominanter, sed obediens serviliter, & tanquam conditonaliter volens, licet absolute non velit, ut utar verbis Innocentij III. in cap. majores 3. §. Item queritur fin. de baptism. pro cuius textus illustratione vide me ipsum in ejus extemporanea elucubratione. Nec ratio meriti, aut demeriti, quam expendunt Batilius, & Castro Palao, illorum sententiam juvat; quoniam ad meritum, aut demeritum velle simpliciter sat est, quin metus impedit, cum potius mortem debeat oppetere, quam malo, quod intrinsecè tale est, consentire, ut probat elegans text. in cap. sacris 5. hoc tit. quemquam ex defectu voluntatis libertæ præmium, vel poena decrescat, ut ex Mogollon de metu, cap. 8. §. 1. num. 2. docet D. Gonçal. in eo textu, num. 9. in fin.

16 Superiori decidendi rationi accedit, & alia, & quidem à nostri textus specie non aliena, nimirum, quia professio maximè stringit ob difficultorem vinculi insolubilitatem, ac dura onera austeri, perpetuique status: quamobrem majorem, ac perfectionem libertatem exoptat, ut docent Panormitan. in cap. sicut 17. de regular. num. 5. P. Pirthing. ad tit. de regular. §. 4. num. 2. Doct. Balboa in cap. si vero 8. de jur. jur. num. 18. ac ut disertè scripsit Nicolaus Pontifex allegatus in cap. presens 4. 20. quest. 3. omnem illius voluntatem, id est, integram, illegam, ilibatam, velut uno dicam verbo, spontaneam, ut in cap. 1. de regular. ubi à Patribus Concilij Moguntini præcipitur, ut nullus tondeatur, hoc est, admittatur ad Religionem, nisi spontanea voluntate, vel ut loquitur textus in cap. puer 8. 20. quest. 1. spontaneo judicio. Et quidem prudentissimè, quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit: quod autem non diligit, facile con-

temnit, quia quod non petit, non observat, ut sunt verba textus in dict. cap. præsens 4. 20. quæst. 3. & in cap. sicut 9. 20. quæst. 1. Quare PP. Concilij Trident. Seß. 25. de regularib. cap. 18. magnoperè curarunt, ut circa ingressum Monasterij nullus metus, imò nec ulla persuasio adhibeatur, quæ metum incutere possit, excommunicatione inficta in eos, qui contrafecerint: & in cap. 19. statuant, ut liceat intra quinquennium proclamare contra propriam professionem per vim emissam, quod decretum post alios latè exponit Fagnan. in nostro text. à num. 18. Sed hic nobis occurrit textus in cap. quod interrogasti 6. dict. 27, ubi Nicolaus Papa decernit, ut fœmina, quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimoniale esse, postea vero ad nuptias rediit: quia per hypocrisim Ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitimè in voto suo permanxit, pœnitentiam agat de illusione nefanda, & revertatur ad id, quod sponredit, & in sacro ministerio permaneat, quod inchoavit. Ex quibus verbis apertere constat, mulierem illam, quæ simulavit se professionem emittere, & animum non habuit se alligandi Religioni, posse compelli religionem ingredi, atque in Monasterio profiteri: igitur quia absque spontanea voluntate potest quis Monachus fieri, contra doctrinam nuper traditam.

17 Verum hujus difficultatis facilis est solutio, si animadvertas, olim in usu fuisse, ut in graviora crimina lapsi, tam Clerici, quam laici, mares, & fœminæ, in Monasteria pœnitentiæ peragendæ causa detruderentur, ut ibi morarentur, & pœnitentiam agebrent, cap. si quis 10. dict. 81. cap. de lapsis 5. 16. q. 6. cap. puella 8. 20. quæst. 1. cap. si qua Monacharum 28. 27. quæst. 1. Sed haec detrusio in Monasterijs non inducebat professionem, nec hujusmodi pœnitentes Monachi efficiebantur. Et ratio est, quia cum Monachismus essentialiter petat tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, cum sui traditione spontanea, ut docet

P. Pirhing. in lib. 3. Decretal. tit. de regular. num. 3.  
 & hæc omnia deficiant in reis peragendæ pœnitentiæ,  
 causa in Monasterio tantum detrusis , ex tali detrusio-  
 ne Monastica professio induci non potest, ut varijs ju-  
 ribus , & concilijs adductis contra Hallierium lib. 3. de  
*Eccles. Hierarch.* artic. 4. §. 6. nervosè defendit D. Gonçal-  
 bic num. 29. & in cap. 1. de regular. num. 10. Quibus pre-  
 missis dico , quod in dict. cap. quod interrogasti 6. mulier illa  
 coacta fuit redire ad Monasterium , non ut professa , &  
 alligata Religioni , sed ad agendum pœnitentiam in pœ-  
 nam patrati criminis , ut indicant verba illa : *Bonum mibi  
 videtur , quia per hyperifim Ecclesiasticam regulam con-  
 turbare voluit , ut pœnitentiam agat de illusione nefando.*  
 Et propterea Hugo ibidem dicit , eum , qui ex inhonestâ  
 causa simulat se profiteri , cogendum esse in Monasterio  
 manere , non quia sit Monachus , sed ad cautelam prop-  
 ter conservandam Ecclesiæ disciplinam , & ne detur alijs  
 occasio peccandi , & propter illusionem , qua Monas-  
 terio illufsit , debet retrudi in idem , vel in aliud Monas-  
 terium. Unde Prosperus Fagnan. in cap. conjugatus 5. de  
*convers. conjugat.* num. 18. afferit , quod quanavis in casi-  
 bus à jure permisso , veluti propter delictum , possit quis  
 cogi ad ingrediendum Monasterium , tamen nemo invi-  
 tus cogitur profitari.

18 Sed hæc doctrina etsi vera in se sit , & se-  
 riem facti apprimè explicet , non tamen congruit litte-  
 ra textus prout jacet ; quippè si mulier illa fuisset coacta  
 redire ad Monasterium , non ut verè professa , sed tan-  
 tum ad agendum pœnitentiam , matrimonium postea ab  
 ea contractum nullum , ac irritum non foret , cap. con-  
 suluit 4. qui Cleric. vel vovent : ergo quia detrusio in  
 Monasterio professionem Monasticam inducit absque pro-  
 fitentis consensu. Quare ea solutione omissa , verius res-  
 pondendum est , mulierem illam , quæ simulaverat , se pro-  
 fessionem emittere , verè in foro poli non fuisse pro-  
 fessam ; nulla enim professio coram Deo valide induci  
 potest absque spontanea , & libera profitentis voluntate,  
*cap. 1. cap. 17. de regular.* ubi communiter Canonistæ , &

tradit Navarr. conc. 15. de regular. num. 2. nam ut ait Gregorius lib. 26. Moral. cap. 7. relatus in cap. humane aures 11. 22. quest. 5. ibi: *Humane aures verba nostra talia* judicant, *qualia foris sonant*: *divina vero judicia talia ea audiunt*, *qualia ex intimis proferuntur*: & Alexander Papa in cap. I 15. quest. 6. ait: *Amplius respicit Deus ad cogitationes*, *& spontaneas voluntates*, *quam ad actus*, *qui per simplicitatem fiunt*. Professio igitur dictæ mulieris quoad Deum, qui non considerat verba, sed voluntatem, & intentionem, non erat valida, cum voluntarium sit de ratione intrinseca voti, juxta D. Thom. 2. 2. quest. 88. artic. 1. Sed nihilominus, quia exceptio simulationis, & dissensus non admittitur ab Ecclesia, quæ non judicat de occultis, cap. litteris 13. de rest. spoliat. professio illa habetur pro valida in foro Ecclesiae, & dirimit matrimonium post contractum, *ut in dict. cap. quod interrogasti* 6. expresè statuitur. Neque huic verissimæ solutioni obstabit, si dicas, quod similiter in nostro textu mulier finxit, seu simulavit se profiteri, ut constat ex verbis illis: *Mulieri velum imponere simulavit*, & nihilominus professio illa nulla, ac irrita fuit declarata ab Ecclesia, adeoque è Monasterio exire potuit, & matrimonium rectè contrahere; nam respondetur, quod simulatio illa fuit facta ex honesta causa; propter timorem videlicet mortis à marito incussum, ideoque mulieri non nocet, cap. utilm 21. 22. quest. 2. præterquam quod in nostro textu præcessit protestatio, per quam constitit de simulatione, & dissensu mulieris, quod non accidit in dict. cap. quod interrogasti 6. 27. quest. 1. Quod mirifice confirmo ex leg. qui in aliena 6. §. cel- sus 7 ff. de adquir. her. ubi aditio hæreditatis meū verberum facta fuit invalida, non quod metu facta sit, sed quia facta, & simulata fuit, & animus adeundi deficit, quam simulationem ipse adiens prius clam manifestavit coram testibus, ut cum Iranço, Pichard. & alijs docet Sapientissimus Magister meus D. Doct. D. Josephus de la Serna in tract. Acad. de acquir. hered. cap. I. numer. 25. & 26. ubi agit de Concil. prædicti text. cum leg. 21. §. 5. ff. b. sit. & leg. 85. de acquir. hered.

19 Rursus superioribus decidendi rationibus, & alia adjungi potest, quippe certi, atque explorati iuris est, professionem primario fieri Deo, cui se obligat homo, ac principaliter mancipat; atqui non cadit in sensum, Deum Optimum Maximum acceptare traditionem coacte factam, indeque sibi necessariò ingratam: tūm, quia satis inutile est, ut coacta servitia Deo præstentur, *cap. illud 10. 20. quest. 1.* & voluntarium sibi militem legit Christus, quemadmodum, & voluntarium servum sibi Diabolus auctionatur, ut elegantiissimè protulit D. Ambrosius adductus in *cap. non est 10. 15. quest. 1.* Tūm, quia nullum bonum, nisi voluntarium, *cap. præsens 4. 20. quest. 3.* indeque Dominus præcipit, non ferendam in via virgam, per quam vis alicui inferatur, ut subiicitur in eodem textu: Tūm, quia hilarem datorem diligit Dominus, testè Apostol. *2. ad Corinth. cap. 9.* Tum etiam, quia illa vota prædicantur, quæ voluntaria sunt, & lætitiam pariunt, non alia, juxta illud Paralip. *1. cap. ult. Latatus est Populus cum vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino:* Tūm denique ob gravia adeò incommoda, quæ expendunt textus in *cap. si- cut 9. 20. quest. 1.* O in dict. *cap. præsens 4. 20. quest. 3.* Ex quibus nemo sanx mentis dicere audebit, Deum acceptare votum per injuriam, & metum extortum; aliquim enim videretur esse injuriæ, & coactionis approbator. Cum ergo hoc concedi non possit, nec etiam, quod acceptet simile votum.

20 Unde audiendi non sunt Theologi, quos refert Castro Palao de *effent. O obligat. voti, disput. 1. punct. 5. num. 8.* asserentes, Deum non acceptare sacrificia coacta, nec servum coactum absolute, & simpliciter; secus verò si coacta non absolute, & proptiè, sed solum secundum quid, & in rigore voluntaria existant, qualia sunt, quæ ex metu fiunt. Nam hoc libenter concedimus; sed negamus, voluntatem simpliciter sufficere ad votum, quippe ex onini voluntate, minimè quamvis leviter per metum minuta fieri debet promissio, & ex toto corde oblatio, ut Deo grata dici possit, ut nuper

tradita evincunt, ut docet Cabreros de metu, lib. 2. cap. 10. num. 44. & 45. Ex quibus omnibus luce clarius emicat, votum professionis, de quo in praesenti, & quæcumque alia vota metu ab extrinseco injustè illato exhibita invalida, irritaque esse ipso jure, ut ex Panormit. & communī Canonistarum sententia firmat August. Barbos. in collect. ad nostrum text. numer. 2. & 3. pluresque alij relati ab Exim. P. Suarez de voto, cap. 7. numer. 1. & à Castro Palao ubi supra numer. 11. Sed an jure positivo tantum, an etiam jure naturali votum hoc nullum sit, anceps est quæstio? Et nullum esse tantum jure positivo defendunt Lelsius de just. & jur. lib. 2. cap. 4. dub. 3. Basilius de matrim. lib. 7. cap. 29. num. 5. P. Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 3. à num. 11. & alij plures apud D. Gonçal. in cap. 6. hoc tit. num. 10. Sed verior est contraaria sententia, videlicet, votum metu gravi emissum nullum esse, etiam jure naturali, ut tenent D. Bonaventura in 4. dist. 36. artic. 3. quæst. 2. ad 1. Sotus de injustitia, lib. 7. quæst. 2. artic. 1. & alij adducti à P. Suarez dict. cap. 7. num. 6. quibus suffragatur D. Gonçal. dict. num. 10. Probaturque ex eo, quod Ecclesiæ PP. dum votum metu emissum nullum esse docent, non aliquid noviter constitueri fatentur, sed tantum declarant similia vota esse ipso jure nulla. Idque colligitur, tum ex hoc nostro tex- tu, ubi Alexander III. irritationis indicendæ prorsus im- memor, totus in eo est, quod legitimè probetur, an ti- more mortis, nec ne prædicta mulier Religionem fuisse ingressa: ergo supponit Pontifex, votum per se jure na- turæ irritum esse, si metu extortum probetur: tum etiam ex cap. 6. hoc tit. ubi papa Innocentius III. neutiquam decrevit, voti emissionem juratam (de qua ibi sermo) futuram invalidam, si metus caderet inconstantes, quasi alias per se utilis foret, si nullam Pontifex, non decre- visset; quippè hoc tantum rescripsit, se petitam restitu- tionem denegare, cum violentia, quæ proponeretur illa- ta neque metum mortis, neque cruciatum corporis con- tineret, ac proinde votum validum in foro externo, quod alias metu inficto irritum per se foret, neque ref-

stitutione egeret. Maneat ergo, votum metu gravi ab homine injure illato nullum esse non solum jure positivo, verum & naturali.

21 Quæ omnia æquè sibi locum vendicant in voto, seu professione dolo emissa. Et quidem fortiori ratione; quippe metus non aufert voluntarium, sed minuit; dolus autem actui causam præbens, aufert omnino voluntarium; nam contrahens ex metu non errat in causa consensus, sed illam novit: is vero, qui consentit dolo inductus, errat in causa consensus, ideoque consentit sub conditione si verum sit id, propter quod inducitur ad contrahendum: qua conditione deficiente, deficit consensus in contractibus bona fidei, non item stricti juris, in quibus causa illa inducens ad consensum erroneous est extra contractum, ut recte docet P. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 8. num. 10. At illico nos perturbat decisio textus in cap. cum dilectus 6. hoc tit. ubi cum quidam Canonici in Insulis habitantes votum emitterent, addito simul juramento; quod regulam Ordinis Cisterciensis assumere, & observare, vel quantum in ipsis esset, non impedire, sed permittere vellent, ut Ecclesia eorum eidem ordini adjungatur, seu incorporetur, petierunt restitucionem contra proprium factum opposita exceptione doli, dicentes, quod per metum, & dolum Cisterciensium inducti fuerunt ad tale votum, ac juramentum emitendum, ideoque se restituendos esse. Sed Innocentius III. decidit, utrumque, votum, & scilicet, & juramentum adimplendum esse, non obstante dolo, quo se proponebant, fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumventionem, quam ad fatuitatem debeat retorqueri: Igitur quia votum dolo emissum ipso jure tenuit, alias enim doli exceptio locum haberet.

22 Cui difficultati ut respondeamus (omissa Glossæ opinione, quam supra num. 7. rejecimus) admونendi sumus, non omnem dolum votum, seu professionem Regularem, aliosque actus spirituales dolo celebratos irritare, aut annullare, nec semper in eis doli exceptionem locum habere, sed tunc demum cum talis fuerit do-

lus , ut omnino consensum excludat , exemplo ejus , quod dicitur de exceptione metus : quamvis enim professio regularis , aut alij actus spirituales vi , aut metu celebrati nulli sint , & per hujusmodi exceptionem irritentur , hoc tamen intelligendum est , quando vis , aut metus fuerit gravis , & talis , qui possit cadere in virum constantem , ut suadent textus *in cap. fin. de appellat. cap. veniens 15. cap. consultationi 28. de sponsalib. leg. 3. §. sed vim 1. leg. metus 9. cum alijs, ff. quod met. caus.* Quò pertinet Alexandri nostri decisio *in cap. de muliere 6. de sponsalib.* ubi cum mulier asseruisset per vim detentam , & traditam fuisse viro suo , Alexander III. certum non præbuit responsum , ea adjecta ratione ; quia inter vim , & vim maximum erat considerandum discrimen : quasi diceret Pontifex , non omnem vim , sicuti nec omnem metum matrimonium , aut alias actus irritare , ut docent Panormi . *in dict. cap. cum dilectus 6. & P. Gregorius in dict. cap. consultationi 28. num. 20.* eadem ergo differentia , quæ inter vim , & vim consideratur , inter dolum , & dolum æquè inspicienda est ; nam si dolus sit talis , ut non excludat consensum , sed fatuitas credendus sit , tunc exceptio doli locum non habebit , cæterum si contensus excludatur , vel quia dolo extortus fuit , vel quia quisque quantumvis peritissimus decipi posset , tunc abs dubio habebit locum exceptio . Quod exemplis perspicuum fiet ; ponamus enim aliquem voluisse suscipere habitum in quadam Religione , professionemque in ea emittere , voluntatemque tuam significasse Abbatii , aut alijs de Monasterio , qui ei promiserunt , vel persuaserunt , ut facilius propositum executioni mandaret , posse in Religione cibis ad libitum tui , proprium retinere , & alia id genus . In his terminis nullo modo dici potest , persuasions hujusmodi susceptionem habitus , aut professionem nullam efficere ; quia non continent conceptum doli , aut circumventionis , sed potius fatuitas , & simplicitas ex parte credentis consideratur .

gendus texrus in dict. cap. cum dilectus 6. hoc tit. ubi Innocentius III. silentium imposuit Canonicis Reguariibus , qui renuebant adimplere votum emissum profundi Cisterciensem Regulam , non obstante violentia , quam allegabant , cum nec metum mortis , nec cruciatum corporis contineret , nec obstante dolo , quo se proponebant fuisse seductos , cum talis dolus non tam ad circumventionem Cisterciensium , quam ad Canonicorum fatuatem deberet retorqueri. Ejusdem fere speciei est textus in cap. dudum 20. de convers. conjug. ubi uxoratus , praescrita licentia ab uxore , Hospitali de Ponte voto solemani se devovit , posteaque murata voluntate volebat ad uxorem redire , asserens dolo inductum fuisse sub spe , & promissione cibis utendi ad libitum , & proprium retinendi , ut ex ejus littera constat : decidit Gregorius IX. perpetuum silentium ei imponendum esse. Cujus decisionis ratio ex eo provenit , quia cum eo in casu consideretur voluntas spontanea , pura , & simplex , votum , aut professionem emittendi , & promissiones , aut persuasions subsequutæ ad confirmationem voluntatis tendant , non debent haberi , aut censeri pro dolo , aut circumventione , sed pro quadam fatuitate , & simplicitate , quæ in virum prudentem cadere non possit , ideoque nil mirum quod in præcitatissimis juribus votum , aut professio per doli exceptionem non elidatur , aut irritetur.

**24** Juxta quam doctrinam vera luce donantur textus *suprà num. 5. in contrarium expensi , in cap. constituit 42. 16. quaest. 7. cap. constituit 5. 20. quaest. 3:* ubi Episcopi , vel Abbates hereditatem quorundam inhiantes , eos dolo allegerunt , ut Monasticum induerent habitum. Quæsitus fuit in Moguntino Concilio , quid faciendum erat ? Et respondent PP. Conciliares , quod Episcopi , vel Abbates , utpotè turpis luci sectatores , canonicas subiijciantur poenitentiæ , electi vero in Monasterio perseverent , sed eorum bona heredibus reddantur suis. Ex quibus iuribus sic fortiter argui potest : Enibi dolut , aut circumventione vera interfuit in susceptione habitus , ut patet ex verbis illis : *Quoslibet boni nes*

nes circumveniendo totonderunt , & tamen à Patribus Concilij commendatur , & præcipitur in Monasterio perseverantia : ergò etiam casu , quo verus dolus consideretur , professio regularis consistere debet , quia per doli exceptionem elidi , aut annullari possit. Verum ultra Interpretes , quos viderim , respondeo , in prædictis juribus considerari dolum ; & circumventionem veram , & promissionem , aut persuasionem , de qua tractamus , quamvis diversis respectibus ; nam dolus , aut circumventione vera respexit ad oblationem bonorum , seu patrimonij illorum , qui habitum induerunt Monasticum ; promissio verò , aut persuasio ad corrovorationem , & confirmationem voluntatis ipsorum , qui professionem emittere volebant. Hoc autem probo ex verbis textuum , ibi : *Hi verò , qui illecti comam deposuerunt : preme verbum illecti , quod non denotat deceptionem circa professionem , sed falsas promissiones , aut blandimenta , quibus potest quis induci ad professionem , quin ex eo vitium , aut nullitas consideretur.* Nam sicuti promissiones , aut persuasions suprà explicatae non inducunt dolum , sed ad fatuitatem retorquentur , *dict. cap. cum dilectus 6.* sic preces , aut blandimenta non impediunt consensum absolutum , & voluntarium , nec minuant , sed imò potius augent , ut ex doctrina Angelici Magistri , quamvis ad aliam rem , præsensit Eximus Doct. P. Suarez *tom. 3. de Religion. lib. 6. capit. 5. numer. 7.* rectè ergò asserunt PP. Concilij Moguntini , ipsos in Monasterio permanere debere , eorumque patrimonium suis hæredibus restituendum esse.

25 Ratio autem , cur bona illecti , vel seducti non acquirantur Monasterio , provenit tum ex eo , videlicet nè turpis lucri sectatores , qui non in fructum animarum , sed in avaritiam , & turpe lucrum inhiantes quempiam circumveniendo totonderunt , id est , ad profitendum induxerunt , ex sua circumventione , & dolo commodum consequantur , ut tradit Card. Turrecrem. *in dict. cap. constituit 5. 20. quæst. 3. in fin.* tum etiam ; quia hæc oblatio bonorum , quæ ex professione conse-  
guuntur

quitur , sapit naturam contractus bonæ fidei , & non  
stricti juris. Contractus autem bonæ fidei vitiatur ip-  
so jure propter dolum dantem causam contractui cap.  
1. 15. quæst. 6. leg. Et eleganter 7. ff. de dolo Doct. Bal-  
boa in cap. 8. de jur. jur. num. 63. Sed dices : quo-  
modo dolus , sive delictum Prælati potuit Monasterio  
præjudicare contra text. in cap. cum venerabilis 6. de  
exception. cap. delictum 76. de reg. jur. in 6. respon-  
deri potest cum Barbos. in dict. cap. constituit 5. num.  
4. in fin. Fagnan. in cap. sicut nobis 17. de regular.  
num. 21. qui ex quamplurimorum sententia tenent,  
potuisse Abbatem , sicuti & prælatum in acquirendis  
Monasterio præjudicare , quorum opinamentum poterat  
fulciri paritate filij , vel servi , qui in acquirendis  
Patri , vel domino præjudicare possunt , juxta textum  
in leg. fin. Cod. de acquir. posse. leg. cum proponas  
3. Cod. de bæred. insit.

26 Cæterum superior doctrina non procedit,  
quando circumventio consensum excludat , ut quia , fuit  
dolo extortus , qui prudentissimum quemque fallere  
posset , tunc enim hujusmodi exceptio dubioprocul  
nullitatem causabit. In cuius doctrinæ confirmationem  
conducit elegans juris testimonium in cap. veniens 16.  
de convers. conjug. ubi proponitur , mulierem dolo de-  
ceptam consensisse virum attonderi in Monachum , ip-  
samque in sæculo permanentem inhonestos amatores ad-  
mississe , lapsamque fuisse in adulterium : vir postea ti-  
mens , ne culpa uxoris ipsi imputaretur , eò quod ejus  
consensum dolo captasset , quia protestatus fuerat , nisi  
licentiam concederet , se ipsum execaturum , consuluit  
Innocentium III. qui uxoris delictum attendens dene-  
gavit ei facultatem repetendi virum , ( e ) ipsumque  
in Monasterio liberè permanere iussit. Ratio , qua du-  
ctus fuit Pontifex , in eo consistit , quia ex diuturnitate  
temporis videbatur mulierem confirmasse consensum cau-  
tione dolosa elicitum , facultatiq[ue] repetendi virum re-  
nuntiasse virtute adulterij ab ipsa ante repetitionem com-  
missi. Hæc decisio quoad hanc partem fulcitur ex cap.  
conf.

(e)  
Hucusque  
horologii  
loqui per-  
misit.

constitus 15. & fin. cod. tit. cap. significavit q. de dicitur. cap. Agathosa 21. 27. quest. 2. cum alijs adductis à P. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 2. Ex quibus evincitur , mulierem adulteram super repetitione mariti audiendam non esse , cum ejus intentio adulterij exceptione elidi possit : ergo ex praedicto textu à contrario sensu clare evincitur , quod si mulier facto suo repetitionis facultatem non amilisset , cum ejus consensus cautiosa deceptione fuisse extortus , qui in prudenter cadere posset , considerata resolutione mariti , dubio procul beneficio à jure indulto gauderet , consequenterque professio mariti inutilis esset. Vide P. Pirhing. ad titul. de coavers. conjugat. §. 4. num. 24. Q. 25.

27 Stet ergo ex hucusque dictis , dolum verum professionem irritam reddere , & eo casu , cum dolus videlicet verus non est , sed nimia quadam simplicitas , seu fatuitas , admitti potest sententia Glossæ , in dict. cap. cum dilectus 6. verbo : *Ad fatuitatem* , P. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 9. num. 20. & Fagnani in dict. cap. 17. de regular. à num. 8. non autem cum verus dolus adest , quia tunc idem dicendum est de dolo , ac assertur de metu , cap. cum contingat 28. de jur. jur. cap. quamvis 2. de pact. in 6. ut late resolvunt Exim. Doct. P. Suarez de Relig. lib. 2. de voto , cap. 11. Basilius lib. 4. de matr. cap. 21. num. 18. Nec pro sententia Glossæ facit textus in cap. ex parte 14. de convers. conjug. ibi : *Quamvis falsa sit causa* , per quam ad susceptionem veli praedicta mulier est inducta. Ubi indistinctè dicitur , professionem mulieris , quæ falso existimans , se posse à viro leproso recedere , ingressa est Monasterium , validam fuisse. Nam in ejus specie mulier , quæ suscepit habitum Religionis , aquæ sine causa illum suscipere intendebat , ut constat ex verbis illis : *Cum sine qualibet rati causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset*. Præterquamquod in eo textu tempore , quo velum accepit , jam cœlaverat erroris causa , ut ex ejus integra littera liquet , & docet Basilius cit. loc. num. 27. Magis fayet Glossæ mirabilis,

& ad rem non animadversus textus *in cap. Innocens 231  
caus. 22. quæst. 4.* ubi loquitur de pace per Josue initia cum Gabaonitis, & juramento firmata contra expressum Dei mandatum, *Deuter. 20. vers. 16.* constat enim fraude, & dolo Gabaonitarum deceptum fuisse Josue, & nihilominus fidem ipsis peti jusjurandum datam, & foedus cum ipsis initum violare non fuisse autem, etiam iratum adversus illos. Quod autem Josue fuisse deceptus in substantia contractus, ex eo manifeste evincitur; nam lex divina, quæ Israelitis prohibebat pacem cum vicinis, eamque cum exteris permittebat, respexit ad periculum Idololatriæ propter vicinitatem, & communicationem confederatorum, in quibus propter vicinitatem erat notorium perversio[n]is periculum, quæ ratio non vigebat in exteris, & longinquis: sed hoc non obstante Josue, & Israelitæ juramentum adimplere tenentur: ergo dolus verus non excludit consensum sufficientem ad valorem voti, & juramenti, contra supra traditam doctrinam.

28 Cui non levè difficultati primò responderi potest, quod juxta veriorem sententiam Josue, & Israelitæ non tenebantur illud juramentum adimplere, sed in admirandum Religionis exemplum, etiam fraude injuriati, quando eis facilis erat vindicta, præstitere fidem pro sua parte deceptoribus Gabaonitis, ut ex D. Augustino *super Josue, quæst. 13. cap. 9.* docet Salmanticensis Primarius noster Doct. Balboa *in cap. 3. de jur. jur. num. 99. cum 2. seqq.* ubi tale juramentum obligatorium non fuisse ex plurimis probat. Nequè huic interpretationi obstant verba illa: *Josue tamen pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti Religione, nè dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret:* ergo juramentum illud fuit obligatorium, nec impletum in Religionis exemplum, sed in conscientiæ exonerationem, prout sentire videntur D. Ambrosius *lib. 3. de Officijs, cap. 10.* & Nicolaus de Lyra *super cap. 9. Josue.* Sed respondetur, quod & si in radice juramen-

tum illud fuisset invalidum ; postea verò actu , subse-  
quenti Josue confirmatum fuit , qui postea detecta frau-  
de pacem firmavit , idque speciali Dei ordinatione fuis-  
se factum credibile est , ad evitandum Gentilitatis scan-  
dalum , quæ forsam habeat notitiam pacis initæ , non  
verò fraudis. Secundò , & quidem subtilius responde-  
ri potest , illud Josue juramentum non fuisse contra  
mandatum Dei , nec de re illicita : quandoquidem  
istud juramentum illicitum , ac servari prohibitum est ,  
quando scitur , esse illicitum , dum juratur , *dicit. cap.*  
*Innocens 23. §. illicitum* : Josue autem , & Seniores  
Israeliti circumventi à Gabaonitis nesciverunt illos in-  
colas esse è terra promissa , atque ex ipsis gentibus , de  
quibus loquitur præceptum Deuter. *dicit. cap. 20. vers.*  
**16.** Adhæc lex illa divina de delendis gentibus Chana-  
næis intelligenda est de his , qui resistunt Israelitis , nec  
aliter fœdus inire volunt , nisi permittantur manere in  
sua potestate , & Religione. At si qua gens , aut In-  
cola Terræ Chanaàm se Israelitis subijceret , & assume-  
ret Religionem Judæorum , cum talis utique licebat ita  
fœdus inire , ut tamen non haberet dominium in Is-  
rael : atque tales Gabaonitæ erant , ut de illis historia  
testatur. Adde , quod Deus potuerit circa præceptum  
illud de delendis gentibus dispensare. Et factam esse  
dispensationem quoad Gabaonitas , ex eo non difficul-  
ter colligitur : quod Deus initium cum illis fœdus à  
Josue , postea verò à saule violatum , graviter etiam  
fuerit in posteris Saulis altus , *2. Samuel. cap. 21.* In-  
super , fœdus hoc cum Gabaonitis Deo gratum fuisse ,  
insigni miraculo testatus est : quia , videlicet quando  
Josue , & Principes Gabaonitas tanquam confedera-  
tos defendebant , Deus non tantum ijs victoriam con-  
cessit , sed & miraculose solis cursum inhibuit , quan-  
diu opus erat , ut ulciscerentur se de inimicis , sive  
hostibus Gabaonitarum , *Josue cap. 10. vers. 13.* At-  
que ita eleganter explicat Donell. *21. comm. cap. 13.*

**29** Quibus ita præhabitis , superest nunc , ut  
argumenta superius adducta diluamus. Et non obstat  
pri-

primum argumentum *supra num. 2.* adductum , cui respondendum est , negando consequentiam ; nam ut superius diximus , professio metu celebrata ideo nulla est , quia cum petat voluntatem omnino liberam , & spontaneam , & ejus naturæ sit , ut semel valida rescindi non valeat , ut in cæteris contractibus non contingit , qui licet ipso jure valeant , rescindi possunt per Prætorem , ex late adductis à P. Sanchez *lib. 4. de matrimon. disp. 8.* & à D. Gonçal. *in præsenti* , ideo professio ipso jure nulla est . Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ; nam utcumque juramentum , & votum æquiparentur , similitudo tantum procedit circa cultum Dei , ut ex Bellarm. *lib. 2. de Monach. cap. 16.* diximus *num. 4.* quodad validitatem tamen valde differunt . Siquidem juramentum metu gravi emissum ipso jure valet , donec relaxetur : secus autem votum , ut supra dicebamus . Deinde , quia in juramento non adeò est insolubilior , ac in voto , obligationis nexus ; remissione quippe , aut relaxationi facile obnoxius est . Accedit , quod in voto tota voluntatis oblatio tendit solum ad meritum , & soli Deo acquiritur ; quam voluntatem , si libera non est , Deus non respicit : at in juramento duplex obligatio datur , una respectu Dei , altera respectu partis . Quæ Deo acquiritur , non tendit ad meritum , sed ut promissa parti custodiantur , Deo in testem rei promissæ exhibito . Quamobrem , qui ita voluit , ut promisit , nè mentiatur , & Deum falleat , tenetur id reddere Deo , ac juramentum observare , ut communiter tradunt Canonistæ *in cap. 8. de jur. jur.*

*30* Non item obstat paritas donationis ; licet enim controversum sit , utrum donationes metu celebratae ipso jure teneant , ita ut rescilione opus habeant , ut accidit in cæteris contractibus metu celebratis , qui ipso jure tenent , licet veriant rescindi per editum de eo , quod metus causa . Et verius est , donationem , quæ non plena , nec libera voluntate fuit celebrata , ipso jure nullam esse , & in hoc differre à

ceteris actibus metu celebratis , qui ipso jure valent , sed abrumpuntur , quia non tam plenam , & liberam requirunt voluntatem , nec opus est præcisè , ut nulla necessitate cogente , seu sponte fiant , ut fieri debet donatio , *juxta text. in leg. si donationis 7. Cod. de bis,* que vi , leg. si privatus 17. ff. qui , & à quibus cum alijs add. supra num. 5. Nec refragatur textus in leg. fin. Cod. de bis , que vi , ubi tales donationes rescinduntur : ergò quia ipso jure valent , siquidem , quod non est , non rescinditur ; privatio enim habitum supponit , leg. 5. vers. Post defectum , ff. de injust. rupt. cum vulgat Nam respondetur , donationes non proprie rescindi , quasi à principio validæ sint , sed infirmas , & nullas declarari , quidquid contra sentiat Cardinalis de Lugo de just. & jur. disp. 22. sect. 7. num. 126. Quo pacto solet explicari similis difficultas in leg. 5. Cod. de rescind. vend. ibi : t rescindi venditionem jubebit : & in leg. 5. §. si Titius 2. ff. qui , & à quib. leg. si quis 15. ff. quæ in fraud. cred. leg. in fraudem 45. §. a debitore 3. ff. de jur. fisc. ubi J. Consulti affirmant , libertates per legem Æliam sentiam rescindi , cum certum sit , libertates in fraudem creditorum datae à principio nullius esse momenti , juxta Rubr. Inst. qui , & à quibus manum . ubi Arnoldus Vinnius. Sicut per contrarium , in jure irritum dicitur , quod ex causa superveniente infirmatur , ac rumpitur , §. alio autem modo 4. Inst. quib. mod. testam. quia in effectu non habebit vires , eò quod rescindendum sit. Et ideo verba : Irrita est , quæ habentur in leg. 1. Cod. de rescind. vend. intelligit Glossa , id est irritanda , & rationem prosequitur , explicatque P. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 8. num. 2. & 4. quem sequitur D. Rettes cap. 7. de donationib. per vim extortis num. 4. cum 2. seqq.

31 Similiter assertioni nostræ non adversatur textus in cap. constituit 42. 16. quæst. 7. cap. constituit 5. 20. quæst. 3. quibus satisfecimus in præmissis n. 24. & 25. Item non obstat difficultas desumpta ex paritate bap:

baptismi , quæ satis jam manet explicata num. 9. Nec etiam reluctatur textus *in cap. licet 6. de voto.* Cui responder P. Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 6. num. 8.* maledictionis paternæ minus non incutere justum metum , sicut aliaæ materiales incutere solent. Accedit, quòd in illius textus specie , etiam admissa sententia Basilij *lib. 4. de matrim. cap. 15. per tot.* & Fachinei *2. controv. cap. 96.* voti paterni suscepta obligatio valida esse debuit. Primò , quia non est verotimile Andream Ducem metu reverentiali id egisse , nec propter maledictionis paternæ timorem , cum ipse strenuus esset miles , & assumpto Crucis signaculo promisisset votum adimplere sponte , & liberè. Secundo , quia post juratam promissionem , & consequenter post perfectum votum , pater poenam maledictionis imposuit , si filius id non adimpleret , ut Pontifex insinuat in eodem tex- tu.

**32** Majorem difficultatem continent textus in *cap. si in qualibet 1. 20. quest. 2. O in cap. qui cum que 4. 20. quest. 1.* Pro quorum intelligentia scire oportet , filios impuberes posse à parentibus religioni offerri , etiam si contradicant , non ut Monachi fiant , sed ut in Religione permaneant , à qua tamen exire non possunt priusquam veniant ad legitimam ætatem , ut mihi expressè probat textus *in cap. cum virum 12. de regularib.* ubi Constitutio Leonis Papæ , ut puellæ , quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum suscepérunt , ipsum possint sine prævaricatione deserere , declaratur intelligi de illa , quæ est constituta in ætate nubili ; & redditur ratio , quia tunc cum liberum habeat arbitrium in electione propositi , sequi parentum non cogitur voluntatem : ergo à contrario , si sit constituta in minori ætate , sequi cogitur voluntatem parentum , cum in electione propositi liberum arbitrium non habeat : alioquin ratio assignata esset inepta , si nulla puella , sive major , sive minor cogenda esset sequi voluntatem parentum. Id quòd sequenti ratione manifestè evincitur ; quia parentes possunt revocare ē

Monasterio impuberem etiam contradicentem , & sic absolvere illum à perseverantia in Religione usque ad annos pubertatis , prout habetur in cap. *puella* 2. 20. *quest.* 2. ergò possunt eum similiter obligare , licet invitum , ad ingrediendum Monasterium ex regul. *leg.* *nemo qui condemnare* 37. *ff. de reg. jur. cap. I. eod. tit. extra. junct. cap. verbum* 51. *de paenit. dist. I.* & quemadmodum non attenditur contradic̄tio impuberis in egressu , ita nec debet attendi in ingressu ; in utroque enim casu viget eadem ratio , nimurūm , quòd impubes in electione propositi liberum non habet arbitrium , *dict. cap. cum virum* 12.

33 At inquires. Parentes possunt , si velint , irrumum facere votum impuberis , ut constat *ex cap. mulier* 14. 32. *quest.* 2. & docet D. Thomas 2. 2. *quest.* 189. *artic.* 5. & tamen nequeunt impuberem cogere ad vovendum *cap. integritas* 13. 32. *quest.* 1. ergò eodem modo , quamvis possint extrahere à Monasterio filium impuberem , non tamen poterunt illum cogere ad ingrediendum. Etenim respondetur , quòd cum votum sit promissio facta Deo ex traditis à D. Gonçal. *in capit. I. de voto, num.* 5. & promissio procedat ex proposito faciendo , propositum autem aliquam deliberationem præexistat ; indè fit , ut ad votum tria ex necessitate requirantur , videlicet , deliberatio , propositum voluntatis , & promissio , in qua perficitur ratio voti , ut rectè explicat Angel. *Præceptor* 2. 2. *quest.* 88. *artic.* 1. non igitur minum , si parentes cogere non possint filios ad vovendum , cum de ratione intrinseca voti sit spontanea voluntas , & liber consensus voventis , juxta nostrum tex-tum cum alijs adductis *suprān.* 14. O 15. Et propterea infans ex voto non obligatur. Sed oblatio non requirit consensum oblati , cum possit fieri etiam de infante , *cap. addidistis* 2. 20. *quest.* 1. *cap. fin. de tempor. ordin. lib.* 6. Præterea votum simplex emissum etiam in puerili aetate , efficaciter obligat puerum doli capacem , quamdiu parentes non contradicunt , *dict. cap. mulier* 14. 32. *quest.* 2. *cap. 2. de voto.* Et ratio est ; quia sicut doli capax

pax potest se obligare Diabolo per peccatum , ut in cap. pueris 1. de delict. pueror. ita & Deo per votum , ut docet D. Gonçal. in dict. cap. 2. de voto , num. 5. ubi interpretatur textum in cap. 1. 20. quæst. 1. quem intelligit de voto solemni professionis Religionis , quod non nisi post pubertatem fieri potest , cap. 6. de regular. At vero oblatione impuberem non obligat , licet consentiat , nec Religioni alligatur : sed tantum prohibetur exire ob defectum discretionis , & judicij , cap. 2. de regular. nisi forte filius non oblatus , sed sua sponte Religionem fuisse ingressus ; tunc enim quandocumque exire poterit , ut probat sic intelligendus textus in cap. significatum 11. eod. tit. &c. notat Panormit. in dict. cap. 2. num. 10. concluditur ergo ex dictis , quod quamvis filij impuberis cogi possint à parentibus ad ingrediendum Monasterium , tamen inviti profiteri non coguntur ; Fagnan. in cap. conjugatus 5. de convers. conjug. num. 18.

34 Quibus præmissis , jam non obstant textus in contrarium adducti , nam debent intelligi de casu , quo filij oblati , adveniente pubertate , ratam habuerunt parentum oblationem , aut tacite , vel expressè professio nem emisserunt ; tunc enim cum ex suamet voluntate adstricti maneant Religioni , ad sæculum redire nequeunt , sed in ea perpetuò permanere debent dict. cap. 11. & 12. de regularib. Quomodo accipiendum etiam est dictum Concilij Toletani relatum in capit. Monachum 3. 20. quæst. 1. videlicet , Monachum facit , aut paterna devo tio , aut propria professio , cuius sensus est , ut scilicet , Monachum faciat paterna devotio , vel propria professio , ita tamen , ut paterna devotio non per se sola , sed simul cum tacita filij voluntate , ac si diceret Concilium paterna devotio filium offerendo illum Monachum facit , casu , quo adveniente pubertate filius non reclama vit , docet Fagnan. in dict. cap. 12. de regular. numer. 3. in fin. Eodem modo intelligendum est Concilium Uvoraciense cap. 22. relatum in cap. addiditis 2. 20. quæst. 1. ubi habetur , quod impuberis à parentibus Religioni oblati non possunt , cum ad annos pubertatis pervene-

runt, à Monasterio exire; quia videlicet, in eo textū filij à patre oblati adveniente pubertate non reclamārunt, & tacitè consentiendo factum patris approbarunt. Nec obstant verba illa: *Quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo filijs voluptatis frēna laxentur.* Ex quibus colligi videtur, causam prohibitionis non fuisse propter consensum filiorum, sed propter paternam oblationem. Nam benè verum est, Patres Concilij habuisse respectum ad paternam oblationem, cum denegant filijs facultatem recedendi à Monasterio. Sed hoc ideo est; quia cum decisio illa procedat in casu, quo filij non contradicentes, paternam oblationem tacitè probavere, si postea reclamaverint, potius paternæ oblationi, quam consensui suo contradicere videntur, inde attendentes Patres Concilij ad oblationem paternam jam consensu filiorum confirmatam, dixerunt: *Nefas esse, ut oblatis à parentibus Deo filijs voluptatis frēna laxentur;* notat. Exim. Doct. P. Suarez de Religion. tom. 3. lib. 6. cap. 3. num. 13.

35 Tandem ultima supereft difficultas, sed facile diluenda; quoniam licet verum sit, metum à causa libera incussum, non causa extorquendi consensem, sed ob alium finem, actum eo metu gestum non irritare, ut in exemplis *suprà numer.* 12. adductis: ast in nostro textu fuit metus injuste illatus eo animo, ut mulier Religionem ingredieretur: siquidem milites, & cognati ipsius mariti, cum gladium jam evaginassent ad illam occidendam, misericordia moti eidem pepercerunt hac conditione, ut in quodam Monasterio habitum monialium fusciperet, si vellet mortis imminentis effugere periculum. Unde cum metus gravis, & causa extorquendi consensem ad Religionis ingressum fuissest incussum, meritò noster Alexander III. irritam, ac nullam esse professio nem dixit. Vel dici potest, magnum inter casus *dicit.* *numer.* 10. relatos dari discriminem, quippe solus metus gravis injuste illatus libertati repugnare censetur, tanquam causa ab extrinseco cogens ex traditis à Hermosilla *sig.* 59. *gloss.* 1. *num.* 106. *C.* 109. nam voluntas ex vi illius im-

impellitur ad eligendum votum tanquam medium ad vitandum imminens malum , quod supposita hac intentione est quædam necessitas simpliciter libertatem minuens. Porro in predictis exemplis non movetur voluntas ex vi metus ad eligendam professionem tanquam medium necessarium ad mali , quod timetur, effugium, sed cum malum alioqui immineat , voluntas ex sui libertate se urget ad hujus medij electionem. Id quod misericordie confirmatur ex eo , quia quoties metus damni delicto debiti infligitur , tunc non censetur ab extrinseco incussum , sed à lege , & natura flagitij , & ex culpa metum patientis , leg. 3. §. 1. ff. quod met. caus. Proindeque ab intrinseco , nempè , à propria voluntate , eò quod ipse se se ut civem legibus poenam statuentibus subiicit , leg. Imperatores 34. ff. de jur. fisc. leg. fin. Cod. ad leg. ful. Majest. noster Pichard. in Rubr. Inst. de obligat. ex delict. ex num. 3. Unde intra illum est juxta metuendi causa , radixque timoris. Quo circa si res bene perpendatur, libertati non officit ; ut enim actus voluntarius , vel necessarius dicatur , non attenditur effectus , sed causa , & origo , & ita posita causa voluntaria à principio , non attenditur involuntarium in effectu , leg. 17. §. ult. ff. commodat. leg. 5. Cod. de oblig. O act. ut recte ad aliud notavit Sapientissimus Praeceptor meus D. Doct. D. Josephus de la Serna in tract. Acad. de compensat. cap. 1. num. 11. Quamobrem minitante marito mortem adulteræ via , ac authoritate juris professio absdubio erit valida : pariterque si reo mortis vita condonetur , dummodo Religionem ingrediatur , vel matrimonium contrahat , ut verè concludit P. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 12. num. 12. & in Decalog. lib. 4. capit. 3. numer. 5. circa quam partem videri etiam possunt Prosper. Fagnan. in capit. si quis 2. de regular. à numer. 81. P. Pirhing. ad hunc titul. num. 40. O ad titul. de sponsal. numer. 104. cum seq. & D. Gonçal. in cap. 15. cod. tit. à num. 4.


<sup>36</sup> Ex eadem doctrina facile veniunt interpretandi textus in cap. prorreatum 13. cap. sicut 17. de regularib. in quibus habetur , eum , qui fervore infirmitatis

tis , & doloris impatientia etiam de salute desperans, professionem emisit in aliqua Religione, in ea perseverare teneri , nec esse locum poenitentiæ. Et ratio est; quia quoties metus non infertur ab extrinseca causa libera ad extorquendum consensum , sed provenit à causa naturali , veluti à morbo , tempestate , naufragio , & similibus , tametsi gravissimus sit , non obstat quominus votum , seu professio valida sit , obligetque ipsum videntem , ut docent cum D. Thoma 1. 2. quæst. 6. artic. 6. Eximius P. Suarez lib. 1. de effent. voti , cap. 7. P. Sanchez lib. 4. de matrimon. disput. 9. num. 7. Lessius de justit. & jur. lib. 2. cap. 17. num. 40. & alij communiter. Verum huic doctrinæ graviter obsistunt textus in leg. 2. §. fin. ff. de lege Rhod. de iactu , ubi , qui levanda navis gratia , dum navis vento , & crispantibus undis jactatur , res aliquas projiciunt , illarum utique dominium non amittunt , neque eas habent pro derelicto , quippe intelliguntur causa ledandæ tempestatis eas ejecisse , dubioprocul illas ablaturi quamprimum invenerint , ut perinde sint , ac si quis onere pressus in viam rem abjecerit , mox cum alijs reversurus , ut eamdem auferret : ergo similiter , cum ægrotus languore depresso , anteacta vita deterritus , votum , aut professionem emitit , non creditur dominium sui ipsius alienasse , si convaluerit , consequenterque neque voti obligatio subsistere poterit.

37 Cui difficultati respondetur , quòd ideo qui levanda navis gratia res in mare projectat , earum dominium non amittit , quia non habet animatum ipsas absolutè dimitendi , seu dereliquendi , nec ut amitteret , abjecit , sed ut navem levaret , nè tempestate depresso absorveretur , statim ac possit conquisitatus , & recuperatus , ut expressere Consulti in p̄allegat. jurib. & in leg. interdum 21. §. quod ex naufragio 1. cum seq. ff. de adquirend. possess. &c Justinianus in §. ult. Inst. de rer. divis. Pinel. lib. 2. select. cap. 9. numer. 4. Qui verò ægritudine oppressus votum emisit , totum se Deo obtulit , nunquam ad sæculum redditurus , cùm si con-

valuerit: unde ex fine ipsius voti animum se ipsum de-  
reliquendi , ac numquam recuperandi habuisse , notissima  
ma præsumptio est , exemplo illius , qui ita res ejicit,  
ut omnino sciat perituras , & de his recuperandis , vel  
colligendis desperet , vel ratione profunditatis loci , in  
quo submersæ fuerunt , vel ratione ponderis rerum , vel  
quia in medio maris jactavit ; in quo quidem casu , li-  
cet compulsus ejicit , dubitari non potest , quin ani-  
mum dereliquendi habeat , consequenterque , qui eas  
res invenit , furtum non committit , imò suas facit , uti  
ea , quæ in littore maris invenit , §. item lapilli 9. Inſte-  
de rer. diviſ. ut probat ſic intelligendus , & cum præ-  
citatis jurib. conciliandus textus in leg. falsus 43. §. si  
jactum 11. ff. de furt. docet vespertinus quondam ju-  
ris Cæfarei meritissimus Moderator , & nunc Regius Sena-  
tor D. Doct. D. Franciscus de Arana & Andraca in  
Comment. ad leg. I. Cod. de naufrag. numer. 13. In hanc  
partem expendi ſolent textus in capit. Gonſaldus 17.  
queſt. 2. & in capit. in praesentia 8. de probat. pro  
quorum intelligentia consulendus eſt D. Gonçal. in dict.  
cap. 17. de regular. num. 9. cum ſeq. & haec dicta

sufficient pro nostri textus  
elucubratione.



## EXTEMPORANEA ELUCUBRATIO

A D

*TEXT. INCAP. FIN. DE CONDITIONIB. APPPOSITIS  
in desponsatione, vel in alijs contractibus,*

H A B I T A

IN MAXIMO SALMATICENSI THEATRO

Die 8. Aprilis anno 1722.

P R O

PETITIONE CATHEDRÆ DECRETALIUM  
Minorum.

IVINO Patris invocato auxilio , à quo per Spiritum Sanctum gratia in cordibus nostris diffunditur , aggredior explicaturus celeberrimum , admodumque difficilem textum mihi hesterna forte oblatum *in cap. fin. de conditionib. apposit.* ubi Gregorius IX. ut instrueret judices Ecclesiasticos , quomodo de matrimonij , in quibus conditiones impossibles , turpes , seu contra substantiam appositæ adjiciuntur , sententiam pronunciate debeant , præsentem edidit constitutionem per hæc verba.

*Si conditiones contra substantiam conjugij inserantur , putà si alter dicat alteri , contraho tecum , si generationem proles evites , vel donec inveniam aliam honore , vel facultatis dignorem , aut si pro quæstu adulteran-*

*dam*

dam te tradas : matrimonialis contractus,  
quantumcumque sit favorabilis , caret effe-  
ctus , licet aliæ conditiones apposita in ma-  
trimonio , si turpes , aut impossibiles fuerint ,  
debeant propter favorem pro non adiectis  
baberi.

**I** Ex quibus verbis sequens depromitur illus-  
tranda assertio : *Matrimonium contractum sub condi-  
tione , quæ repugnat substantia , aus bonis matrimo-  
nij , ipso jure est irritum ; si vero in contractu ma-  
trimonij conditio impossibilis , vel turpis apponatur ,  
quæ non est contra ipsius substantiam , pro non adje-  
cta habetur , & matrimonium tenet.* Quæ quidem af-  
fertio verissima est , suæque veritatis testimonia perhi-  
bent textus in cap. solet. 6. cap. aliquando 7. caus. 32.  
queft. 2. consonat ab argumento de Jure Civili textus  
in leg. cum manu 80. §. fin. ff. de contrah. empt.  
junct. §. de illa 2. Instit. de societat. leg. 1. leg. si-  
quis 6. leg. conditiones 14. leg. mulier 20. ff. de con-  
dit. inst. leg. Mævia 45. ff. de bæred. inst. leg. 104.  
§. 1. ff. de legat. 1. leg. 3. leg. 6. §. 1. ff. de cond.  
& dem. §. impossibilis 10. Inst. de bæred. inst. utram-  
que assertionis partem de jure Regio probat text. in  
leg. 5. & 6. tit. 4. part. 4. Illustrant , præter Anti-  
quiores Canonici Juris Interpretates , Barbosa , & Fag-  
nan. in præsenti , D. Covarr. de Sponsal. 2. p. §. 1.  
& 2. cap. 3. Basilius de matrim. lib. 1. cap. 20. &  
lib. 3. cap. 9. cum 3. seqq. P. Pirthing. ad hunc titul.  
§. 3. à num. 12. Gutierrez de matrim. cap. 82. P. San-  
chez eod. tract. lib. 5. disp. 3. 4. 9. 10. & 15. Lef-  
sarius de iust. & jur. lib. 2. cap. 18. dub. 15. plures  
que alij congesti à D. Gonçal. hic num. 1.

**2** Sed me hercè , licet hæc ita sint , atque  
tot juribus , & Interpretum authoritatibus muniantur ,  
quasdam tamen ingentes partiuntur difficultates. Et qui-  
dem primam nostri textus partem , qua cautum est ,  
conditiones contra substantiam matrimonij vitiare ma-  
trimonium ipsum , cui apposita sunt , sequentes ur-  
gent

gent dubitandi rationes. Si decisio nostri textus vera esset, utique etiam veritatem haberet non solum in matrimonio, sed in quovis alio contractu; atqui non solum in matrimonio, sed in multis alijs contractibus deficere videtur: ergo conditiones contra substantiam conjugij, non vitiant, aut annullant contractum matrimonij. Major est certa: minor unicè dubia probatur ex eo; nam constans in jure est, validum esse argumentum de matrimonio spirituali ad carnale, & è contrà, *cap. inter corporalia 2. cap. quanto 3. de translat. Episcop.* sed conditio adjecta matrimonio spirituali, ejusque substantiæ contraria, illud non vitiat: ergo nec conditio adjecta contra substantiam carnalis. Minor probatur ex eo, nam per professionem regularem spirituale contrahitur conjugium: ast conditio adjecta professioni, ejusque substantiæ repugnans ipsam professionem non vitiat, sed conditio reiicitur, & tenet professio, ut docent plures antiquiores relati à Fagnan. in *cap. cum in Ecclesijs 10. de major. O obed. num. 9.* & exprefse probat textus in *cap. insinuante 7.* qui Cleric. vel vov. ex quo constat, professionem Religionis ea conditione factam, ut liceret in domo propria cum omni substantia sua, ac bonis remanere, validam esse: tunc sic; abdicatio bonorum adeo est de substantia status Monastici, ut nec Pontifex in ea possit dispensare, saltem in sensu composito, *cap. cum ad Monasterium 6. de stat. Monach.* in fin: tamen tempore professionis adjecta conditio, ut in domo propria liceat profimenti suum patrimonium retinere, non irritat, aut impedit professionem: ergo similiter conditiones adjectas matrimonio, etiam contra ipsius substantiam, illud non vitiant.

**3** Quam difficultatem, ut effugiant Canonici Juris Interpretes, varias excogitarunt solutiones. Arellanus lib. 2. *Antinomiar. antin.* 2. existimat professionem in eo textu factam vires habuisse, ipsam vero propriæ substantiæ retentionem nullius esse momenti, ex ratione; quia quando conditio, seu pactum adji-

citur perfecto jam actui , ejus naturam subvertere , aut immutare non valet , ut probant sic intelligendi textus in leg. quæsumum 34. ff. de adoption. leg. servitus 4. ff. de servitutib. leg. 1. ff. de adim. legat. leg. cum precario 12. ff. de precar. cum alijs , in quibus habetur , pactum contrarium dispositioni adjectum esse omnino nullum , dispositionem verò intactam relinquare : illustrat pluribus adductis exemplis Gofred. in d. leg. 1. de adim. leg. junct. Chel. 1. diff. cap. 31. Verum licet hac interpretatio subtilis sit , non tamen adaptari potest litteræ textus in dict. cap. insinuante 7. ubi illa conditio apposita fuit initio actus , id est tempore professionis ; mulier enim , de qua ibi , votum emisit castitatis in manibus cuiusdam ex fratribus. S. Augustini , eo adjecto tenore , ut sibi licet cum omni substantia sua in domo propria remanere : ergo cum hic tenor , seu conditio contra substantiam sit professionis , non potuit ipsa professio ab initio vires habere , aut vera non erit decisio nostri textus in prima ejus parte. Minus placet solutio Cujacij in eo textu , & Feliciani de censib. lib. 1. cap. 10. num. 27. dum prædictum textum interpretantur de voto simplici castitatis , non de voto solemni professionis : unde cum voto simplici castitatis non repugnet proprium patrimonium retinere , ideo in domo sua nobilis illa mulier permanxit , nec bona propria abjecit , licet habitum S. Augustini assumpsisset. Non , inquam , placet hac interpretatio ; tum quia post votum ipsum sequuta est immediate habitus Monastici suscepit , & gestatio per bienium , ut constat ex eodem textu in illis verbis : *Sanè in ejusdem ordinis habitu biennio post permanxit.* Quæ omnia non votum simplex castitatis , sed solempne Religionis mulierem illam emisisse clare ostendunt : tum etiam , quia Innocentius III. matrimonium postea contractum irritum declaravit : sed votum castitatis solempne , non verò simplex , matrimonium irritat , ut in prædicto textu docent communiter Canonizæ ergo quia votum solempne fuit emissum.

4 Augetur primò , & illustratur idem difficultatis assumptum ex eo ; nam conditio servandi castitatem est contra substantiam conjugij , ejusque bonis repugnat ; excludit enim consensum in mutuam cohabitationem : atqui matrimonium contractum sub conditione castè vivendi validum est , atque legitimum ; ergo conditio contraria substantiæ matrimonij non ipsum vitiat. Minor probatur *ex cap. B. Maria 3. 27. q. 2.* ex quo constat matrimonium contractum inter B. Virginem , & S. Josephum verum , & perfectum fuisse ; sed tale matrimonium fuit celebratum sub conditione castè vivendi , & in perpetua castitate permanendi ; ergo matrimonium contractum sub conditione contra substantiam non vitiatur. Confirmatur , quia si conjuges ante matrimonij contractum , voto simplici Religionis , aut castitatis se adstrinxissent , esset verum matrimonium , non obstante ea obligatione , qua alteruter tenetur ab altero minimè petere debitum : ergo idem erit , quamvis ea conditio apponatur in ipso contractu. Accedit , nam matrimonio jam contracto , possunt conjuges ad invicem castitatem vovere , vel Religionem profiteri *quod Deo 4. 33. quæst. 5. cap. sanè 6. cum alijs de convers. conjug.* Igitur & à principio licet contrahere matrimonium sub ea conditione , ut prolis generatio evitetur. Cujus difficultatis efficaciam non effugiunt Paludan. Abulensis , & alij , quos refert P. Sanchez *lib. 5. de matrim. disp. 10. num. 1.* dum discri-  
men constituant inter conditionem appositam contra substantiam matrimonij , quæ turpis , & inhonesta est , ut in exemplis à Gregorio in nostro textu relatis , & inter eam , que licet sit contra substantiam matrimonij , honesta tamen est , qualis est illa , *si castitatem servaveris* , quæ simul cum matrimonio compatibilis est. Primo casu tenent matrimonium irritum esse , & in eo procedere Gregorium in præsenti : in secundo vero valere matrimonium. Non , inquam , præfati DD. hac via efficaciam superioris difficultatis enervant ; nam conditio illa , *si castitatem servaveris* , quamvis sit ho-  
pe-

nesta , est tamen contra conjugij substantiam , quæ consitit in consensu saitem tacito ad carnalem copulam , quæ implicitè necessaria est , ideoque istius conditionis adjectio repugnat ipsi consensui , quia in pactum deducitur continentia , juxta D. Thomam *in 4. dist. 28. quæst. fin. in fin.* D. Covarr. de sponsalib. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 3.

5. Augetur insuper , & fulcitur eadem dubitandi ratio ex decisione *tætus in cap. aliquando 7. 32. q. 2.* ubi D. Augustinus de ijs , qui venena sterilitatis proeurrant , quando ab initio sic convenerunt , dicit , non per connubium , sed per stuprum convenisse : ubi clare significat , non esse matrimonium , eò quod talis conditio contra substantiam sit matrimonij. Progreditur Augustinus , & ait , quod si ambo non sint tales , id est , si unus pure tantum contraxit , alter vero sub illa conditione , matrimonium est validum , licet aut mulier sit quodammodo meretrix mariti , aut vir adulter uxoris : ergo quia conditio contra substantiam matrimonij illud non vitiat. Ulterius hæc eadem difficultas suadetut ex eo ; nam de natura Sacramenti ordinis est , ut gradum sacrum recipiens emittat castitatis voluntum , *cap. meminimus 2. cap. rursus 6. qui Clerici vel vententes , cap. un. de voto in 6.* Sed si tempore , quo quis ad sacros ordines ascendit , conditionem adiiciat , ut sibi licet postea matrimonium contrahere , admittitur conditio , ut expresse constat *ex cap. Diaconi 8. dist. 28. ibi : Diaconi quicumque , cum ordinantur , si in ipsa ordinatione protestati sunt , dicentes , velle se habere uxores , nec posse se continere , bi , si postea ad nuptias venerint , manent in ministerio :* ergo pariter conditio contraria substantiae matrimonij , ejusque bonis repugnans admittenda est , nec matrimonium irritabit. Cui difficultati , ut occurrant Interpretes nostri , discrimen constituere solent inter ea , quæ sunt substantialia actus , & inter ea , quæ proveniunt ex ejus natura. Si enim conditio , vel pactum apponatur contra substantialia actus , ipse viatiatur , aut transit in aliud contractum : si vero condi-

ditio , pactumvè adjiciatur contra ea , quæ sunt , & proveniunt ex natura actus ipse contractus subsistit . Sic substantia emptionis , & venditionis in eo consistit , ut res vendita transeat in emptorem , ex ejus vero natura provenit , ut si casu aliquo evincatur , vendor de evictione teneatur ; quare si in ipso contractu pactum adjiciatur , nè dominium rei venditæ in emptorem transferatur , venditio nulla est , leg . 80 . § . ult . ff . de contrab . empt . si autem conveniatur inter contrahentes , nè vendor de evictione teneatur , venditio substinetur , & quamvis res evincatur , vendor ex causa evictionis non tenetur , leg . ex empto 11 . § . fin . ff . de act . empt . Similiter : substantia commodati in eo consistit , ut gratuitum sit , leg . 17 . § . 3 . ff . commodati , junct . § . item is 2 . Inst . quib . mod . re contrab . nè alias salario convento , novus locationis per pactum efformetur contractus , leg . 1 . § . 8 . & 9 . ff . de positi , leg . 5 . § . 2 . ff . mandati : ex ejus autem natura provenit , ut culpa , & diligentia præstetur , leg . 18 . ff . commod . quare pactum , ut merces præstetur , ipsum vitiat ; non vero conventionio , ut nulla sit culpæ , & diligentiae præstatio , leg . 23 . ff . de regul . iur . cum vulgat . Cujus rei sunt etiam alia plura exempla passim obvia . Unde cum votum castitatis non sit substantiale , sed tantum proveniat ex natura sacri Ordinis , ideo olim in Ecclesia orientali admittebatur protestatio tempore sacræ ordinationis ab ordinando facta , nimurum se non posse castè vivere , ideoque velle contrahere matrimonium : docet D . Gonçal . in præsenti num . 8 .

6 Verum hæc doctrina satis futilis apparebat ex eo solum , quod substantia , & natura cuiusque rei in nihilo differunt ; quippe ea propriè dicuntur naturalia contractus , quæ internam ejus essentiam attingant , & sine quibus propriam formam amitteret ; substantialia autem id ipsum efficere , nemo non videt . Quare de pactis detrahentibus aliquid naturæ contractus differens Papianus id ipsum substantiam appellat in leg . pacta 72 . ff . de contrab . empt . quod Ulpianus , Papiano relato , natu-

naturam vocat in leg. 7. §. quinimo 5. vers. idem responsum, ff. de pact. ut recte contra Acursum inter naturalia, & substantialia contractus distinguentem insurgit Cujacius lib. 10. qq. Pap. in dict. leg. pacta 72. & illo non citato Vinnias in tract. de pact. cap. 9. num. 5. ¶ 6. ergo distinctio Domini Gonçal. inter naturalia, & substantialia sacri Ordinis substineri nequit, nam si votum castitatis in ejus naturam influit, aequè substantiale erit. Nec in jure Cæsareo deficit authoritas civilis, quæ superiorem dubitandi rationem persuadere, & facile comprobare possit; habemus etenim textum in leg. 4. §. fin. cum leg. seq. ff. de precario, ubi precarium ad tempus subsistit, imò si jam constituto precario conveniret, ut ad ulterius tempus re uti liceat, quantumvis pactum hoc precarij substantiæ aduersetur, juxta text. in leg. cum precario 12. ff. eod. tit. prorogatur precarium usque ad diem præfixum: ergo etsi pactum, seu conditio contra substantiam matrimonij interponatur, non eo minus contractus matrimonij subsistit, aduersus id, quod in prima nostri textus parte assertum est. In id ipsa conspirat J. C. Alfenus in leg. in navem. 31. ff. locati, ubi si eo pacto celebretur conductio, ut rei locatae dominium in conductorem transferatur, valida est pactio, & contractus subsistit; sed præcipua conductio substantia in eo consistit, ut usus, non vero dominium rei conductæ in conductorem transferatur, leg. quis 9. leg. 15. §. 1. cum alijs, ff. locati, alioquin non conductio, sed emptio esset, leg. convenit 65. ff. de contrab. empt. leg. 34. vers. in aurifice, ff. de aur. ¶ arg. legat. ergo similiter etsi pactum, seu conditio matrimonij substantiam evertat, non ideo ipsum destituere debet. Cujus argumenti corroborandi causa possunt expendi textus in leg. Lucius 24. leg. Publia 26. §. 1. ff. de positi, leg. ubi ita donatur 27. ff. de donat. caus. mort.

7 Secundò contra posteriorem nostri textus partem, quatenus in ea decidit Gregorius IX. conditiones turpes, vel impossibiles, quæ matrimonij substantiæ, & illius bonis non aduersantur, non irritare

matrimonium , sed pro non adjectis haberi propter favorem matrimonij , sic etiam pro dubitandi ratione insurgo. Certum enim est , matrimonium esse contractum , qui ad sui validitatem requirit contrahentium consensum , cap. sufficiat 2. 27. quest. 2. cap. cum apud 23. cap. iua 26. de sponsal. adeo ut non possit Ecclesia inducere , aut supplere aliquid de consensu ad matrimonium requisito , ut late probat P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 27. sed ceteri contractus sub impossibili , vel turpi conditione celebrati vitiantur ex defectu consensus , leg. certi conditio 9. §. item 6. ff. de reb. cred. leg. impossibilis 7. leg. continuaus 137. §. cum quis 6. ff. de verb. oblig. junct. leg. non solum 31. ff. de oblig. & act. ibi : Quia in ea re , quae ex duorum , pluriusve consensu agitur , omnium voluntas expectatur , quorum procudubio in hujusmodi actu talis cogitatio est , ut nihil agi existiment , apposita ea conditione , quam sciant esse impossibilem : ergo etiam matrimonium sub impossibili , vel turpi conditione contractum debet esse nullum , deficiente consensu , qui necessario requiritur ad valorem matrimonij. Confirmatur ; quia qui sub conditione contrahit , confert consensum in eventum ejus , nec aliter consentit , quam si conditio eveniat ; quali dicat , si conditio deficiat ; non consentio , §. sub conditione 4. Inst. de verb. oblig. leg. quibus 40. §. thermus 5. ff. de cond. & dem. ut coniuderat D. Covarr. de sponsal. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 1. ergo qui sub impossibili conditione consentit , necessario dissentit , quia non potest evenire conditio , ut eleganter explicat Donellus in dict. leg. impossibilis 7. num. 2. ac per consequens conditio impossibilis adjecta matrimonio illud vitiare debet. In cuius rei , & argumenti comprobationem facit , quod quando conditio est facta ipso , & non à natura impossibilis , jus presumit defectum voluntatis , ut in calu leg. cum paries 4. §. non est 1. ff. de statu lib. ubi libertas relicta seruo sub conditione si millies heredi dedisset , inutilis est , ea ratione , quam in calce ipse textus subiicit : Quia nō animus danda libertatis est : si ergo diffi-

cul-

cultas , seu impossibilitas non absoluta , sed secundum quid , index est , & præsumptio sufficiens dissensus ; à fortiori id erit tribuendum impossibilitati absolutæ ; qui enim conditionem impossibilem contractui adiicit , ridere , non consentire videtur , ut ait Gentilis lib. 2. de nupt. cap. 12.

8 Neque ab hac difficultate facile quis se expectet , si respondeat , conditiones impossibilis , quæ matrimonij substantiæ , aut illius bonis non adversantur , haberi pro non adjectis , nec vitiare matrimonium , quia hoc favore matrimonij specialiter introductum est , ut inuunt illa nostri textus verba : *Propter favorem matrimonij* : securus autem est in alijs contractibus , in quibus conditio turpis , vel impossibilis vitiat contractum , & non vitiatur , §. impossibilis 10. *Inst. de inut. stipul. leg. non solum 31. ff. de obligat.* ¶ act. unde in ultimis voluntatibus , (quarum instar matrimonium se habet in hac parte) quia similiter favorabiles sunt , leg. 1. *Cod. de Sacros. Eccles.* conditiones impossibilis pro non scriptis habentur , leg. obtinuit 3. ff. de condit. ¶ demonstr. Nec in hoc casu supplet Ecclesia consensum in matrimonio requisitum , (neque enim posset,) sed in dubio pro consensu , & matrimonij validitate præsumit , perinde ac si conditio turpis , vel impossibilis adjecta non esset ; in ambigua enim , conjecturali causa pro matrimonio judicandum est , juxta *textum in cap. fin. de sent.* ¶ re jud. Ita docent Barbos. in *præsenti num. 12.* Guttierr. *de matrim. disp. 82. num. 4.* & alij , quos sequitur P. Sanchez lib. 5. *de matrim. disp. 3. num. 18.* ¶ 19. Non , inquam , satisfacit hæc solutio ; siquidem ei graviter obstatere videtur Papinianus in *leg. filius 15. ff. de condit. inst.* asserens , institutionem filij sui heredis nullam esse , si sub conditione fiat turpi , aut contra bonos mores , veluti *si sacrilegium commiserit* , vel *si patri alimenta denegaverit* , aut *si hominem occiderit* , & similibus ; sed nulla alia ratione procedit , nisi quia impossibile est turpis conditionis implementum , ut asserit Papinianus in illis verbis : *Nam quæ facta iædunt pietatem , existimationem , verecundiam nostram* , ¶ *ut generaliter dixerim , contra bonos mores*

*funt, nec facere nos posse credendum est: ergo idem omanino  
asserendum est in conditione turpi, vel impossibili adje-  
cta matrimonio, ut quemadmodum conditio turpis adjecta  
institutioni filij sui hæredis ipsam vitiat dispositionem, ita  
similiter vitiare debet matrimonium, contra nuper tradi-  
tam solutionem, & ultimi nostri textus partem. Et hæc  
dicta sufficient pro rationibus dubitandi.*

*9 Quibus minimè obstantibus vera est Gregorij  
IX. constitutio, pro cuius clariori, pleniorique illustratione  
nonnulla observatione digna præmittenda sunt. Et primò  
circa priorem partem de conditionibus contra substantiam  
matrimonij agentem, observandum est; consensum à con-  
trahentibus legitimè præstitum, in quo matrimonij sub-  
stantia consistit, cap. sufficiat 2. 27. quæst. 2. cap. cum apud  
23. cap. tua 26. de sponsal. tria continere ejusdem matri-  
monij bona, nempe bonum prolis, bonum fidei, & bo-  
num sacramenti, cap. omne 10. 27. quæst. 2. Proles dici-  
tur bonum matrimonij, seu de ejus substantia, quia ex  
matrimonio consurgit obligatio ad non evitandum, vel  
impediendum prolem, vel suffocando illam, vel poculum  
sterilitatis sumendo, ut constat ex cap. aliquando 7. 32.  
quæst. 4. matrimonium enim non fit, nisi liberorum pro-  
creandorum causa, leg. liberorum 220. ff. de verb. signif.  
Ex quo patet, bono prolis repugnare hanc conditionem:  
*contraho tecum si generationem prolis evites.* Bonum fidei,  
seu fidelitatis importat obligationem ad reddendum debi-  
tum, si petatur, & ad non communicandum corpus suum  
alteri, dict. cap. omne 10. 27. quæst. 2. & huic bono re-  
pugnat ista conditio: *Si pro quæstu adulterandum te tradas.*  
Bonum sacramenti significat unionem Christi cum Ecclesia  
cap. debitum 5. de bigam. non ordin. & propterea matrimo-  
nium suapè natura est perpetuum, & indissolubile, cap.  
illud 11. de præsumpt. cap. quos Deus 18. 33. quæst. 2.  
huic bono adversatur ista conditio: *Contraho tecum donec  
inveniam aliam honore, & facultatibus ditiorem.* Unde  
matrimonium celebratum sub aliqua conditione turpi, vel  
impossibili, quæ sit contraria substantiam ejusdem matrimo-  
nij, seu quæ tribus præcipuis ejus bonis aduersetur, ipso  
jure*

jure irritum est. Ita Abbas *bis num. 2.* D. Covarr. *de sponsalibus part. 2. cap. 3. §. 1. num. 1.* P. Sanch. *de matrimonio lib. 5. disput. 9. numer. 3.* Gutierrez. *eod. tract. cap. 82. num. 3.*

10 Ratio autem prioris partis hujus constitutionis est, quia quamvis validè contrahatur matrimonium cum intentione non servandi fidem, aut perpetuitatem conjugij, aut non procurandi generationem, & educationem proles, sed potius impediendi; quia hæc quoad actum, seu executionem non pertinent ad substantiam matrimonij, adeoque non sunt contra substantiam ejusdem; non tamen validè contrahitar, si talia in pactum deducantur; nam substantiali obligationi essentialiter in matrimonio inclusæ directè adversantur, eamque elidunt, & infirmant, P. Sanchez *cit. d. sp. 9. num. 14.* & non potest intelligi matrimonium sine ejus substantialibus, cum sine substantia nihil sit, *cap. detrabe 54. caus. 1. quest. 1. cap. tuz 26. de sponsalibus junct. leg. cum bi 8. §. si Praetor 17. ff. de transat. leg. in venditionibus 9. §. fin. ff de contrab. empt.* Ratio autem, meo iudicio, est manifesta; quia matrimonij substantia consistit in mutua corporum traditione, sive in mutuo jure, ac potestate utendi corpore conjugis ad usum generationis: hoc autem jus, seu potestas tollitur per pacta, seu conditiones, quibus obligatio carnalis conjunctionis, seu copulae aufertur: ergo etiam ipsa substantia matrimonij tollitur, & infirmatur. Nec obstat, quod salva essentia matrimonij, eoque illæso, possit tolli jus utendi, & reddendi debitum per votum castitatis perpetuae communi consensu conjugum editum, ut manet probatum *supra num. 4.* Nam quamvis matrimonio jam contracto, possit postea per novam pactionem apponi conditio aliqua ejus substantiae repugnans; non tamen potest ab initio apponi. Et ratio est, quia quando à principio deducitur in pactum aliquid eiusmodi, impeditur postea traslatio potestatis corporum: secus quando jam matrimonium est contractum, tunc enim potest illa semel translata revocari non potest, & similiiter matrimonium jam legitimè contractum dissolvi nequit, *cap. quanto 7. cap. gaudemus 8. de diuort.*

11 Porro ex his apparet , verum non esse , quod plerique , quos refert P. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 10. num. 1. in fin. tradiderunt , nimis , conditionem honestam , licet contrariam bonis matrimonij , illud non irritare , ut si duo contrahant hac conditione , ut in perpetua castitate vivant ; eo quod copula carnalis non est de essentia matrimonij , licet sit contra bonum prolis. Hac tamen opinio substineri nequit ; est enim haec conditio quamvis honesta contra conjugij substantiam , quae consistit in consensu saltem tacito in mutuam cohabitationem , hoc est , in jus , & potestatem ad copulam , quae implicitè necessaria est ; quare cum conditio servandi castitatem mutuam cohabitationem ad copulam excludat , redditur matrimonium nullum. Ita P. Sanch. ubi nuper num. 2. Gutierrez de matrim. disp. 82. num. 11. D. Covarr. de sponsal. part. 2. §. 1. cap. 3. num. 2. D. Gonçal. in presenti num. 8. in fin. Verum contrariae opinioni favere videtur sequens consideratio ; quia inter B. Virginem , & S. Josephum fuit verum , & perfectum matrimonium contractum ex communiori sententia DD. ut colligitur ; tum ex Matth. cap. 1. ibi : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; tum ex Lucae cap. 2.* ibi : *Ut profiteretur cum despontata sibi uxore prægnante ; tum etiam ex D. August. lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 1.* ubi inquit : *Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis , etiam servata pari consensu continentia , posse permanere , vocarique conjugium , non permixto corporis sexu , sed custodito mentis affectu ;* sed B. Virgo non consensit in carnalem copulam , quia cum fuerit yoto castitatis obstricta , teste eodem Augustino lib. de Virgin. & colligitur ex illis verbis Mariæ , (Luc. cap. 2.) *Quomodo fiet istud , quoniam virum non cognosco , vel saltem habuit propositum servandi votum virginitatis , cap. B. Maria 3. 27. quest. 2.* non potuit consentire in carnalem copulam ; siquidem virginitatem voventibus non tantum nubere , sed etiam nubere veile damnabile est , ut dicitur in cap. voventibus 4. dist. 27. & in c. nuptiarum bonum 41. 27. quest. 1. ergo ad valorem matrimonij non requiriatur consentus in copulam , adeoque matrimonium contractum

sub

sub conditione servandi castitatem irritum non erit.

12 Cui difficultati respondetur , contrahentes matrimonium necessariò consentire in copulam conjugalem implicitè , remotè , ac virtualiter , seu in radice , & causa , consentiendo videlicet in matrimonium , quod intrinsicè ordinatur ad copulam , seu consentiendo in mutuam corporum traditionem , per quam cuivis parti acquiritur jus ad copulam : non autem requiritur necessariò talis consensus in copulam ex parte contrahentium , cum possit contrahi matrimonium verum , etiam cum intentione non consentiendi expresse in copulam , quia sufficit ad matrimonium expresse consentire in jus , sive potestatem ad carnalem copulam , implicitè autem , & virtualiter in ipsam copulam ; P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 28. num. 3. ¶ 4. ubi distinguit duplē consensum implicitum in copulam carnalem ; unum *ex parte contractus* , alterum *ex parte contrahentis* , & docet , primum esse essentiale matrimonio ; non autem secundum : quare validum est matrimonium , etiam cum intentione , & proposito non consentiendi in copulam carnalem . Itaque B. Virgo consensit in copulam conjugalem , quoad potestatem , seu actum primum , non autem consensit , quoad actum secundum , seu actualem usum illius potestatis : nam quamvis Virgo Santissima , vi contractus matrimonialis cum Josephi verè initi , obligata fuerit ad reddendum debitum , si ille petierit ex altera tamen parte , revelante Deo , certò cognovit , ipsum nunquam debitum petiturum : ac proinde quia secura fuit , se nunquam votum suum violaturam , Deo ita volente , ac præcipiente , in conjugium consensit , non verò in actualem copulam expresse , ac directè , ut rectè explicat Eximius Doct. P. Suarez de vita Christi in 3. part. quest. 29. art. 2. disp. 7. sect. 1. in fin. Et in hoc sensu loqui videtur D. Augustinus in dict. cap. B. Maria 3. 27. quest. 2. dum dicit : Beata Maria committens Virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam , non illam appetendo , sed Divinæ inspirationi in utroque obedientio ; quod intelligendum est de consensu implicito in copulam quoad obligationem ex parte contractus , non ve-

ro de consensu implicito ex parte contrahentis quoad executionem; nam istum habere non potuit B. Virgo, cum votum castitatis Deo emisisset, ut docuit D. Thomas in 43 dist. 30. quest. 2. art. 1. questiunc. 2. ad 3. in illis verbis: *Virgo implicitè consensit in copulam; at copula numquam fuit in proposito, erat enim à Deo certificata, numquam subsequi debere.* Videndi sunt P. Sanchez ubi supra dict. num. 4. Basilius Poncius cod. tract. lib. 1. cap. 18. & 19. Nazquez in 3. part. disp. 125. cap. 6. & alij, quos refert D. Gonçal. in nostro text. num. 10.

13 Neque huic doctrinæ obstat testimonium Augustini ex lib. 19. contra Faustum, cap. 26. ubi ita loquitur: *Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quia non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat; quod nobis odiosum est.* Quibus verbis indicare videtur Augustinus, matrimonium nisi cum spe filiorum esse non posse; at qui B. Virgo nunquam procreandi liberos animum habuit, sed potius firmo proposito virginitatem servare instituit: ergo inter B. Virginem, & S. Josephum non potuit esse verum matrimonium. Non, inquam, obstat hac difficultas; etenim respondetur, illa Augustini verba non esse intelligenda de matrimonio rato, quale fuit matrimonium B. Virginis, & S. Joseph, sed solummodo de consummato, quod nullo modo datur, dum copula non præcessit. Quomodo accipiendus etiam est textus in cap. non est dubium 16. 27: quest. 2. in illis verbis: *Non est dubium, eam mulierem ad matrimonium non pertinere, cum qua commixtio sanguinis non docetur fuisse.* Aliter supra relata Augustini verba interpretatur Basilius lib. 1. de matrim. cap. 18. num. 2. dicens, S. Doctorem illis in verbis solum contendere contra Faustum, eam mulierem, quæ non ad matrimonij fidem, sed ad concupiscentiam habetur, dimittendam esse, non quod velit docere, omne matrimonium fieri sub expressa intentione liberorum, cum ad hoc satis sit celebrari, ut tradatur dominium corporis, quod ex se ad procreationem liberorum refertur, licet sine animo utendi conjugia, ut diximus num. ant. sed ut ostendat, ad fornicationem non posse fieri, & ad solum finem concupiscentiæ. Magis obstat alter

Au-

Augustini locus relatus in cap. aliquando 7. 32. q. 2. ibi:  
*Qui contrabunt eo animo, ut vel filios non suscipient, aut  
susceptos enecent, non habent connubium.* Ex quibus appar-  
ret, matrimonium contractum cum animo non suscipiendo  
filios, nullum esse. Verum respondeatur, D. Augustinum in  
eo capite agere de eo casu, in quo intentio deducta fuit in  
pactum, ut docet P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 29.  
num. 13. vel procedere, quando qui contrahit matrimo-  
nium, non solum intentionem non adimplendi, verum nec  
se obligandi habuit; quo casu recte dicitur, connubium nul-  
lum esse, quia, ut supra diximus, requiritur consensus  
saltē implicitus in copulam quoad obligationem contra-  
ctus, licet non quoad executionem contrahentis.

14 Sed adhuc non sumus in tuto, quippè Hiero-  
nimus, Ambrosius, Gregorius, & alij SS. PP. quos  
refert Eximus P. Suarez, *ubi supradic*, indicare videntur, ma-  
trimonium contractum inter B. Virginem, & S. Josephum  
non fuisse perfectum, contra Augustinum contrarium sen-  
tientem varijs in locis, tum lib. 23. contra Faustum, capit.  
8. tum lib. 1. de nup. & concup. cap. 11. tum etiam lib. 5.  
contra Julianum cap. 9. Verum ut hos Sanctos PP. in con-  
cordiam redigamus, prius observare licet, matrimonium  
esse Sacramentum perfectè significans unionem Christi cum  
Ecclesia per carnem assumptam in unione hypostatica Ver-  
bi incarnati, idque probatur ex cap. debitum 5. de bigam.  
non ordin. Ubi Innocentius III. definit, matrimonium ratum  
significare tantum conjunctionem Christi cum Ecclesia per  
charitatem, seu dilectionem, & juxta illud Apostol. 1. ad  
Corinth. cap. 6. *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum*  
*eo*, quæ unio saltē in particularibus membris Ecclesiæ  
subinde dissolvitur per peccatum mortale, ideoque etiam  
matrimonium ratum quandoque dissolvi potest. Consumma-  
tum verò significat mirabilem illam unionem Christi cum  
Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Joan. cap. 1.  
*Et verbum caro factum est*, & Pauli ad Ephes. cap. 5. *Sa-*  
*cramentum hoc magnum est*, ego autem dico in Christo, O  
*in Ecclesia*, quæ unio prorsus indissolubilis est, ideoque  
etiam matrimonium illud perfectè significans est omnino

indissolubile ; in eo enim verum est dicere , quod sunt duo in carne una , sicut in Christo Domino natura divina , & humana simul erant in eodem supposito. Hac præmissa observatione jam facile in concordiam rediguntur D. Hieronymus , Ambrosius , & alij SS. Patres cum M. P. Augustino. Hi enim , dum afferunt inter B. Mariam , & Josephum non fuisse perfectum connubium , loquuntur absdubio de perfectione accidental , quæ in significatione consistit. Certum enim est , quod in matrimonio Sanctissimæ Virginis nunquam fuit verum dicere , quod essent duo in carne una : quare illud matrimonium non potuit significare unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam , sed per charitatem tantum , quæ non est ita perfecta significatio. Augustinus autem loquitur de perfectione substantiali matrimonij , quæ in matrimonio rato reperitur etiam non consummato , imo tanto sanctius ; & perfectius est matrimonium , quanto à carnali commixtione alienum est , ut ex eodem Augustino refert Magister Sent. in 4. dist. 26. & docet Germon. lib. 2. animadv. cap. 2. videndi sunt P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 14. num. 5. Basilius eod. tract. lib. 1. cap. 19. num. 12. & 13. & duo Primarij Salmaticenses Doct. Balboa in cap. gaudemus 8. de divort. num. 49. cum seq. & num. 112. cum seq. D. Samaniego in tract. de prohib. succession. in Benefic. Eccles. cap. 2. num. 19.

15 Ex qua doctrina vera luce donatur textus in cap. non est dubium 16. 27. quæst. 2. in quo Pontifex indicare videtur , vel matrimonium sine concubitu non esse , vel saltem ante copulam esse imperfectum , & corporum commixtione perfici ; nam in eo textu solium indicatur , unitatem Christi cum Ecclesia perfectè repræsentari in conjugio consummato , non vero ante consummationem. Eodem modo venit interpretandus Leo Papa in cap. cum societas 17. ead. caus. & quæst. cuius verba referenda sunt ad significationem unionis hypostaticæ Christi cum Ecclesia ; ita ut sensus sit , quod sine commixtione sexum matrimonium non habet in se representationem unionis Christi cum Ecclesia : unde licet matrimonium ratum absque copula detur , est tamen imperfectum quoad significationem , ut

docuit Innocentius III. in cap. debitum 5. de bigam. non ordin. Quomodo accipiendo etiam sunt textus in cap. cum ini i. t r 35. cap. in omni 36. cum 2. seqq. ead. caus. Q quest. 2. junct. traditis à D. Gonçal. hic num. 10. Q in cap. 2. de convers. conjug. num. 6.

16 Similiter ex traditis *supra* num. 12. lucem accipit difficilis textus in cap. commissum 16. de sponsalib. ubi proponitur, quod cum quidam alicui mulieri fidem dedisset de contrahendo matrimonio, & infra biennium se per verba de praesenti illud contractorum juramento firmasset, postea privata lege ducetus ad frugem melioris vitæ transire desiderabat. Consultus Pontifex Alexander III. respondit, tutius esse ei, ut religione juramenti firmata, prius matrimonium contrahat: & postea si elegerit, ad Religionem transeat: dummodo post despousationem carnaли copula inter eos non intervenerit. Ex cuius textu decisione constat, non esse necessarium ad matrimonium consensum implicitum ex parte contrahentis in copulam quoad usum, & executionem; imo licet contrahens habeat intentionem non consentiendi in copulam, & validum, & licitum est matrimonium, ut colligitur ex cit. capite, quia ad matrimonij validitatem sufficit consensus implicitus in copulam ex parte contractus quoad obligacionem, ut cum P. Sanchez, & alijs latius diximus *dict. num. 12.* Desideratur ergo consensus determinatus ad matrimonium contrahendum, non autem requiritur explicitus, seu implicitus in copulam: nec etiam desideratur, ut contrahentes tempore contractus intendant tria bona, videlicet bonum prolis, fidem, & Sacramentum, sufficit enim ut contrarium non explicitè deducatur in pactum, seu conditionem. Sed adhuc ex praefato textu insurgit alia, eaque non levis difficultas. Nam aperti juris est, non tantum contractis sponsalibus de futuro, sed etiam matrimonio per verba de praesenti ante consummationem illius per copulam carnalem, permisum esse alteri contrahentium, etiam invito altero, Religionem ingredi, *cap. verum 2. cap. ex publico 7. de convers. conjug.* ergo minus recte Pontifex in eo textu rescribit, matrimonium prius contra-

hen-

hendum esse à sposo , quām is Religionem ingrediatur. Cui difficultati ( omisssis varijs solutionibus , quas rejicit P. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 43. num. 5.) respondendum est , quòd in casu prædicti textus , ille , qui sponsalia jura- mento promiserat , nullum votum fecerat ingrediendi Re- ligionem , imò nondum secum plenè deliberaverat , nec firmiter statuerat Religionem ingredi : & ex alia parte, ins- tabat tempus , quo juramentum obligabat ad contrahen- dum matrimonium , ideoque dixit Alexander III. tutius esse , ut prius contrahat matrimonium , nè incidat in per- jurium , post elapsum biennium , & contracto matrimo- nio , poterit adhuc post bimestre deliberare de ingressu Re- ligionis , ut colligitur ex illis verbis : *Et postea si elegit ad Religionem migrare* : Ita cum pluribus docet Primarius noster Doct. Balboa in cap. 3. de jur. jur. num. 69. Quod tamon intelligas procedere , nisi copula intervenisset ; nam tunc non posset sponsus , invita sponsa , Religionem ingre- di ; censeretur enim jam matrimonium esse per copulam contractum , & consummatum , ut indicant alia ejusdem textus verba : *Dummodo copula carnalis non intervenerit*: videndi sunt Doct. Graña in cap. 2. de convers. conjug. num. 7. ibidemque D. Gonçal. num. 10.

17 Hujus doctrinæ occasione illa anceps , & ele- gans quæstio exagitari potest , utrum ille , qui postquam sponsalia juravit , se voto castitatis adstrinxit , possit licetè , & absque peccato matrimonium contrahere cum sensu in copulam quoad obigationem contractus , sed sine consen- su in copulam quoad executionem , retento fimo animo ingrediendi Religionem ante consummationem ? Qua in quæstione nonnulli sentiunt sic contrahentem nullum pec- catum incurrire : Ita Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 53. art. 1. dub. 1. concl. 2. Cayetanus in summa , verbo *matrimonium* , cap. 1. Angelus eod. verbo , *impediment.* 5. num. 1. Sed vetior mihi videtur sententia afferentium , non esse licitum contrahere matrimonium , & eo animo contrahentem læthaliter peccare. Eaque probatur primo; quia qui se exponit periculo peccandi , graviter peccat , juxta illud Ecclesiast. cap. 3. *Qui amat periculum , peribit.*

*in illo; sed qui voto castitatis adstrictus contrahit matrimonium, exponit se manifesto periculo mutandi animum, & violandi votum Religionis: ergo peccat in contrahendo. Secundò, quia negari non potest, quominus aliquomodo derogetur dignitati voti castitatis, & Religionis, contrahendo matrimonium, cum absolute jure caustum sit, talia vota impedire matrimonium contrahendum, cap. consulfuit 4. cap. rursus 6. cum seq. Qui Clerici, vel voventes. Et voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnable sit, ut dicitur in cap. voventibus 4. dist. 27. ergo quia qui voto castitatis ligatus matrimonium contrahit, peccat lethaliter. Tertio, nam is, qui eo animo contrahit, videtur Sacramentum illudere, & gravem injuriam sponsæ inferre, quæ alías sciens animum non nupsisset, imo & eo modo cogitur innupta permanere, donec ipse profiteatur, & forsitan non levi nota afficeretur, cum multi, licet falso, suaderi possint eam ob aliquod vitium reflectam fuisse. Quare merito hanc sententiam tenuerunt Navarro in Manual. cap. 22. num. 73. Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 8. P. Sanchez lib. 1. eod. tract. disp. 43. num. 7. pluresque alij, quos refert, & sequitur D. Gonçal. in præsenti num. 12.*

18 Verum huic sententiæ graviter obsistit textus in dict. cap. commissum 16. de sponsalib. ubi dicitur, tuius esse ei, qui sponsalia juramento firmavit; prius matrimonium contrahere animo illud non consummandi, & postea Religionem ingredi: & tamen constat eum vovisse castitatem, ibi: *Privata lege ductus ad frugem melioris vita suspirat*; votum enim privata lex dicitur: ergo adstrictus voto castitatis contrahens matrimonium cum dissensu in copulam quoad executionem, non peccat. Sed hæc difficultas tanti non est, ut à proposita nos cogat discedere sententia. Respondetur enim, quod in ejus textus specie falso supponitur, votum Religionis emissum fuisse, ut indicant illa verba: *Et postea, si egerit, ad Religionem migrare*, quæ aperte denotant eum nondum vovisse, (F) imo nec animo firmasse Religionis ingressum, ut diximus num. ant. Neque obstat verbum illud, *privata lege*; nam per privatam

(F)

Huc cum  
perveniret  
oratio fa-  
ctum fuit  
signum  
recepui.

tam legem intelligitur instinctus Spiritus Sancti, qui in corde inscribitur, & privatim quosdam movet ad Religiosum statum. Idque confirmat textus *in cap. licet 18. de regularib.* ubi simile verbum reperitur, & Glossa ibi exponit *privata lege*, id eit, amore, & charitate Dei. At obijciet aliquis; quod quando B. Virgo cum D. Josepho matrimonium contraxit, voto castitatis erat adstricta, & illud celebravit sine consensu in copulam quoad executionem, ut per textum *in cap. B. Maria 3. 27. quæst. 2. probavimus supra num. 12.* sed affirmare, Beatissimam Virginem peccatum admisisse contrahendo matrimonium, hereticum est: ergo quia qui voto castitatis adstrictus matrimonium contraxit sine consensu in copulam quoad executionem, culpa caret. Cui difficultati varijs modis satisfacere intendunt Theologi, quos refert D. Gonçal. *in nostro textu num. 12.* Ex quorum sententia nos respondemus, concessa majori, & minori, negando consequentiam; nam votum castitatis, quod B. Virgo emisit, fuit factum sub conditione, nisi Deus aliud sibi placere revelasset, ut docet Angelicus Praeceptor 3. part. quæst. 28. art. 4. quare cum Deas, in cuius favorem emissum erat votum, revelasset per Angelum B. Virgini, ut matrimonium celebraret, cum D. Josepho, ut constat *Luca cap. 1.* non peccavit contrahendo absque intentione, & proposito in copulam quoad executionem, uti docent plures, quos refert, & sequitur meus Patrius magnus Illustr. D. D. Didacus Ecolano, Archiepiscopus Granatensis *de Magistra fidei, & Hæreses destruētice Deipara Virgine Maria, cap. 19. in princ.* Responderi etiam potest, quod quamvis votum B. Virginis non fuisset conditionale, seu absolutum, ut voluit Eximius Doct. P. Suarez *in 3. part. quæst. 18. disp. 6. seet. 2.* non peccavit contrahendo matrimonium, quia divina revelatione sibi constitut, matrimonium non esse consummandum, quo casu cum non se exposuisset periculo peccandi, nec levem culpam admisit, ut docuit P. Layman *lib. 5. Summae tract. 10. cap. 1. num. 3.*

19 Hactenus egimus de conditionibus contra substantiam, & naturam matrimonij adjectis, ut ipsum viuent;

tient; nunc verò agendum superest de conditionibus turpis, vel impossibilibus, quæ quidem rejiciuntur, & non scriptis habentur, ac proinde remanet purum, & validum matrimonium propter ipsius favorem, ut inquit noster textus in secunda parte. Idque confirmat Gregorius IX. exemplo ultimatum voluntatum, quarum favore jus Civile (cujus studijs ab ineunte ætate deditus fuit Pontifex noster) introduxit, ut rejectis conditionibus impossibilibus, paræ, & validæ minorerent, §. *impossibilis* 10. *Inst. de bæred.* *inst. leg. obtinuit* 3. ff. *de cond.* & dem. cum similib. Secus est in alijs contractibus, in quibus conditio turpis, vel impossibilis vitiat contractum, §. *impossibilis* 10. *Inst. de inutil. stipul. leg. impossibilis* 7. *leg. 137.* §. 6. ff. *de verb. oblig. cum vulg.* Quæ quidem pars nostri textus difficillima visa est tum Theologis, tum etiam juris utriusque Interpretibus. Et merito quidem, nam incomerto est, matrimonium esse contractum, qui constat duorum voluntate, seu consensu; conditio autem turpis, vel impossibilis ex se importat dissensum, ideoque contractus sub impossibili conditione celebrati nulli sunt; in ea enim re, quæ duorum pluriumvè consensu agitur, omnium voluntas expectatur, quorum proculdubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existimat, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem, *leg. non solum* 31. ff. *de obligat.* & act. ut ita totus contractus nullus sit ex defectu consensus, non vero deleatur conditio: ergo similiter matrimonium sub impossibili, vel turpi conditione celebratum, erit nullum ex defectu consensus, maximè cum Princeps, aut Ecclesia non possit supplere aliquid de consensu ad matrimonium requisito, sicut lex potest in cæteris contractibus.

20 Quare pro percipienda mente nostri textus in secunda parte, torquentur valde Interpretes, ut videre est ex traditis per P. Sanchez, lib. 5. de matrim. disp. 3. ubi à num. 2. septem tradit opinandi modos, ex quibus verior mihi videtur ille, quem num. 18. assignat, nempe quod omnes fidèles, dum Sacraenta recipiunt, censentur ea recipere juxta intentionem Ecclesiarum; adeoque dum matrimonium ineunt, & sciunt conditionem adjectam esse tur-

pem;

pem, vel impossibilem, eamque ab Ecclesia non solum rejici, & pro non adjecta haberri, sed potius Ecclesiam præsumere consensum esse purum, & absolutum, videntur velle pure contrahere juxta intentionem, & præsumptionem Ecclesie. Ex quo fit, Ecclesiam non supplere consensum in matrimonio requisitum, ( neque enim posset, ut latè probat idem P. Sanch. lib. 2. de matrimon. disp. 27.) sed in dubia, & conjecturali causa, pro consensu, & validitate matrimonij præsumere, conditionemque, tanquam ex errore, aut inconsulto adjectam reputare, idque in favorem matrimonij, pro cuius valore indubio semper judicandum est, cap. ultim. de sent. O re jud. cum enim vertatur periculum animæ, nè fortè separantur, qui legitimè conjuncti sunt, & alijs conjungantur matrimonij, Ecclesia eligit in dubio, quod animæ tutius eit. At in cæteris contractibus extra matrimonium non vertitur periculum animæ ex eorum annullatione ob appositionem conditionis turpis, vel impossibilis: & in hoc consistit favor matrimonij, cui innititur decisio nostri textus in secundo responso. Quo etiam fit, ut licet conditio turpis in ultimis voluntatibus remittatur Jure Civili Romanorum contra voluntatem testatoris, & in ejus odium, ut docet Larriategui lib. 7. select. cap. 4. num. 1. O ult. in matrimonio tamen ex Jure Pontificio utraque conditio & turpis, & impossibilis, ex voluntate præsumpta contrahentium, dicatur haberri pro non adscripta. Quod tamen intelligas velim, nisi constet, contrahentes non aliter se obligare voluisse, quam si conditio eveniat; tunc enim ex defectu consensus matrimonium sub conditione turpi, vel impossibili celebratum nullum judicabitur, D. Coyarr. in 4. decretal. p. 2. cap. 3. §. 2. num. 4. O 5. Ratio est, quia, ut supra dictum est, conditiones turpes, vel impossibiles à matrimonio rejiciuntur, & pro non adscriptis habentur, eo quod Ecclesia in dubio præsumat, eas non scienter, & ex animo, sed per errorem adjectas fuisse at quando de mente contrahentium aliter constat, cessat hujusmodi præsumptio, cum in certis nullus sit præsumptioni, seu conjecturæ locus, leg. 137. §. 2. in fin. ff. de verb. obligat.

21 Cæterum hæc secunda nostri textus pais dubia reddi videtur ex decis. *text. in cap. 1. de sponsa duor;* ibi enim dicitur, quod si quis alicui mulieri fidem dederit passionis, non debet aliam ducere: & si aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide non servata; manebit tamen cum illa, quam duxit, cum non debeat rescindi tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet ei aliam ducere, quod si duxerit, dimittat illam, & adhæret priori. *Glossa in eo textu,* verbo: *si permiserit*, explicat quid intelligatur per fidem passionis, & quid per fidem consensus: & inquit, quod est fides passionis, quando aliquis promittit alicui mulieri, quod eam ducet in uxorem, *si permiserit ipsum rem secum habere.* Fides autem consensus, quando, & si non stringit manum mulieris, corde tamen, & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt, ac suscipiunt. *Ex cuius textus hypothesi insurgo sic:* sed conditio illa *si permiserit ipsum rem secum habere*, turpis est, ut per se patet: ergo conditio turpis matrimonio adscripta non rejicitur, cum actus maneat conditionalis. Cui difficultati ut satisfaciat Magn. Cujacius *in eo textu*, afferit; conditionem illam honestam esse, quia ea verba ita accipienda sunt, *si permiserit cum rem secum habere*, vel etiam pro consensu, id est, vel in hoc, ut qui post sponsalia sequitur concubitus, atque congressus, etiam sit pro fide consensus, sive pro matrimonio præsumpto, ut in *cap. is, qui 30. de sponsal.* pro consensu nuptiali, pro consensu obsequente rationi, non libidini. Cui expositioni consentit Bastilius *lib. 2. de matrim. cap. 12. num. 3.*

22 Sed hæc expositio mihi placere non potest; quia illa conditio, & si referatur ad coitum, seu copulam licitam, & legitimam, non potest non esse turpis. Quod hac irrefragabili ratione ostendam. Nam quilibet actus conditionalis, cum purifetur, & perfectionem accipiat ex eventu conditionis, posterior debet esse ratione, & natura conditionis eventu; itaque prius est adimpleri conditio nem, quam perfici contractum: unde, si prius adimpleatur conditio, præcisè erit turpis; quia copula, vel consensus in copulam solum licet post perfectum matrimonium:

ergo nullo respectu talis conditio potest esse honesta. Rursum; nam eò inquit Cujacius , illam conditionem honestam esse , quia referunt ad concubitum , & congressum , qui habendus est pro fide consensus , vel pro matrimonio præsumpto ex d. cap. 15. qui 30. de sponsal; sed hoc dici nequit; alias enim sponsalia manerent pura , nihil operante conditione , tanquam inserta , & intrinseca ipsi actui : ergo ea conditio in hunc sensum non reddit actum conditionalem , cum non alio modo videatur adjecta , quam eo , quo inest actui. Ulterius ; quia licet copula subsequuta sponsalibus faciat matrimonium , cum ex ea præsumatur consensus antea præstitus , non tamen licet contrahentibus copulam in conditionem deducere , ut ita actus maneat conditionalis. Patet ; nam vel intelligunt de copula ante matrimonium , ut petit natura conditionis , & ita conditio est turpis , ac ut talis rejici debet , manente actu puro. Vel intelligunt de eadem copula præstito ante eam consensu , & si hoc dicatur , non potest conditio suspendere , cum eodem modo apponatur , ac tacite inest ipsi actui ; seclusa enim tali conditione , idem esset. Quare hac omissa solutione , verius respondendum est , in d. cap. 1. de sponsa duor. sponsalia fuisse conditionalia , quoniam illa conditio si permiserit rem secum habere , refertur ad copulam statim post matrimonium initum , adeoque non est intrinseca , quia alio modo censemur apposita , quam jure insit : jure enim post contractum matrimonium datur bimestre ad consummandum : at ea conditio intelligitur , si statim inito matrimonio copiam sui fecerit : Ita P. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 16. number. 3.

23 Quibus sic anivadversis , ut prælectioni nostræ ultimam imponamus manum , his , quæ pro dubitandi rationibus supra adduximus , supereft respondendum. Non obstat igitur prima ratio deducta ex cap. insinuante 7. Qui Clerici , vel vocentes , cui respondetur , repugnare Professioni Regulari conditionem contra ejus substantiam : unde cum reservatio retinendi proprium sit contra substantiam Religionis , eo quod status Religiosus constet essentialiter tribus votis , juxta D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. & 2. seq. con-

conditio contra abdicationem proprietatis nullam efficit professionem. Quare in eo textu non habetur, conditionem adiectam fuisse manendi in domo cum propria substantia, quoad proprietatem, & dominium, sed quoad usum, ita ut ex licentia Prælati posset mulier illa retinere usum, seu usufructum ipsius substantiae, dependentem tamen à voluntate Prælati, quod non est contra substantiam status Religionis, ac proinde talis professio valet, nec conditio, seu pactum tale rejicitur. Secus esset, si professio fuisse celebrata sub ea conditione, vel pacto, ut sibi liceret acquirere, vel retinere bona immobilia tanquam propria, & indepen- ter à voluntate superioris; tunc enim talis professio foret nulla, & irrita, quippe contra essentiam, & substantiam Religionis, & omnino repugnans voto paupertatis, ut docet P. Sanchez lib. 5. in præcepta Decalog. cap 5. num. 97. & lib. 7. de matrim. disp. 25. num. 21. quidquid in contrarium cum aliquibus antiquioribus sentiat Fagnanus in cap. cum in Ecclesijs 10. de major. & obed. num. 9. Neque huic solutioni obstat, quod conditio adjecta à nobili muliere in d. cap. insinuante fuit, ut cum omni substantia in domo maneret; quo verbo non tan usus, quam patrimonium quoad dominium, & proprietatem intelligitur, juxta illud Lucæ cap. 15. *Et divisisti illis substantiam.* Nam verbum illud sumitur impropiè pro usufructu, id est pro usu, & commoditate substantiae ante Monachatum, prout ibi explicat Glossa, verbo: *ut in domo.* Alter p̄fatum textum interpretatur D. Gonçal. in ejus notis numer 6. in fin.

24 Non item obstat primum augmentum ipsius dubitandi rationis num. 4. expensæ ex cap. B. Maria 3. 27. quest. 2. Cui difficultati, ut respondeant plures, quos refert, & sequitur Basilius lib. 3. de matrim. cap. 21. à num. 6. afferunt, conditionem de evitanda copula, sive ex pacto, sive ex voto procedat, non esse contra substantiam matrimonij; eò quod non requiratur consensus ad copulam. Itaque existimant perfectum fuisse matrimonium inter B. Virginem, & S. Josephum. Sed licet hæc sententia non caret probabilitate, mihi longè verius est, Beatam Virginem,

licet certum sit antea vovisse castitatem, non tamen eam deduxisse in pactum, seu conventionem tempore conjugij, cum esset divinitus certa, Josephum in eodem esse castitatis, & continentiae proposito; & ita quamvis antea vovisset virginitatem, consentit tamen in conjugalem cohabitatem, & implicitè in omnia, quæ ad matrimonium expectant, non autem in actum copulæ, sed in jus, & potentiam ad illam, qui quidem consensus in nihilo contrariatur virginitati, ut explicat D. Thomas in 3. sent. dist. 30. q. 2. art. 1. & ratio est, nam licet tempore contrahendi matrimonium non sit necessarius consensus expressus in copulam, necessarius tamen est ad mutuam expresse corporum traditionem, sub quo tacite includitur consensus mutuus ad vinculum perpetuum conjugij, fidem servandam, & carnalem commixtionem, ut latius diximus *suprà num. 12.* Itaque B. Virgo, & S. Joseph non contraxerunt cum ea conditione, sed absolute, & verè consentientes in jus, & potentiam suorum corporum, quamvis uterque haberet propositum servandæ virginitatis. D. Covarr. 2. p. de *sponsal.* cap. 3. §. 1. num. 4. Sanchez lib. 5. de *matrim.* disp. 10. num. 7. Et ad confirmationem hujus dubitandi rationis satis jam responsum est *suprà num. 10.*

25 Similiter assertioni nostræ non refragatur difficultas *ex cap. aliquando 7. 32. quest. 2.* Cui solet responderi, in eo textu matrimonium validum fuisse, quia conditio apposita fuit ab uno tantum contrahente, quare non potuit vitiare, *argum. text. in cap. 1. de reg. jur. in 6.* Ita Innocentius, Hostiensis, & alij, quos refert P. Sanchez ubi nuper, *disp. 13. num. 1.* Verum hæc solutio displicet; tum quia ubi non est mutuus contrahentium consensus, non est matrimonium; sed in eo textu non potuit mutuus intervenire consensus, cum apposita fuissest conditio contra substantiam ex parte unius contrahentis: ergo debuit vitiari matrimonium ratione conditionis: tum etiam, quia varietas in consensu virtut contractum, ut si alter pure consentiat, alter sub conditione *leg. 1. §. 3. ff. de verb. obligat.* Quapropter idem P. Sanchez *dict. disp. 13. num. 2.* illum textum intelligit non de conditione expressa, sed tan-

tantum de ea in mente retenta, quam existimat non vitiare matrimonium. Neque obstat, quod conditio contra substantiam etiam mente retenta vitiet matrimonium, eò quod cum ea non potest stare animus, & consensus ad matrimonium necessarius, ut latè fundat Basilius lib. 1. de matrim. cap. pen. Nam discrimen constituendum est inter casum, quo quis matrimonium contrahit intentione implicita mente retenta adversus bonum Sacramenti, ut si quis matrimonium nonnisi ad tempus contrahere intendit; & inter casum, quo quis intentione interna, & non in pactum deduxit, contraria tamen bono prolis, aut fidei celebrat matrimonium, nimis si intenderet matrimonium contrahere cum animo vitandi prolem, seu adulterium committendi. Primo casu matrimonium invalidum est, quia repugnat ejus substantiae talis intentio. Secundo autem vim, atque effectum obtinet, ut sentire videntur D. Thomas, & Bonaventura in 4. art. 1. quest. 3. qui docent sine bono Sacramenti nunquam matrimonium dari, consistere tamen posse sine fide, & prole: docet P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 19. num. 11. Cum ergo in dict. cap. aliquando 7. conditio mente retenta bono prolis tantum adversetur, ideo matrimonium substatetur. Et quamvis textus in priori parte dicit, non esse conjugium, & misceri meretrici, non conjugi intelligitur, non quia non sit verum matrimonium, sed quia faciunt contra jura conjugij.

**26** Cæterum si haec vobis non arrideant, responderi potest, in eo textu duplicum casum proponi: alius est quando matrimonium ab initio pure fuit contractum, & ita statim validum, sed postea vel ambo conjuges operantur, ne foetus concipiatur, aut conceptus fundatur, aut jam formatus extinguitur, & ita conjuges non sunt, id est, jura conjugij non observant, sed adulteri sunt reputandi, ut explicat ibidem Glossa, verbo *conjuges*; vel non ambo, sed unus tantum ita operatur, tunc iste non servat jura conjugij, quod si vir fuerit, habet se ad modum adulteri; si autem uxor, habet se ad modum meretricis. Alter casus est, quando ab initio matrimonium contractum fuit sub conditione procurandi venena sterilitatis, tunc inquit textus

nullum esse matrimonium , cum ita conjuges non sibi per connubium , sed per stuprum potius convenienterent. Et licet D. Augustinus (cujus est textus ille) in hoc casu loquatur, quando ab initio ambo contrahentes præfatam conditionem apposuerunt , absdubio tamen idem responderet, et si ex parte unius tantum apposita fuisset: Ita Adrianus in 4. quæst. 3. de matrim. dub. 9. ad finem , Basilius lib. 3. d. matrim. cap. 12. num. 9. Nec etiam obsistit difficultas num. 5. desumpta ex cap. Diaconi 8. dist. 28. cuius facilis est solutio , si respondeas, conditionem ducendi uxorem non esse contra substantiam facti Ordinis , sed contra præceptum Ecclesiæ ; alioquin non liceret in Ecclesia Græca post matrimonium contractum sacros Ordines suscipere, & uti matrimonio antea contracto , contra textum in cap. cum olim 6. de Clerie. conjug. cum alijs , ut tradit P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 18. num. 4. & 5. D. Covarr. de sponsal. 2. part. cap. 3. §. 1. num. 19.

27 Neque etiam reluctatur difficultas num. 6. deducta ex leg. in rebus 4. §. item fin. cum leg. seq. ff. de precario. Pro cuius solutione scire oportet , principijs Juris Civilis consentaneum esse , ut pactum illud , quod contra substantiam contractus adjicitur , ut ipsius pars , & accessio sit , destruatur , contractu interea valido permanente , ut videre licet in societate , qua in æternum oriri non potest , leg. nulla 70. ff. pro socio , leg. 13. §. 2. ff. commun. divid. sed si post eam celebratam pactum in continenti apponatur , ut ab ea nunquam discedatur , nullum est pactum , leg. 14. ff. pro socio ; quia subsistere nequit manente societate , nec alium novum contractum format , in quem prior transferatur : docet D. Barbos. in leg. 26. §. fin. ff. solut. matrim. Ex eadem ratione procedit , quod cum substantia depositii in eo confusat , ut res petatur , cum deponenti liberetur , si in continenti pactum adjiciatur , ut nonnisi post certum tempus res deposita reddatur , inutile est , leg. 1. §. 45. ff. de positi. Eadem est conditio precarij , contra quod si paciscatur , ut nonnisi post certum tempus petatur , inutile est conventio , leg. cum precario 12. ff. de precario: Barbos. in leg. 33. ff. solut. matr. num. 19. Duaren. ad tit. de

*de precario, cap. 3.* Pichard. *ad princ. Inst. de donat.* à n. 16. D. Gonç. in *cap. fin. de precarijs*, ex num. 8. Sed si virtute pacti novus alius contractus potest efformari, pactum inutile est, sed resoluto priori, novus contractus constituitur. Quare si in deposito, commodato, & mandato, qui gratuiti contractus sunt, convenerint, ut merces praestetur, novus locationis per pactum efformatur contractus *leg. 1. §. si vestimenta 8. & 9 ff. de positi, leg. 5. §. 2. ff. mandat. §. fin. Inst. cod. tit. Pinel. lib. 2. select. cap. 6. num. 29.* & D. Gonçal. in *nostro textu*, num. 8. Verum huic doctrinæ graviter obstare videtur textus in *dicit. leg. cum precario 12. ubi*, si, cum precatio aliquid daretur, convenisset, ut ad certum tempus re uti licet, pactum inutile est; sed in hoc casu potuit novus commodati contractus resultare, qui ad differentiam precarij, ad diem rectè celebratur, *leg. 17. §. 3 ff. commod.* ergo indistincte pactum adjectum contra substantiam contractus inutile est, sive novum alium contractum formare possit, vel non.

28 Cui difficultati respondetur, tunc deum pactum adjectum contra substantiam contractus in negotium aliud transire, quando nec verba, nec contrahentium voluntas id impediunt. Nam si priorem contractum permanere voluerunt, & simul pactum contra ipsius substantiam, primus contractus manet, & pactio insuperhabetur, ut accidit in *dicit. leg. cum precario 12.* ubi pactum adjectum fuit contra substantiam precarij, sed eo intuitu, ut precarium etiam subsisteret, quod patet ex verbis conventionis, ibi: *Ut in Kalendas Iulias precario possideas.* Qua de causa rejiciendum pactum merito Celsus affirmat, cum nec in esse possit contractui, quia adversatur ejus essentiæ, nec novum contractum formare, quia contrahentes anteriorem permanete voluerunt. Quam quidem sententiam conceptis verbis expressit Ulpianus in *leg. si peculium 6. §. si fuerit. 1. ff. de pecul. legat.* in qua adjectio contra substantiam legati adhibita, ne scilicet æ alienum detrahatur, non vitiat legatum, sed ipsa vitiatur, & pro non adjecta censetur: docent D. Gonçal. in *cap. fin. de precarijs*, num. 8. Larriategui lib. 1. select. cap. 5. Videndi sunt D. Covarr.

*de sponsal. 2. part. cap. 3. §. 1. num. 17. ¶ lib. 3. var. cap. 15. Gomez lib. 2. var. cap. 7. num. 1. ¶ cap. 10. num. 15. P. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 9. num. 1. ¶ 14. Nec contrarium probatur ex dict. leg. in rebus 4. §. item fin. cum leg. seq. ff. de precario; quia ibi de viribus pacti nulla erat dubitatio, nec illud substituisse decidunt Consulti, immo ex suppositione iuris pacti, quae sit Ulpianus in dict. §. item fin. an transacto tempore, quo a principio precario accipiens, rogabat, postea precario possideret? Decidit, & recte, precario possidere; quia adhuc voluntas domini concedentis durat: Intelligitur enim dominus, cum patitur, eum, qui precario rogaveris, possidere, rursus precario concedere. Eamdem ideam sequutus Pomponius in leg. seq. inquit, si accipiens, manente adhuc precario, in ulterius tempus rogaverit, an continuetur precarium. Et prorogari ait, non quia dies, seu nova dilatio temporis precario insit, sed quia ex nova diei adjectione animus domini elicitor prorogandi precarium, non usque in diem præfixum; sed usque quo ipse voluntatem mutaverit juxta propriam essentiam precarij, quam diei adjectio alterare non potuit. Cæterum si dominus conventionis fidem servaverit voluntarie, non coacte, per lapsum diei solvitur ipso jure precarium dict. leg. cum precario 12. quia in illum usque diem præsumitur voluntatem domini durare, qui libenter pacti fidem servavit. Quare extincto precario per diei lapsum, ex nova domini concessione novum constituitur, dict. leg. 5. in fin. ff. de precario, ad differentiiam precarij sine ulla temporis præfinitione, quod non finitur; nisi a concedente revocetur: Ita P. Pirthing. ad tit. de precarijs, §. 2. num. 6. D. Gonçal. in cap. fin. eod. tit. num. 8. in fin. Basilius lib. 3. de matrim. cap. 10. num. 7.*

29 Minus obstat difficultas deducta ex leg. in nævem 31. ff. locati, cui sit satis dicendo, verum esse locationis substantiam in eo consistere, ne dominium rei locatae in conductorem transferatur. Nec contrarium decidit Alfenus in eo textu; ibi enim minimè agitur de locatione fūmenti; cum sit res, quæ usu consumitur, & ita locatio

in eo consistere nequit, sed tantum agitur de facto, & opera vehendi, quæ unicè locata fuit, & id principaliter actum fuit inter contrahentes: Nec frumenti dominium in Sausejum conductorem translatum fuit virtute locationis, sed ratione commixtionis ex voluntate domini tradentis factæ cum cæterorum frumento, quod Sausejus transportandum recepit, argum. leg. si alieni 78. ff. de solutionib. quod non adversatur substantiæ locationis; siquidem per consequentiam, & occasione operæ locatæ id contingit; quo sensu rectè apud Alfenum dicitur, in creditum iri: & illa verba duo esse genera rerum locatarum, de materia remota, non proxima debent intelligi. Quam solutionem indicant Consulti in leg. item 22. §. cum insulam 2. ff. locati, junct. leg. redemptores 39. ff. de rei vind. ut rectè docet Primarius noster Illustr. D. Doct. D. Didacus de la Serna, in Academ. ad titul. de locato, & conduct. cap. 2. num. 5. Difficiliores nexus habent textus in leg. Lucius Titius 24. leg. Publia 26. §. 1. ff. depositi, pro quorum illustratione videndi sunt Cujacius lib. 9. qq. Papin. in d. leg. 24. & D. Latrea tom. I. decif-granat. disp. 14. per tot. Nec tandem contra eandem nostri textus partem obstat textus in leg. ubi ita donatur 27. ff. de mort. caus. donation. Cui facile ex dictis supra num. 27. respondetur, nam cum conditio, de qua in eo textu, repugnet donationibus causa mortis, fit translatio ad donationem inter vivos. Quod ita procedit, nisi donatio fiat inter personas, quibus donari prohibitum est; nam tunc nec ut talis valebit: sicut & prorsus inutilis est, quando mortis causa donatur inter virum, & uxorem ea conditione, ut nullo casu revocetur; nec enim donatio mortis causa valet propter conditionem, seu legem substantiæ talis donationis contrariam, nec ut inter vivos, prohibente juris ratione, ut dicitur in d. leg. ubi ita 27. in fin. doceat D. Retes de donat. inter vir. cap. 8. num. 16. & lib. I. opusc. cap. 18. num. 1. & 2. Cujac. lib. 10. qq. Papin. in leg. si vir 52. ff. de donation. inter vir. videndi sunt Basilius lib. 3. de matrim. cap. 10. num. 5. & D. Gonçal. hic num. 8.

30 Similiter non obstat secunda dubitandi ratio adversus secundam nostri textus partem num. 7. expensa ex leg.

*leg. non solum 31. ff. de oblig.* & act. cum alijs. Cui diffi-  
culti, si jam commodam ex dictis in præmissis num. 20.  
solutionem non accepit, majoris claritatis, & doctrinæ  
gratia modò respondemus; faterim enim verum esse, con-  
ditionem impossibilem ex sui natura potius indicare dissensi-  
sum in contrahentibus, quorum proculdubio in hujusmodi  
actu talis præsumitur cogitatio, ut nihil agi existimat,  
apposita ea conditione, quam sciunt evenire non posse, d.  
*leg. non solum 31.* Alt in contractu matrimonij aliter judi-  
candum est; nam supposita constitutione Ecclesia talem con-  
ditionem detrahentis, & indicantis consensum esse purum,  
suppositaque ejus notitia in contrahentibus, non est du-  
biu[m] de consensu contrahentium. Nam stante ea scientia,  
ceasentur contrahere juxta intentionem Ecclesiae; adeoque  
dum matrimonium contrahunt, & sciunt conditionem  
esse turpem, vel impossibilem, eamque ab Ecclesia rejici,  
& pro non adscripta haberet, præsumit Ecclesia contra-  
hentes pure, & absolute consensisse, nisi aliter suam inten-  
tionem explicit: ita P. Sanch. lib. 5. de matrim. disp. 3.  
num. 18. Secus est in cæteris contractibus, à quibus cum  
Ecclesia non excludat conditionem impossibilem, ea indi-  
cat dissensum; non enim ita favorabiliores sunt ceteri con-  
tractus, ac matrimonium.

31 Sed huic doctrinae graviter obsistere videtur  
textus in leg. cum bæres 4. §. non est 1. ff. de stat. liber. ex  
quo constat conditionem difficilem ultimas vitiare disposi-  
tiones, quibus adjicitur, eo quod jus præsumit dissensum.  
Ibi enim habetur, quod libertas servo relicta sub condi-  
tione, si millies heredi dedisset, inutilis est ex defectu vo-  
luntatis: si ergo difficultas, & impossibilitas non absoluta,  
sed impropria, & secundum quid indubitatum signum est  
dissensus: à fortiori impossibilitas propria, & absoluta  
index erit dissensus, & consequenter quemadmodum præ-  
fata conditio inutilem reddit libertatem, quæ omnibus  
rebus favorabilior est, leg. 39. §. 1. ff. de fideicom. libert.  
ita & matrimonium, quantumcumque favorable sit, nul-  
lum reddere debet. Cui difficultati respondetur, quod  
ideo in dict. leg. cum bæres 4. §. non est 1. conditio illa dif-  
fici-

ficilis vitiosam reddit libertatem , quia testatori non fuit animus dandi libertatem , sed potius ludendi , & jocandi , prout contingit etiam in duobus sequentibus casibus à Consulto relatis , veluti si servo in tan longum tempus libertas relictā fuit , ut eo tempore , is qui manumissus est , vivere non posset , vel cum moreretur , juxta leg. libertas 17. Q uod ult. ff. de manum. testam. Amaya lib. 2. obseruat . cap. 11. num. 15. Quin obstat textus in leg. Aresusa 15. ff. de stat. hom. leg. is ita 41. §. sed si 1. ff. de manum. testam. leg. stibicum 39. §. pen. ff. de stat. liber. quia in eis libertas relictā fuit sub conditione , si bæredi mille dedisset ; hæc enim conditio , sicut etiam conditio dandi decem milia , possibilis reputatur , & à servo ex cognitorum , aut amicorum auxilio implebilis : ideoque libertati non obstat , nec defectum voluntatis inducit. At matrimonium cum ex Christi Domini institutione elevatum sit ad esse Sacramenti , non est credendum contrahentes ad illud celebrandum accedere ludendi , & jocandi animo , cum vel in perfido , & scelerato viro prælumi non debeat animus ita irrisorius Sacramentorum.

32 Denique assertioni nostræ non obloquitur *textus in leg. filius 15. de condit. instit.* ubi conditio turpis apposita in institutione filij non emancipati vitiat institutionem , neque habetur pro non adjecta : ergo & conditio turpis adjecta matrimonio illud vitiare debet , cum ad instar se habeat ultimarum voluntatum. Pro cuius solutione dicendum est , conditiones turpes tan in contractu matrimonij , quam in ultimis voluntatibus pro non scriptis haberi ex juris dispositione , & de matrimonio , ita constitutum est in secunda parte nostri textus , habeturque etiam in leg. 6. tit. 4. part. 4. at in testamentis , sive hæreditis institutione , sive legatis , sive fideicommissis eas rejici constat ex leg. *conditiones 9. leg. conditiones 14. ff. de condit. instit. leg. non dubitamus 20. ff. de condit.* Q uod demonstr. Itaque , ut rectè tradit Duarenus ad titul. de condit. instit. cap. 4 interpretatione quadam juris pro impossibili habetur conditio turpis , quamvis re vera non sit impossibilis ; si quidem natura impedimento non est , quominus existat , est autem

autem impedimento lex , & boni mores. Et ita sicut favore matrimonij , & ultimæ voluntatis rejicitur conditio impossibilis per naturam , rejicitur etiam conditio impossibilis de jure , id est , turpis. Unde in dict. leg. filius 15. ideo ea conditione vitiatur institutio , non quod illa impossibilis sit , sed quia non pendet ex potestate filij , cuius personæ adscripta est in testamento. Constat enim , filium familias nonnisi pure , vel sub conditione potestativa rectè heredem institui posse , leg. suus quoque 4. ff. de bared. inst. leg. fin. ff. de cond. inst. cum vulg. apposita autem illa conditione , quæ in jure impleri non potest , non potest intelligi institutus sub conditione potestativa , qui etsi maximè velit conditionem implere , legibus prohibitus invenitur , quandoquidem id tantum posse dicimus , quod de jure , & honestè possumus , leg. nepos 125. ff. de verb. signif. quæ vero contra leges , & bonos mores fiunt , nec facere nos posse credendum est , ut præclarè scriptum est à Papian. in dict. leg. filius 15. Cum ergo conditio turpis non sit conditio potestativa , omnino vitiare debet ex defectu formæ institutionem filij sui heredis ex regula dict. leg. suus 4. ff. de bared. inst. cum simul. Accedit , quod remissio turpis conditionis contra voluntatem testatoris , & in ejus odium fiat , leg. 9. O 14. ff. de cond. inst. majori autem odio dignus est pater , cui filiorum recta educatio incumbit , princ. inst. de jur. natur. si , adscripta conditione turpi , filium invitet ad delinquendum : ut ita , quamvis conditio turpis remitti soleat in ultimis dispositionibus , non ita obtineat in patris testamento , sed omnino vitiet institutionem , arg. leg. 22. §. fin. ff. ad leg. Jul. de adult. Videndi sunt Cujac. lib. 16. quest. Papin. in dict. leg. filius 15. noster Valent. tract. de liber. O postb. cap. 5. num. 5.

O 6. Larriateg. lib. 7. select. cap. 4. num. 1.

D. Ortega ad Labeon. in leg. fin. ff. de stat. liber. sect. 2.

num. 14.



NOVA

# NOVA ELUCUBRATIO

## A D

*TEXT. IN CAP. PERNICIOSUS 13. DE CELERRAT.  
Missar. & Sacramento Eucharistie.*

HONORIUS III. ARCHIEPISCOPO ABLASEN.

*Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus , vi-  
delicet quod in majori quantitate de aqua ponitur  
in Sacrificio , quam de vino. Cum secundum ra-  
tionabilem consuetudinem Ecclesiae generalis plus  
in ipso sit de vino , quam de aqua ponendum.  
Ideoque fraternitati tuae mandamus , quatenus  
id non facias , nec in tua provincia fieri pa-  
tiaris.*



X quibus verbis sequentem de-  
ducimus illustrandam assertio-  
nem : *Vino de vite , quod est  
materia necessaria necessitate Sa-  
cramenti ad consecrationem Ca-  
licis , admisceri debet aqua in  
quantitate modicissima. Quam  
assertionem probant textus in  
cap. cum Martha 6. §. quæsiuisti , cap. in quadam 8.  
cap. literas 14. hoc titul. cap. in Sacramentorum 1. cap.  
sic in sanctificando 2. cap. scriptura 3. cap. non oportet 4.  
cap. in Sacramento 5. cap. cum omne crimen 7. de consecr.  
diff. 2. Ex Concilijs comprobant Concilium Aurel. 4. can.  
4. Hippo. can. 25. Altissiod. can. 8. African. can. 4. Car-  
thag. 2. can. 24. Florentin. in Decret. Eugenij §. tertium  
est. Trident. Sess. 22. de sacrif. Missæ , cap. 7. cum alijs  
late congregatis à D. Gonçal. in præsenti , num. 1. Exornant  
ultra relatos à Doct. Graña in cap. fin. hoc tit. num. 1. An-  
gez*

gelicus Praeceptor 3. part. quest. 74. art. 6. & 7. ad 1. D.  
Cyprian. lib. 2. epist. 63. ad Cœciliūm, D. Ambrosius lib.  
4. de Sacram. cap. 4. D. Hieronym. in Marcum, cap. 14.  
P. Vazquez 3. part. in 3. part. disp. 177. cap. 2. Eximius  
Doct. P. Suarez in 3. part. de Sacrament. disp. 45. sect. 1.  
& 2. Toletus lib. 2. Summa, cap. 25. P. Henao de Eucha-  
rist. disp. 4. sect. 2. Cardinal. de Lugo cod. tract. disp. 4.  
Leander de Sacram. tratt. 7. disp. 8. quest. 48. P. Pirhing.  
ad hunc tit. §. 1.n. 13. apud quos, & plures alios invenietis.

2 Verum licet prædicta assertio tot juribus, tot  
que Doctorum placisis sit firmata; difficillima tamen reddi-  
tur ex multiplici consideratione. Et primò contra illam  
nostrī textus partem, in qua assertur, vinum de vite esse  
materiam necessariam necessitate Sacramenti ad consecra-  
tionem Calicis, sive Sanguinis Christi Domini, sic valet  
insurgi. In quolibet vino, quamvis de vite non sit,  
confici potest Eucharistiæ Sacramentum: ergo vinum vitis,  
seu ex ubi expressum non est materia necessitate Sacra-  
menti ad Calicis consecrationem. Antecedens probatur:  
Nam sicut aqua est materia Sacramenti Baptismi, ita vinum  
est materia Sacramenti Altaris; sed in qualibet aqua potest  
fieri Baptismus: ergo in quolibet etiam vino, scilicet,  
pomorum, malorum granatorum, & similiūm poterit con-  
fici Sacramentum Eucharistiæ, proindeq[ue] vinum vi-  
tis non erit simpliciter necessarium. Augetur idem dif-  
ficultatis assumptum: nam acetum non est materia sufficiens  
ad consecrationem Calicis, ut cum D. Thoma docent fere  
omnes Scholastici, & habetur in Missali Romano; sed ace-  
tum est quædam species vini, quod de vite exprimitur, ut  
sensit Giosla in cap. 2. de consecr. diff. 2. indicat Innocen-  
tius III. lib. 4. Mysterior. Evang. leg. & Sacram. Euchar.  
cap. 32. & tradit D. Isidorus lib. 20. ethymol. cap. 3. ergo  
vinum vitis non potest esse materia propria Eucharistiæ,  
adeoque nec necessaria necessitate Sacramenti ad confi-  
ciendam Eucharistiam.

3 Augetur iterum eadem dubitandi ratio; nam  
sicut de vite exprimitur vinum depuratum, ita etiam agres-  
ta, & mustum; sed in agresta, & musto fieri non potest  
con-

consecratio Calicis : ergo quia vinum vitis non debet esse materia necessaria ad Eucharistiae Sacramentum conficiendum. Major est omnibus nota ; minor vero unicè dubia probatur ; tum ex communi omnium Doctorum placito cum D. Thoma ; tum ex Missali Romano in defectibus Missæ ; tum ex cap. Didicimus 6. de Consecrat. dist. 2. in illis verbis : *Didicimus, quod in quibusdam Ecclesijs Sacerdotes sacrificio oblationis conjungant uvas, quæ secundum consuetudinem in altari offeruntur, & sic simul utraque populo dispensent.* Præcipimus igitur , ut nullus Sacerdos hoc ulterius faciat ; tum etiam ex cap. cum omne crimen 7. de consecrat. ead. dist. 2. ubi Julius Papa reprehendit quosdam, qui expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerunt : ergo minus recte in prima nostræ assertionis parte dicitur ab Honorio III. vinum vitis esse propriam, & simpliciter necessariam materiam ad consecrationem Dominici calicis. Id , quod ulterius valet confirmari paritate vini , quod *Lora* dicitur , Hispanè *Agua-pie* ; illud enim non est materia consecrationis, licet interim ex uvis sit expressum : ergo idem , quod prius.

4 Adversus secundam nostri textus partem , in qua statuitur , aquam admixtam esse vino ad consecrationem Calicis , argui potest sequenti pacto : Sacramentum Corporis , & Sanguinis Christi figuratum fuit , consentientibus Ecclesiæ Patribus , per sacrificium oblatum à summo Sacerdote Melchisedech; sed Melchisedech. panem , & vinum merum , seu aqua non admixtum obtulit , ut constat ex cap. 14. Genes. ibi : *Melchisedeb Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) benedixit ei* : ergo in Sacramento Corporis , & Sanguinis Christi , vino consecrando aqua misceri non debet. Roboretur eadem dubitandi ratio ; materia unius Sacramenti non potest esse alterius sacramenti materia , cum diversorum sacramentorum diversæ pariter sint materiae; sed aqua est materia Sacramenti Baptismi , ut definitum est à Concilio Trident. Sess. 7. can. 2. de Baptismo , &c constat ex illo Joann. cap. 3. ibi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* : ergo aqua

aqua non debet assumi tanquam materia sacramenti corporis, & sanguinis Domini.

5 Roboratur iterum eadem ratio dubitandi ; quia sicut panis est materia Sacramenti Eucharistiae , & primae consecrationis, ita vinum est materia consecrationis secundæ juxta Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij Papæ*, §. tertium est *Sacramentum* ; sed pani , quatenus est materia primæ consecrationis , nihil adjungitur , adjungivè debet : ergo nec vino , quatenus est materia consecrationis secundæ , aliquid admisceri debet. Id ipsum efficaciter , & dilucide roboratur ex textu *in cap. in Sacramento 5. de consecrat. dist. 2.* ibi : *Non amplius in sacrificijs offeratur, quam de uvis , & frumentis.* Ex quibus verbis sequens ponderatio non obscurè deducitur : enibi Pontifex loquitur de materia , quæ in Sacrificio Missæ offerenda est ; sed non aliud , asserit , esse offerendum , quam id , quod conficitur ex uvis , & frumento , videlicet panem , & vinum: ergo quia nihil aliud pani , aut vino admisceri debet. Ejusdem ponderationis sunt verba textus *in cap. cum omne crimen 7. ead. dist. 2. de consecrat.* ibi : *Quia manifestum , & evidens evangelice veritatis exemplum illuxit , quod præter panem , & vinum aliud offerri non licet :* ergo quia nullo modo potest esse necessaria admixtio aquæ ad calicis consecrationem, proindeque non recte dicitur in secunda nostræ assertionis parte , aquam esse admiscendam vino.

6 Denique adversus ultimam , & præcipuam nostri textus partem , in qua Honorius III. præcipit , aquam vino consecrando admiscendam , debere esse in parva , seu modicissima quantitate , sic nec inefficaciter argumentari licet. Aqua vino consecrando misceri debet in magna quantitate : ergo non sufficit parva , seu modicissima aquæ portio ad consecrationem calicis. Antecedens probatur; nam sicut sanguis è latere Christi Domini sensibiliter fluxit , ita & aqua , ajente Joanne cap. 19. *Qui vidit testimonium perhibuit ;* sed aqua non potest esse sensibiliter in Sacramento Eucharistiae , seu in consecratione calicis , nisi in magna quantitate apponatur : ergo non modica , sed magna aquæ quantitas vino consecrando admisceri debet. Au-

getur

getur hæc eadem dubitandi ratio; nam si parva, aut modica aquæ quantitas vino admisceatur, absdubio corruptitur; sed quod corruptum est, jam non est: ergo idem est apponere modicum aquæ in consecratione calicis, ac nihil apponere. Num sic; sed non licet nihil aquæ apponere, ut patet ex nostro textu, ubi Honorius Papa præcipit, ad consecrationem calicis debere aquam vino admisceri: ergo nec licet apponere aquam in parva, seu modica quantitate.

7 Huic rationi dubitandi non parum roboris accrescit ex sequenti ratiocinio: Ideò in consecratione calicis aqua vino admisceri præcipitur, ut per admixtionem denotetur unio Christi cum Ecclesia, & significetur aqua, quæ ex latere Christi Domini profluxit juxta Tridentinum *sess. 22.* de *Sacrif. Miss.* cap. 7. & Alexandrum Papam in cap. in *Sacramentorum I. de consecrat. dist. 2.* sed hæc significatio unionis Christi Domini cum Ecclesia, & aquæ, quæ de latere ipsius promanavit, stare potest cum magna aquæ quantitate: ergo non est cur debeat admisceri vino consecrando parva, seu modica aqua. Id ipsum confirmari valet hac ad speciem difficulti consideratione: admixtio aquæ fit absdubio ad exemplum, & imitationem Christi Domini; sed non est verosimile, Christum Dominum vino admiscuisse aquam in parva, seu modica quantitate, sed prout ad temperandum potum usualem communiter adhiberi solet: ergo non parva aqua admisceri debet in consecratione calicis; proindeque non recte noster Pontifex Honorius III. præcipit, plus de vino, quam de aqua debere apponi in Sacramento altaris.

8 Quibus dubitandi rationibus decisionem nostri textus turbare, dubiamque monstrare tentavimus, quibus parvi habitis, ipsam veram, atque catholicæ fidei consonam esse sanè defendimus, ad ejusque explicationem necessario aliqua scitu digna prænotare duximus. Et quidem primo notandum est, materiam remotam secundæ consecrationis, sive consecrationis sanguinis Christi Domini esse vinum de vite, sine quo confici nequit Eucharistia sanguinis. Est de fide, constatque ex ipso Christi Domini facto, adjuncta Ecclesiæ traditione. Constat enim Matth. cap. 26. vers. 29. Marci cap. 14. vers. 25. atque ex Lucæ cap. 22. vers. 18.

Christum Dominum in supremæ nocte cœræ pridie quam pateretur, accepisse calicem, dedisseque discipulis suis, ac dixisse: *Non bibam a modo de hoc genimine viti.* Et quidem ut ex sacris litteris constat, atque ex communi omnium usu, solum vinum de vite est absolute, & simpliciter vinum, adeoque cum uvæ, agresta, & acetum non veniant nomine vini usualis, non potest in illis validè Eucharistiae Sacramentum confici. Docent Tolet. lib. 2. summ. cap. 25. num.

3. P. Vazquez 3. p. disp. 75. cap. 11. Vinum vero recenter expressum ex uvis maturis, quod est mustum, est materia valida secundæ consecrationis, ut tenent communiter Theologii cum D. Thoma 3. p. q. 74. art. 6. & probatur ex cap. cum omne crimen 7. de conser. dist. 2. ubi Julius Papa Episcopis per Egyptum describens permisit, pro casu necessitatis in musto ex botro expresso in calice, & aqua mixto consecrare; id autem in nullo prorsus casu permitisset, si mustum non esset sufficiens, & valida materia. Et ratio est, quia mustum est substantialiter vinum, eoque nomine communiter censetur, solum enim accidentaliter differt ab eo, quod abs dubio est, & dicitur vinum, tanquam non decoctum, non defæcatum, & minus salubre, propter eaque non erit licitum consecrare in musto extra summae necessitatis casum. Unde in musto ex uvis tunc expresso confici quidem Sacramentum, sed conficientem graviter peccare dicitur in Rubric. Missal. Roman. de defectib. §. 4. num. 2.

9. Sed an vinum concretum, seu congelatum possit validè consecrari, dubitant DD. Negant Enriquez de Sacrament. cap. 12. num. 3. Ledesma q. 15. art. 5. dub. 1. & alij: affirmant vero D. Eximius, disp. 45. sect. 1. Vazquez disp. 175. num. 16. Cardinalis de Lugo disp. 4. de Eucharistia num. 13. & alij bene multi, queis adscribor. Ratio vero, cur vinum in statu congelationis potest valide consecrari, est, quia in eo statu est vinum verum, estque simpliciter potus, quamvis ut actualiter potetur, debeat liquefieri. Sic panis ita induratus, ut comedи non possit, nisi vel affuso humore; vel alio modo modefiat, & verus panis est, & simpliciter comestibilis, validaque prioris consecrationis materia. Idque ex eo confirmatur, quia sanguis Christi Domini

mini persistit sub speciebus vini post consecrationem conge-  
latis , ut constat ex Rubr. Missal. Rom. de defectib. §. 10.  
num. 11. Ergo eæ vini species congelatae persistunt in eo sta-  
tu , in quo sub ipsis naturaliter duraret vini substantia , si  
adesseret , nec fuisset per consecrationem expulsa ergo vinum  
congelatum est absolute vinum , atque adeò valida secundæ  
consecrationis materia. Neque huic doctrinæ obstat , quod  
baptismus nequit confici cum aqua congelata: ergo nec Eu-  
charistia poterit in vino congelato confici: nam concessio an-  
tecedenti , negamus consequentiam , disparitas perspicua est.  
Baptismus enim consistit in usu , in actuali scilicet ablutione  
sub certa verborum forma ; actualis autem ablutio fieri ne-  
quit cum aqua actualiter congelata. At Eucharistia non con-  
sistit in usu , id est in actuali essu , aut potatione : ideoque  
panis , & viuum possunt valide consecrari in statu indura-  
tionis , & congelationis , quamvis ut actualiter edatur pa-  
nis , necessè sit , quod prius emoliatur , & ut viuum actualiter  
potetur , necessè sit , quod prius liquefiat. Sed urgebis:  
ergo liquor in uvis adhuc inclusus est valida secundæ con-  
secrationis materia. Patet consequentia , quia liquor in uvis  
adhuc inclusus æque potabilis est , ac vinum congelatum;  
sicut enim hic requiritur liquefactio , ita ibi requiritur ex-  
pressio: sed mustum in uvis adhuc inclusum non potest vali-  
dè consecrari ; ut unanimi consensu sentiunt DD: ergo nec  
vinum congelatum erit valide consecrabile. Cui difficultati  
respondet , quod liquor in uvis adhuc inclusus nec est vi-  
num , nec est ex se potabilis , sed comedibilis , utpote pars  
uvaæ , quæ non est potus , sed cibus. At viuum congelatum  
& est simpliciter vinum , & est potabile. Adhuc tamen lici-  
tum non est consecrare vinum congelatum; est enim propter  
aliqualem oppositæ sententiae probabilitatem materia du-  
bia.

10 Secundò notandum est , aquam admisceri de-  
bere vino consecrando , ut constat ex perpetuo usu , & con-  
suetudine Ecclesiæ , atque ex cap. cum Martb 6. cap. in qua-  
dam 8. hoc nostro tit. ex cap. cu n omne crimen 7. de conse-  
crat. dist. 2. & ex multis alijs , quæ in eadem 2. distinct. ha-  
bentur. Constat etiam veritas ex innumeris propè SS.

Patribus apud Cardin. Bellarminum, Eximium Suarez, & Vazquez videndis, atque ex multis Sacrorum Conciliorum decretis congestis à Dom. Gonçal. in nostro text. num. 2. Et quidem Christum Dominum in natali calicis, ( ut Paschasi verbis utat lib. de corpore, & sanguin. Domini numer. 11. ) id est in supremæ nocte coenæ, quando hoc Sacramentum instituit, in vino lymphato, sive aqua mixto consecrassæ, constat ex Liturgia S. Jacobi apostoli, & primi Hierosolymor. Episcopi, ubi dicitur : Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspirans in Calum, & ostendens tibi Deo, & Patri gratias agens, &c. Ex Liturgia S. Marci Evangelistæ, in qua dicitur : Similiter, & calicem, postquam cœnavit, accipiens, factaque vini, & aquæ commixtione, suspiciens in Cœlum, ad te Patrem suum, Deumque nostrum, & Deum universorum, gratias egit, benedixit, &c. Constat etiam ex Ireneo lib. 4. adversus heres cap. 57. atque ex multis alijs SS. PP. quorum referendis verbis immorari non vacat. Unde Concilium Florentinum in Decreto Eugenij. §. tertium est, ita habet : aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia SS. Patrum, ac Doctor. Ecclesiae pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Et Tridentinum sess. 22. cap. 7. sic ait : Monet deinde Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misserent : tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur.

11 Hujus autem facti Christi Domini, & Ecclesiastici præcepti illud imitantis multæ sunt, & optimæ rationes congruentiae. Prima est, quam tradit S. Alexander Papa I. in cap. in sacramentorum 1. de consecrat. distinct. 2. nimirum ad significandum sanguinem, & aquam, quæ ex Christi Domini latere profluxerunt. Secunda, eaque frequentissima in Concilijs, & Patribus ( quorum varia loca adducit Durand. lib. 2. de ritib. cap. 27. ) Est, ut significetur fidelium, seu Ecclesiæ unio cum suo capite Christo. Utramque prædictam rationem paucis complexum est Tridentinum Concilium verbis nuper relatis haec immediate subjungens : Tunc etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit,

quod

quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio representatur. Utramque etiam attingerat antea Florentinum in Decreto Eugenij §. tertium est. Tertia est ad significandum duplicem Christi Domini naturam, divinam in vino, & in aqua humanam, quam significacionem, ut tollerent Armeni, humanam Christi Domini naturam negantes, aquam vino non admiscebant. Quarta denique ratio, (multis alijs brevitatis gratia prætermisso) est ad significandam gratiam, quæ est aqua saliens in vitam æternam, sive (ut verbis utar Angelici Præceptoris, quæst. 74. art. 6) ad significandum ultimum hujus Sacramenti effectum, qui est introitus ad vitam æternam.

12 Verum licet vino consecrando aqua admiscri debeat, hæc tamen aquæ mixtio non est de necessitate sacramenti, atque adeo vinum absque illa est validè consecrabile, ut tenent communiter Theologi, & Canonistæ citati à Dom. Gonç. in nostro text. num. 4. Probaturque primò ex eo, quod numquam à Pontificibus, & Concilijs dicatur, aquam vino admixtam esse necessariam ad sacramenti valorem, sed solum non debere, non posse aquam solam, aut vinum solum offerri, sed utrumque mixtum: hi autem loquendi modi, qui distinct. 2. de consecrat. frequenter occurunt, solum indicant aquæ necessitatem ex præcepto. Unde pulchrè Innocentius III. lib. 4. Mysterior. Evang. legis, & Sacram. Eucharist. cap. 32. inquit: *Quod ergo prædictum est vinum solum offerri non posse, determinari debet, quia recipit exceptionem hoc modo: non potest, nisi fiat simpliciter, vel ignoranter: vel non potest, id est non debet, quia non dicitur posse fieri, quod de jure non sit.* Secundò probatur ex verbis Tridentini suprà num. 10. in fin. relatis: si enim Tridentinum censuisset aquæ cum vino mixtionem esse de necessitate sacramenti, inde eam potius, quam ex præcepto Ecclesiæ, aut utrimque saltem commendasset. Qui Tridentini locus adeo in hanc conclusionem efficax mihi visus est, ut vel ex eo solum eam esse veram affirmare non dubitem. Tertiò ex Rubr. Missalis Romani de defectibus, nam §. 4. num. 7. ita dici-

tur: *i autem celebrans ante consecrationem calicis adver-  
tat non fuisse appositam aquam , statim ponant eam , &  
proferat verba consecrationis , si id advertat post consecra-  
tionem calicis nullo modo apponat , quia non est de necessi-  
tate sacramenti.* Quartò denique probatur ratione à priori  
petita ex ipsa Christi Domini institutione. Etenim Chris-  
tus Dominus augustissimum hoc Sacramentum instituens  
non adhibuit aquæ cum vino mixtionem , ut sacramento  
essentiali: id quod ex Ecclesiæ traditione , & authoritate  
simpliciter docentis , vinum de vite esse sufficientem secun-  
dæ consecrationis materiam : atque ex verbis illis , quibus  
Christus Dominus consecrandam materiam , & in suum  
fanguinem vertendam genimen vitis appellavit , satis  
constat ; atqui vinum de vite merum , seu nulla admixtum  
aqua , est simpliciter , & absolute vinum de vite , & geni-  
men vitis : ergo vinum de vite merum , seu nulla admix-  
tum aqua est sufficiens secundæ consecrationis materia,  
atque adeo aquæ mixtio de sacramenti necessitate non est.  
Idque ex eo confirmatur: panis enim triticeus tām azymus,  
quām fermentatus est valida primæ consecrationis materia:  
ergo etiam vinum de vite tām merum , quām lymphatum,  
valida materia est secundæ consecrationis. Antecedentis  
certitudo constat ex Florentino in litteris unionis , ubi Eu-  
genius IV. ait: *Definimus in azymo , sive fermentato pano  
triticeo Corpus Christi veraciter confici.* Consequentia  
probatur ; ideo enim uterque ille panis est valide conse-  
crabilis , quia uterque est absolute , & simpliciter panis com-  
munis , & usualis ; sed uterque illud vinum est etiam abso-  
lute , & simpliciter vinum commune , & usualer: ergo utrum-  
que est etiam validè consecrabile.

**13** Cæterum hanc doctrinam penitus destruere  
videtur textus in cap. sic in sanctificando 2. de consecrat.  
diff. 2. ubi D. Cyprianus ad Cæciliū scribens sic ait: *Sic  
in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest ,  
quomodo neo vinum solum potest. Nam si vinum tantum  
quis offerat , sanguis Christi incipit esse sine Christo: lege  
sine nobis.) Quando autem utrumque miscetur , & aduna-  
tione confusa sibi invicem copulatur , tunc sacramentum*

spirituale, & celeste perficitur. Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Hæc Cyprianus. Ex quibus verbis deducitur, consecrationem vini sine aqua nullam esse, dum dicit, non solum offerri non posse in sacrificio Missæ aquam solam, vel vinum solum, sed ait, quod si vinum tantum quis offerat, incipit esse Sanguis Christi sine Christo, id est sine nobis. Cui difficultati multipliciter responderi potest. Et quidem primò cum Angelico Magistro q.74.art.7.ad 1. Cyprianum solum loqui de necessitate præcepti, vinumque, & aquam ei admixtam equiparare quoad necessitatem, non autem quoad necessitatis gradum: utrumque enim necessarium est, sed vinum necessitate sacramenti, aqua verò vino admixta necessaria solum est necessitate præcepti. Verba ergo illa: *Nec vinum solum offerri potest*, accipienda sunt eo in sensu, quem ex Innocentio III. vidimus num. ant. & secundum quod dicitur: *illud esse non potest, quod convenienter esse non potest*, ut ait etiam eo loci Doctor Angelicus. Itaque nec aqua sola, nec solum vinum, id est vinum, cui aliquid aquæ non fuerit admixtum, consecrari potest; ut Cyprianus ait; aliter tamen, atque aliter: illa enim nec licet, nec validè potest consecrari, hoc autem non potest licet, validè verò potest. Nec huic solutioni obstat similitudo illa à Cypriano adducta illis in verbis: *Quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit*, &c. ubi equiparate videtur necessitatem mixtionis aquæ cum vino ad calicem, cum necessitate mixtionis farinæ, & aquæ ad corpus; sed admixtio aquæ cum farina est de necessitate sacramenti: ergo & admixtio aquæ cum vino consecrando erit etiam de sacramenti necessitate. Etenim respondeatur, quod similitudo illa attendenda est, quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini. Admisceri debet aqua farinæ triticeæ pro consecratione corporis, & admisceri debet aqua vino pro

sanguinis consecratione ; admixtio tamen aquæ cum farina tritcea , cum sit de essentia triticei panis communis , & usualis , qui est necessaria primæ consecrationis materia , necessaria omnino est necessitate sacramenti ; aquæ verò cum vino de vite admixtio , cum non sit de essentia vini de vite communis , & usualis , quod est necessaria secundæ consecrationis materia , nec adhibita fuerit à Christo Dominio , ut ad sacramenti valorem necessaria , necessaria solum est necessitate præcepti , non autem necessitate sacramenti.

14 Secundò responderi etiam potest , Div. Cyprianum ijs verbis solum contendere , eam aquæ cum vi-  
no consecrando mixtionem necessariam esse , non ut valida sit consecratio , & ut sacramentum Dominici sanguinis conficiatur , sed ut sacramentum confectum significet formaliter , & expreßè unionem christiani populi cum Christo capite , quæ quidem expressa significatio essentialis non est sacramento . Colligitur aperte (ni fallor ) hæc interpreta-  
tio ex ilis ipsius Cypriani verbis : *Nam si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse sine nobis* ; hinc namque infero : ergo si vinum tantum , id est vinum pu-  
rum , sive aqua non admixtum quis consecret , incipit ibi esse sanguis Christi , atque adeo dominici sanguinis sacra-  
mentum conficitur . Incipit tamen ibi esse sanguis Christi sine nobis , id est , ita ut non significet expreßè unionem nostri , qui per aquam significamur , cum Christo Domino ; quod unum ibi Cyprianus contendit . Quin etiam ex ipso Cypriano relato à Gratian . in cap . scriptura 3 . de consecr . dist . 2 . probat Doct . Angelicus citat . art . 7 . aquæ admix-  
tionem cum vino consecrando de necessitate sacramenti non esse . Sic enim Cyprianus ait : *Siquis de antecessoribus nostris vel ignoranter , vel simpliciter non hoc observavit , O tenuit , ( ut scilicet aquam vino consecrando admisce-  
ret ) potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia contendi* : additque D . Thomas , quod non esset , si aqua esset de necessitate sacramenti , sicut vinum vel panis . Indicat igitur Cyprianus ijs verbis , eos , qui ignoranter , vel simpliciter absque aquæ mixtione in calice , Missæ sacrificiū

cium celebrasse , confecisse quidem dominici sanguinis sa-  
cramentum , vereque sacrificasse , ex ignorantia tamen à  
culpa excusari , ut explicat Doct. Eximius P. Suarez in 3.  
part. de sacram. disp. 45. sect. 2. Quæ expositio videtur  
etiam innui à Turrecremat. in dict. cap. sic in sanctificando  
2. nec non à Dom. Gonçal. in nostro text. num. 3. ubi eo-  
dem modo intelligit textum in cap. cum omne crimen 7.  
de consecr. diff. 2. in illis verbis : Non potest calix Domini  
esse aqua sola , aut vinum solum , nisi utrumque sibi mis-  
ceatur. Quæ verba , inquit , referenda esse ad necessitatem  
ex præcepto Ecclesiastico ob prædictam significatio-  
nem.

15 Tertiò responderi etiam potest , Cyprianum  
in cit. cap. sic in sanctificando 2. agere contra Hydropara-  
ctas ; sive aquarios ita dictos , qui non vinum , sed solam  
aquam sobrietatis prætextu in calice ad consecrationem ad-  
hibebant , ut refert D. Augustinus lib. 1. de heresib. cap. 64.  
Ut igitur Cyprianus quod agebat , ageret , totus ibi fuit in  
probanda , & adstruenda vini ad Eucharisticum calicem  
necessitate , quam colligere contendit ex aquæ necessitate ,  
quam ipsi hæretici admittebant: non itaque eo loci curavit  
explicare , qua necessitate requireretur aqua ad sacra-  
mentum dominici sanguinis conficiendum. Imò in sc̄opum sibi  
tunc præfixum unicè collimans visus est non renuere essen-  
tiale aquæ necessitatem , de qua cum hæreticis illis nulla  
erat controversia , dummodo propositum suum exequere-  
tur , probandi scilicet , adstruendique vini necessitatem ad  
valorem sacramenti. Ita subtiliter de more Bæticus noster  
Eminent. Cardinalis de Lugo de Eucharist. disp. 4. à num.  
25. Ex tribus his allatis responsionibus illam feligite , quæ  
magis arriserit.

16 Circa hanc autem doctrinam nonnullæ se of-  
ferunt dubitandi rationes. Prima sic efformatur : Christus  
Dominus instituens Eucharistia sacramentum adhibuit vi-  
num aqua mixtum ad consecrationem calicis ; sed quod  
Christus Dominus instituens Eucharistia sacramentum ad-  
hibuit ad consecrationem , necessarium est necessitate sa-  
cramenti ; ergo vinum aqua mixtum necessarium est neces-  
sita-

sitate sacramenti ad consecrationem calicis. Assumptum difficultatis confirmatur ex verbis Florentini in Decreto Eugenij allegatis *supra num. 10. in fin.* nimirum : *Creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum:* ergo vinum aqua permixtum est de necessitate hujus sacramenti. Secunda difficultas insurgit ex eo, quod materia remota sacramenti confirmationis est chrisma, quod fit ex oleo balsamo mixto, ut liquet ex eodem Concil. Florent. §. secundum sacramentum; & tamen mixtio balsami est de necessitate sacramenti, adeo ut unctio in fronte oleo tantum facta sine mixtione balsami, non solum illicita sit, sed etiam insufficiens, ut sacramentum factum non tecneat, ut tradunt *Glossa in cap. I. de Sacrament. non iterand.* Hostiensis, & Panormitan. *Ibidem*, Turrecremata in cap. litteris 18. de consecrat. dist. 3. & Prosper. Fagnan. in cap. un. de sacra uet. num. 53. ergo pariter mixtio aquæ cum vino consecrando erit de necessitate sacramenti. Sed his non obstantibus adhuc tenenda est doctrina superius à nobis firmata, cui non adversatur prima difficultas, nam respondeo, concessa majori, distinguendo minorem, quod Christus Dominus adhibuit ad consecrationem consideratum quoad substantiam materiale, & usualem, velut quoad substantiam panis triticei communis, & usualis, vinique de vite, communis, & usualis, ut Ecclesia semper intellexit, & docuit, concedo minorem; quod adhibuit consideratum secundum omnes circumstantias, nego minorem. Ex quo appetit prædictum argumentum, si probaret, multum probaturum, convinceret enim panem azymum esse necessarium necessitate sacramenti ad consecrationem corporis, siquidem eo usus est Christus Dominus Eucharistiae Sacramentum instituens. Convinceret etiam, eam determinatam, vini vitiginei speciem, rubri v. g. aut albi, quam Christus Dominus consecravit, cum sacramentum istud instituit, esse hujus sacramenti determinatam materiam, quorum neutrum dici potest.

17 Ad confirmationem responderi potest, sensum verborum Concilij Florentini esse, vel quod Christus Dominus, cum sacramentum istud instituit, vinum aqua per-

permixtum consecravit, sicut in ipsa institutione consecravit panem azymum, vel quod in vino aqua permixto hoc sacramentum instituit, tanquam in materia sufficiente, non autem tanquam in materia simpliciter necessaria: hæc enim ex ipsis Christi institutione solum est vinum de vite usuale; ejusmodi autem vinum de vite est tam purum, quam lymphatum, atque adeo utrumlibet est sufficiens, ac valida secundæ consecrationis materia. Primum ergo consequens distinguendum est: ergo vinum aqua permixtum instituit Christus Dominus materiam necessariam hujus sacramenti, nego consequentiam: instituit materiam sufficientem, concedo consequentiam, & nego absolute secundam. Ad secundam difficultatem de promptam ex materia remota sacramenti confirmationis, respondeo: Concilium Florentinum ex diverso modo loquendi de utroque sacramento indicate, longè aliter esse necessariam mixtionem in uno, quam in alio: nam de confirmatione dicit, materiam ejus esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, de Eucharistia vero non dicit materiam esse vinum mixtum aqua, sed simpliciter dicit esse vinum de vite, additque: *Cui ante consecrationem aqua, &c.* ut hoc genere dicendi significaret, aquam non esse materiam, nec partem essentialem ejus, sed ex præcepto esse miscendam ob significationem. Quod ex eo evidenter probatur, nam confessio chrismatis ex oleo, & balsamo est ex Christi institutione, & mandato; sed in nullo sacramento ostendi potest aliquid esse de essentia, nisi quia est ex Christi institutione, & mandato in materia, & forma; & ideo mixtio aquæ non censetur esse ex præcepto Christi, sed solum ex institutione, & præcepto Ecclesiæ, sumpto tamen à Christo, ut à causa exemplari, ut rectè docet Eximus Doct. P. Suarez de *Sacram.* 3. part. disp. 33. sect. 1. art. 4.

18 Nec contra hanc solutionem obstabit, si obijcias. Idem Eugenius IV. cum agit de Sacramento Pœnitentiae, absolute dicit, partes hujus sacramenti esse contritionem, confessionem, & satisfactionem; & tamen certum est, satisfactionem non esse partem necessariam ad valorem pœnitentie, sed ferè omnes concedunt, esse tantum partem in

integram: ergo pari ratione, quamvis absoluē dicat Eugenius, chrisma confici ex oleo, & balsamō, possimus intelligere ex uno constare tanquam ex essentiali parte, ex altero vero tanquam ex integrali tantum, & non necessaria. Non, inquam, obstat hæc objectio, tum quia est longè diversa ratio. Nam satisfactio jam supponit Sacramentum Pœnitentiaē perfectum in sua essentia, cum supponat absolutionem, in qua præcipua sacramenti vis sita est, ut inquit Tridentinum *Seff. 14. de Pœnitentia, cap. 3.* Non ergo potuit ad essentiam Sacramenti Pœnitentiaē pertinere. Et ideo jure optimo dicimus esse tantum partem integralem, & non essentiale. At balsamum non supponit sacramentum confirmationis, neque ejus confectionem, sed misceri debet ante prolationem formæ: ergo non est, unde colligamus in sacramento confirmationis balsamum non esse partem necessariam, sicut colligimus in Sacramento Pœnitentiaē. Tum etiam, quia Tridentinum *dicit cap. 3.* cum agit de partibus Sacramenti Pœnitentiaē, non utitur verbo partium essentialium, quia sciebat, non omnes esse partes essentiales, sed utitur voce communi, sive ad significandam essentiam, & substantiam, sive ad integratatem, & dixit, integratatem sacramenti eas partes exigere: at in præsenti nihil simile reperimus: ergo nullum est in Eugenio fundamentum, neque in traditione Ecclesiastica, propter quod dicamus, balsamum non esse materiam necessariam ad valorem Sacramenti Confirmationis. Quare audiendi non sunt D. Covarr. lib. 1. variar. c.ip. 10. num. 4. alijque plures, quos refert, & sequitur D. Gonçal. in cap. Presbyter 3. de Sacram. non iterand. num. 7. dum docent mixtione balsami cum oleo consecrato non esse necessariam necessitate sacramenti, sed tantum ex præcepto Ecclesiastico, atque ideo cum solius olei unctione valide conferri confirmationem.

19 Sed jam nobis objiciunt Innocentium III. in cap. *Pastoralis 1. de Sacrament. non iterand.* cuius hæc sunt verba. *Præterea nos consulere voluisti, si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non ebrismate, sed oleo definitus.* Ad quod breviter duximus res-

respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod in canticè fuerat pretermissum. Huc Innocentius. At solum fuerat omissum balsamum: ergo ejus unctionio tantum jubetur suppleri, non verò repeti Sacramentum Confirmationis: ergo non fuit de necessitate sacramenti. Et urgetur magis vis hujus argumenti. Quia eodem modo respondet Pontifex huic consultationi, & alteri propositæ de ordinato in subdiaconum, in quo fuerat omissa manus impositio; & tamen manus impositio in ordine subdiaconatus non est quid essentiale, ut probat Prosperus Fagnan. *in cap. 3. eod. titul. num. 40. ¶ 41.* ergò sicut in subdiacono tantum repetitur manus impositio omessa sine alia forma, vel traditione, nec repetitur actio sacramenti, ita etiam idem credendum est sensisse Innocentium in Sacramento Confirmationis.

20 Verum hæc Innocentij III. decisio tantum abest ab impugnatione doctrinae suprà traditæ, ut potius pro illa stet. Idque sequenti consideratione ostendo. Si Innocentius nobis repugnaret, ejus responsionis sensus is esset, supplendam esse unctionem solius balsami, quia hoc solum fuerat prætermissum; at hæc absurdâ nimis responsio esset, & ab Ecclesiæ praxi perpetua valde aliena: ergo non est dicendum eum esse sensum responsi Pontificis. Major est certa, minor verò, & absurditas ejus responsi convincitur in primis. Quia sequeretur supplendam unctionem cum solo balsamo; at unctionio solius balsami in Sacramento Confirmationis inaudita est in Ecclesia, & contra ejus praxim. Sequela probatur. Quia non posset ungi cum oleo mixto balsamo, quia jam adhiberetur integra materia, & necessaria Sacramenti, quæ secundum Auctores contrariae opinionis apposita erat: integrum autem materiam Sacramenti adhiberi sine forma longè absurdius est, & magis inauditum. Deinde, quia vel ea unctionio solius balsami fieri deberet cum balsamo consecrato, aut non consecrato. Primum dici non potest, quia in Ecclesia benedictio aliqua balsami confirmationis, nisi in ordine ad mixtionem cum oleo non sit, ut constat ex Pontificali Romano. Quamvis enim quædam orationes supra solum balsamum recitentur; & aliæ dicuntur post mix-

tionem cum oleo, & halatur etiam utrumque mixtum, & sine illis orationibus, & halitibus non est finita consecratio. Secundum etiam dici non potest, quia inauditum est in Ecclesia ungi in confirmatione cum balsamo non consecrato, cum expresse dixerit Eugenius IV. tam balsamum, quam oleum fore benedicendum ab Episcopo, ut sit materia Sacramenti confirmationis. Præterea, quia Pontifex *in citat. cap.* distinguit simplex oleum à chrismate; at secundum Eugenium, & Ecclesiæ usum materia confirmationis non est oleum, sed chrisma: ergo non fuerat apposita materia Sacramenti confirmationis in unctione olei, atque adeo non esset supplenda unctione solius balsami, sed chrismatis; quia unctione chrismatis defuit, siquidem omissa est unctione mixti ex oleo, & balsamo, quod est chrisma. Denique, quia si balsamum esset materia accidentalis Sacramenti confirmationis secundum Innocentium, eodem modo se haberet, ac aqua respectu consecrationis calicis; at aqua, quia est accidentalis materia, si omessa fuerit, non infunditur calici post peractam consecrationem, sed omnino omissa omittitur, ut diximus supra num. 12. ergo similiter balsamum omissi omnino deberet, neque responderet Innocentius addendum esse post peractum jam Sacramentum confirmationis: non ergo sensus responsi Pontificis esse potest, supplendam esse unctionem solius balsami.

21 Sensus ergo ejus decreti primus est, denuo conferendum Sacramentum confirmationis cum debita materia, scilicet, chrismate, & forma: nec dicitur in eo casu Sacramentum iterari, aut repeti, quia nihil Sacramenti præcesserat, & ut inquit Glossa *in d. cap. Pastoralis 1.* non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit. Cum ergo non sicut validè collatum Sacramentum confirmationis ex defectu materiæ, non dicitur iteratum, sed tunc conferri; nihil enim antea factum erat. Et in eodem sensu addit Pontifex, caute supplendum, scilicet unctionem chrismatis cum debita forma, quod totum incaute fuerat prætermisum, siquidem nihil de Sacramento actum erat, ut loquitur Paludanus *in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. concl. 3.* Secundo etiam explicari potest responsum Innocentij, & quidem recte; si dicamus

mus Pontificem dicere , nihil esse iterandum , scilicet , de solemnitatibus , quibus Sacramentum confirmationis ab Episcopo ministrari solet; sed cautè , id est , in secreto , non exhibita solemnitate , ut desit scandalum , supplendum esse Sacramentum , quod antea fuerat prætermissum , quia recte omisum dici potest , quod est invalidè factum . Sic respondebat Eximius Doct. P. Suarez de Sacram. 3. p. disp. 33. sect.

*1. art. 4. et Casiv. Santi de corporis. part. 2. cap. 2. et 3.*

22 Ex haec tenus dictis satis abundè manet probatum , aquæ mixtionem cum vino consecrando non esse necessariam necessitate Sacramenti , sed tantum necessitate præcepti . Sed an hoc præceptum sit juris divini , an humani ? Impositum à Christo Domino , an ab Ecclesia ? Anceps est quæstio . Esse præceptum divinum aut summant cum aliquibus Antiquioribus Enriquez lib. 8. summ. cap. 12. §. 4. Grana-  
dos controv. 6. tract. 2. de Eucarist. disp. 3. à n. 9. Le-  
desma eod. tract. cap. 14. n. 16. Communior tamen Theo-  
logor. & Canonistarum sententia eam aquæ mixtionem ag-  
noscit necessariam necessitate solius præcepti Ecclesiastici . Ita cum multis antiquioribus Eximius Suarez disp. 45. sect. 2. Leander de Sacrament. tr. 7. disp. 8. quest. 41. Henao de Eucarist. disp. 4. sect. 2. n. 15. Cardinal. de Lugo eod.  
tract. disp. 4. à num. 22. Atque hanc posteriorem senten-  
tiam , & ego veriorem esse judico : quam haud inviti ample-  
xi quoque sunt plures laudati à D. Gonçal. in nostro sext.  
num. 4. Eaque primò probatur ex Florentino in decreto Eu-  
genij reprehendentis Armenos , eam aquæ cum vino conse-  
crando mixtionem omittentes , non ex eo , quòd contra di-  
vinum præceptum agerent , sed ex eo solum , quod ab uni-  
versali , & rationabili Ecclesiæ observantia discrepant ; si  
autem hoc præceptum esset divinum , non omisisset Pontifex  
gravius illos ex hoc capite reprehendere . Deinde hanc sen-  
tentiam confirmant Tridentini verba allegata suprà num. 10.  
*in fin.* in quibus aquæ cum vino consecrando admixtio dici-  
tur præcepta ab Ecclesia Sacerdotibus : qui modus loquendi ,  
ut observat optimè Doct. Eximius , usurpari non solet in  
ijs , quæ jure divino præcepta sunt . Nec si Tridentinum cen-  
suisset , eam aquæ admixtionem jure divino esse præceptam ,  
omis-

omisisset illam inde potissimum commendare. Præterea eamdem sententiam suadet sequens ratio, quia non est unde constet, hoc præceptum esse à Christo Domino impositum; ergo non est dicendum, hoc præceptum esse divinum. Antecedens probatur; si enim alicubi constaret, maximè ex illis Christi Domini verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; sed inde non constat: non est igitur unde constet. Minor pater; si enim fide constaret, à Christo Domino præceptum esse, in vino lymphato consecrari, identidem etiam constaret, præceptum fuisse à Christo Domino in pane azymo consecrari, atque in illa determinata vini vitiginei specie, in qua ipse Dominus consecravit, quorum neutrum affirmari potest. Illud ergo: *hoc facite*, &c. quoad substantiam panis triticei usualis, & vini de vite usualis dictum est, ut notavimus *suprà num. 16.* Denique eidem assertioni apprime patrocinatur sequens conjectura, quam affert Eximius Doctor; si enim aquæ cum vino consecrando permixtio necessaria esset necessitate præcepti divini, vix posset reddi ratio, cur non sit necessaria necessitate sacramenti, cum hæc necessitas solum oriatur ex institutione, & præcepto Christi Domini.

24. Nec hanc ita stabilitam sententiam iterum infringit Div. Cyprianus relatus *in cap. scriptura 3. de confessor. dist. 2.* ubi aquæ cum vino consecrando mixtionem appellat traditionem dominicam. Similiter in Concil. Aurelan. *4. cap. 4. in Concil. African. cap. 4. & in Carthag. 3. cap. 24.* relato *in cap. in Sacramento 5. de confecr. dist. 2.* præcipitur, ut in sacramento corporis, & sanguinis Domini nil aliud offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum: ubi etiam aquæ mixtio videtur appellari traditio Christi Domini. Ad hæc, & alia similia, quæ possent adduci, facile cum Exim. Doctore, & Domin. Gonçal. *bis num. 4. in fin.* respondetur, aquæ cum vino consecrando admixtionem dici traditionem divinam, seu dominicam, non formaliter, sed originative: id est non quia Christus Dominus eam præcepit, sed quia originem dicit ex ipsius Christi Domini facto, & exemplo, quod Ecclesia postea imitata est, & imitandum præcepit. Ut etiam in

329

cap. 2. 16. q. 2. & in cap. 1. 16. q. 7. præceptum solvendi decimas juris divini esse dicitur , quia nimirum decimæ ad imitationem , seu exemplum veteris legis ab Ecclesia sunt receptæ , & constitutæ: qua ratione etiam jejunium quadragesimale dicitur nobis esse præceptum ex lege , & Prophetis , & ex ipso Evangelio apud D. August. & alios SS. PP. quia ad exemplum Prophetarum , & præcipue Christi Domini , ab Apostolis fuit institutum. Ita P. Pithing. in lib. 3. decretal. tit. de decimis sect. 1. §. 2. num. 7. & 8. Vel dici potest, Cyprianum , & illa Concilia ijs in locis agere contra haereticos Aquarios , atque adeo Cypriani , & illorum Conciliorum mentem non esse , quod Christus Dominus præceperit aquam vino consecrando admisceri , sed quod præceperit , ne aqua sine vino offeratur. Vid. Cardinal. de Lugo , disp. 4. ubi à numer. 25. latè , atque eruditè hanc secundam responsonem illustrat. Utrum autem aqua vino consecrando immixta convertatur immediate in sanguinem Christi Domini , an mediate , Theologorum disputatio est.

25 Ex quibus colligitur , hoc præceptum mixtio-  
nis aquæ cum vino consecrando esse simpliciter à R. Ponti-  
fice dispensabile ; addit tamen Eximus Doctor ubi suprà  
sect. 2. practice vis posse occurrere occasionem , & causam  
rationabilem , ut ea dispensatio licet concedatur , cum hac  
mixtio sit res facillima , & quæ ubique , ac semper absque  
inconvenienti fieri possit. Ex dictis constat etiam , hoc præ-  
ceptum graviter obligare , sive sub culpa lethali : licet enim  
aquæ gutula sit in se , & entitativer res levis , in ordine ta-  
men ad significacionem , & reliquos fines ab Ecclesia inten-  
tos est res gravissima ; atque adeo absoluta est gravissima  
materia. Idque colligitur ex cap. litteras 14. hoc tit. ubi nos-  
ter Honorius III. officio , & beneficio jussit privari Presby-  
terum quemdam , qui ex aperta malitia , vel nimia desipien-  
tia aquæ mixtionem omittebat , quæ quidem privatio , cum  
sit gravis poena , gravem culpam supponit.

26 Illud denique admonendi sumus ; aquam vino  
consecrando miscendam non debere esse tantam , ut vinum  
corrumpatur ; si enim ab aqua corrumpatur , deficit mate-  
ria omnino necessaria secundæ consecrationis ; debet autem

Gg

esse

esse nec major, nec æqualis, sed minor quantitate vini, ut  
habetur in nostro textu, & traditur ab Eugenio IV. in De-  
creto de unione Armenor. ibi: *Materia est panis triticus, &*  
*vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima*  
*admisceri debet.* Quo sane Decreto correctum est Concilium  
Triburicense Provinciale, aut Nationale in Germania cele-  
bratum anno 895 ubi can. 19. dicitur: *Due partes sint vi-  
ni, quia major est maiestas sanguinis Christi, quam fragili-  
tas populi: tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas hu-  
mana naturæ; tertia enim pars respectu duarum non est mo-  
dicissima.* Admisceri itaque debet aqua modicissima vino  
consecrando, ut ex Florentino constat. Et quidem qualibet  
aquæ gutula, dummodo sit satis sensibilis, sufficiens est, ut  
benè notat Eximus Doctor, nam & illa est vera aqua sensi-  
bilis, & sufficit ad significationem. Unde rectè in nostro tex-  
tu improbat Honorius III. abusum Presbyterorum, qui  
aquam in majori quantitate offerebant.

27 Quibus sic pro nostri ingenij teminitate tradi-  
tis. jam non obstant dubitandi rationes supra adductæ. Non  
prima num. 2. proposita, cui satisfaciendum est dicendo,  
verum esse, aquam, dummodo naturalis sit, esse materiam  
Sacramenti Baptismi: At verò vinum non potest esse mate-  
ria Sacramenti Eucharistiae, nisi vere, simpliciter, & propriè  
sit vinum, quod non verificatur de liquoribus pomorum,  
malorum granatorum, mororum, & similibus; quæ non  
sunt, nec dici possunt propriè, & simpliciter vinum, sed  
secundum quid, & per quandam similitudinem. Quare sicut  
aqua extracta ex herbis, floribus, & fructibus non est materia  
Sacramenti Baptismi, eò quod vere, & simpliciter aqua na-  
turalis non est; ita similiter prædicti liquores non possunt  
esse materia ad consecrationem calicis, cum vere, absolute,  
& simpliciter vinum non sint. Ad primum difficultatis aug-  
mentum responderi valet cum D. Thoma, & communis sententia  
omnium Scholasticorum sententia, acetum minimè esse ma-  
teriam consecrationis; quia fit ex corruptione substanciali  
vini, seu ex vino substancialiter corrupto, ut ex ejus effe-  
ctibus constat; unde sicut in pane totaliter corrupto non po-  
test confici Eucharistiae Sacramentum, ita nec in aceto, quod  
pro

proinde ab Aristotel. *8. Metaph. cap. 5. text. 14.* cadaveri comparatur. Nec obest, quod Glossa in *cap. 2. de consecr. dif. 2. Innocent. lib. 4. cap. 32.* & *Isidor. lib. 20. Ethymol. cap. 3. circa med.* Acetum numerent inter species vini; nam intelligendi sunt non de aceto propriè tali; alias enim eorum opinio esset omnino falsa, & improbabilis, sed de vino acido, scilicet acetente, & quod nondum formam substantiam amisit; hoc enim sufficientis materia sacramenti dicitur à D. Thoma, licet interim grave peccatum possit esse in predicto vino Sacramentum confidere ratione dubij, & irreverentiae.

**28** Ad secundum ejusdem difficultatis augmentum respondeo etiam cum Ang. Praeceptore, & communione omnium Theologorum consensu, agrestam non esse materiam sufficientem ad consecrationem calicis; quia cum adhuc sit velut in via ad perfectionem substancialis vini, non est verè, & simpliciter vinum, nec materia potabilis per modum vini, immo evidentè differt ab eo specie physica, ut ex effectibus, & qualitatibus licet colligere. Quod vero attinet ad mustum diximus suprà in primo nostro notabili *num. 8.* ubi statuimus, mustum esse quidem materiam sufficientem, non vero licitam sacramenti, tūm propter indecentiam, tūm etiam propter Ecclesiæ consuetudinem. Si vero objicias aliquos afferentes, in nonnullis Ecclesijs esse consuetudinem celebrandi aliquo die anni in musto ex uvis in calice expresso. Exim. Doctor P. Franciscus Suarez dubitat de simili consuetudine, & si alicubi detur, afferit corrigendam esse, præsertim si mustum assumatur unicè pro materia consecrationis: aliud tamen dicendum foret, inquit idem Eximus Doctor, si per modum ceremoniæ in calice habente vinum perfectum exprimantur aliquæ uvas; nam hoc minus habebit indecentiæ, quamquam etiam vietandum sit.

**29** Ad confirmationem deductam ex paritate illius liquoris, seu vini, quod dicitur *Lora*, Hispanè autem *Agua-pie* respondeo, Loram non esse liquorem expressum ex uvis, sed esse aquam, quæ per mixtionem cum uvis jam expressis habet aliquam similitudinem, seu qualitatem

vini: unde non potest esse materia sufficiens sacramenti, cum re vera vinum appellari non possit. Nec obest, quod hujusmodi Lora varijs modis fieri soleat; nam ex hoc unicè probatur de Lora non posse judicari quadam generali regula, sed juxta maiorem, vel minorem expressionem uivarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum admixtione fit: at numquam erit materia assumptibilis ad consecrationem calicis; siquidem propter dubium, & irreverentiam semper erit grave sacrilegium in prædicto li- quore, quomodocumque fiat, sacramentum calicis confi- cere.

30. Nec majoris iuris proboris est dubitandi ratio contra secundam nostri textus partem num. 4. expensa; ex ea enim solum deducitur, admixtionem aquæ non esse de necessitate sacramenti quod ex dictis supra a num. 12. libenter fatemur. Et certè sicut sacrificium Christi fuit figuratum per oblationem Melchisedech, ita (docente D. Ambrosio lib. 5. de Sacram. cap. 11. tom. 4.) significatum etiam fuit per aquam, quæ in cremo fluxit de petra, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. ibi: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Unde Ambrosius ubi nuper cap. 1. ita loquitur: *Redundat aqua in calicem, & salit in vitam eternam.* Ad primum hujus difficultatis augmentum respondeo, eandem rem posse deservire ad diversa sacra- menta, si diverso modo assumatur, uti accidit in aqua, quæ in Baptismo assumitur ad usum ablutionis: in sacrificio au- tem altaris assumitur ad usum refectionis juxta illud Psal. 22. *Super aquam refectionis educavit me.* Ad secundum ejusdem difficultatis augmentum æquè facile respondemus, quod sicut panis, quatenus materia primæ consecrationis conficitur ex farina admixta aquæ, ita vinum, quatenus est materia consecrationis secundæ, quin ex hoc liceat inferri omnimodam similitudinem; nam aqua utpotè de essentia panis, ut diximus supra num. 13. est etiam de essentia sacra- menti, seu quod idem, est necessaria sacramenti necessita- te: at vero cum aqua non sit de essentia vini, solum est ne- cessaria necessitate præcepti ad consecrationem secundam. Et certè nullus hucusque dubitavit, panem triticeum esse

Materiam primæ consecrationis , licet aliquid panis fā inæ  
hordeaceæ illi admisceatur.

31 Ex dictis constat , quid valeat responderi ad  
*text. in cap. Sacramento 5. de consecrat. dist. 2.* Cui ulterius  
obviam ibis , si in memoriam reducas , oblationes , quæ in  
primitiva Ecclesia à Fidelibus solebant ad altare fieri , fuisse  
in dupli differentiâ; aliæ enim fiebant tanquam de materia  
Eucharistia ab ipsis Fidelibus , qui erant communicaturi , &  
hæ oblationes secundum Domini institutum nihil aliud  
continere debebant præter panem , & vinum juxta *can. 3.*  
*Apostol. cap. 6. & cap. 13. de consecrat. dist. 2.* Et hæc obla-  
tio ideo à Fidelibus fiebat , quia indignum judicabant de  
aliena oblatione communicare. Aliæ autem oblationes fie-  
bant à Fidelibus non tanquam de materia ordinata ad Eu-  
charistiam , sed per modum ceremonia ad substentationem  
Ministrorum interventium altari; & istæ oblationes solebant  
fieri de frumentis , uvis , oleo , & similibus , ut constat ex  
dict. *can. 3. Apostol.* Quarum oblationum erat unicus dispen-  
sator Episcopus , qui unicuique ministrorum prout illi opus  
erat , erogabat ; & de his oblationibus intelligendus *text. in*  
*dict. cap. 5.* Quarè mirum non est , quod nulla mentio fiat  
de aqua; siquidem non agebatur de oblatione , quatenus est  
materia Eucharistia , sed tantum prout deservit ad substen-  
tationem Ministrorum. Nec difficultorem solutionem accipit  
*text. in cap. cum omne crimen 7. de consecrat. dist. 2.* Siqui-  
dem in illis verbis : *Prater panem , & vinum aliud offerre*  
*non licet* , Julius Papa non intendit excludere admixtionem  
aqua , sed tantum condemnare vult quandam errorem Hæ-  
reticorum , qui lac pro vino in sacrificio Missæ appone-  
bant.

32 Nec urgentior est tertia , & ultima dubitandi  
ratio , pro cuius solutione fatemur , aquam in consecratio-  
ne calicis vino admiscendam debere esse sensibilem , dum  
vino apponitur : Non vero post mixtionem ; aliæ enim da-  
retur dubium circa substantiam vini Nec urget difficultatis  
augmentum ; nam si nulla apponetur aqua , excluderetur  
totaliter , tūm significatio sanguinis , & aquæ , quæ ex late-  
re Christi Domini profluxere ; tūm significatio unionis Fide-

lium cum suo capite Christo Domino; tum significatio duplícis naturæ existentis in Christo; tum etiam significatio gratiæ, quæ communiter dicitur aqua saliens in vitam æternam: ob quas omnes significaciones diximus supra num. 11. Christum Dominum vino consecrando miscuisse aquam, & Ecclesiam tale præceptum imposuisse. Nec obet, quod aqua, si modica est, statim in vinum convertatur; nam per talem conversionem significatur apud hanc, populum incorporari Christo, quod sine dubio pertinet ad mirabiles effectus hujus sacramenti. Ad ratiocinium ibidem efformatum dicimus, quod quamvis per appositionem aquæ in magna quantitate non tolleretur significatio unionis Christi cum Ecclesia: tamen aqua admixcenda debet esse modica; tum quia quamvis modica, est sufficiens ad significandam prædictam unionem; tum quia si plus de aqua, quam de vino apponetur, desiceret materia necessaria secundæ consecrationis, cum abs dubio posset aqua corrumpere vinum; ideoque cavetur in nostro cap. Perniciosus 13. de celebrat. Missar. ne aqua ponatur in majore quantitate, quam vinum; tum etiam quia si aqua, & vinum apponetur in æquali quantitate, materia vel redderetur dubia, vel nulla, ut supra dicebamus num. 26. Proindeque debemus insistere ibidem dicitis.

33. Nec ultima confirmatio assumptum evincit; nam Christus Dominus non instituit sacramentum hoc inter coenandum coena usuali, & ita, ut rem communem, & vulgararem ageret: sed, ut animadvertisit Doctor Eximus de Sacram. disp. 45. sect. 3. ante inchoatam coenam, singulari attentione, & reverentia, prout mysterium postulabat, unde non fuit opus uti in mysterio vino mixto modo usuali, sed mystico, prout nunc fit in sacrificio. Et hoc pacto intelligendi sunt omnes Ecclesie Patres, quando hunc calicem vocant mixtum, seu temperatum aqua; loquuntur enim de mystica, & significativa mixtione.

Et hæc sufficiant pro hujus textus  
elucubratione.

( O )

ELU:

# ELUCUBRATIO

## A D

*TEXT. IN CAP. AD NOSTRAM 7. DE JURE JURAMD.*

**H**ujuscæ Epistolæ Decretalis Auctor est Alexander III. Rolandus antea dictus , natione Tuscus , patria Senensis , qui cum esset Presbyter Cardinalis tituli S. Marci , & Apostolicæ Sedis Cancellarius , Romanus Pontifex fuit electus anno Domini 1159. vir prudentissimus , omnibus virtutibus pollens , divinis humanisque litteris valde instructus , quem D. Bernardus miris extollit laudibus , & plura de ejus vita , & gestis refert Baronius anno 1158. Hujus Pontificis plures extant constitutiones in Decretalium corpore , inter quas primum obtinet locum , quæ refertur in nostro textu , & extat tom. 2. Conciliorum , titul. de usuris , cap. 7. Hæc sunt nostri Pontificis verba .

*Ad nostram neveritis audientiam , quod cum P. quibusdam hominibus certam summam pecuniae mutuasset , quasdam ab eis possessiones , & redditus recepit in pignore , ipsos juramenti religione astringens , quod super illis donec solverent sibi pecuniam , nullum ei gravamen inferrent . Licet autem de possessionibus illis , & redditibus nondum sortem , deductis expensis , reperit , tamen frater Archiepiscope eum propter hoc excommunicationis vinculo astringisti : ( & infra . ) Ideoque mandamus , quatenus recepta a prefato P. sufficienti cautione , quod vestro debeat parere mandato : absolvatis eundem . Deinde debitores ejus , qui predictas possessiones , & redditus contra juramentum substraxisse dicuntur , si ita est , eos Ecclesiastica censura cogatis , ut bac res-*

*tituant, nec sibi molestias inferant, donec ei pecunia persolvatur, &c.*

1 Ex quibus verbis cuncti Canonici Juris Interpretes hanc inferunt conclusionem, quæ & in summario nostri capitulis proposita est: *Debitor qui juravit creditori nullum gravamen super res pignorata inferre, donec solverit debitum, non auditur repetens pignus volendo compensare fructus in sortem: sed debet prius debitum integraliter solvere, & demum rem cum fructibus inde perceptis expostire.* Quæ conclusio firmatur ex cap. ex litteris 32. hoc tit. cap. insinuatione 1. de feudis, cap. illo vos 4. cap. cum contra 6. de pignorib. cap. ad nostram 5. de empt. & vend. cap. plures 1. cap. quantam 2. cap. conquestus 8. cap. salubriter 16. de usuris. De Jure Civili probant etiam textus in leg. si pignore 22. in pr. leg. Gajus Sejus 39. ff. de pignor. action. leg. titia 48. ff. de solutionib. leg. 1. 2. 3. & fin. Cod. de pignorat. action. leg. 1. Cod. de distract. pignor. leg. 2. Cod. de partu pignor. De Jure Regio consonant textus in leg. 2. tit. 13. part. 5. leg. 4. tit. 6. lib. 8. recopilat. Illustrant ultra relatos à Doct. Balboa, & Graña in praesenti, idem Graña in cap. 1. de feud. D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 1. vers. binc iustissimè, & in cap. quamvis pactum 1. part. §. 4. à num. 8. Gutierrez de juram. 3. part. cap. 64. Angelic. Praeceptor 2. 2. quæst. 78. art. 2. Soto lib. 6. de just. quæst. 1. art. 2. vers. ad sextum, Doct. Eximius P. Suarez tom. 2. de Religion. cap. 37. P. Molina tract. 2. de justit. disp. 560. P. Sanchez lib. 3. summ. moral. cap. 17. num. 15. Castillo lib. 3. controv. cap. 13. à num. 5. Petrus Gregor. lib. 2. de usur. cap. 1. & 9. P. Pitring. ad hunc titul. sect. 1. §. 9. num. 78. & ad tit. de usur. sect. 4. §. 2. per tot. D. Gonç. bis. & in cap. cum contra 6. de pignorib. alijque plures in dis- cursu hujus nostræ elucidationis recensendi.

2 Sed licet hæc assertio tot sit juribus roborata, totque Interpretum placitis munita, quasdam tamen patiuntur, & quidem non leves dubitandi rationes. Prima itaque militabit adversus primam nostri textus partem, ex qua communiter docent Interpretes, debitorem, qui juravit se solu-

soluturum , non satisfacere juramento compensando , sed necessariam esse veram, realemque solutionem; contra quam sic formo argumentum. Debitor, quia juravit solvere, compensationis objectione liberatur, & à perjurio excusatur: ergo in specie nostri textus necessaria non erat realis solutio, sed sufficiebat compensatio. Antecedens probatur ex eos; quia nihil interest, an quis solverit, vel compensaverit, ut traditum est in leg. si debitor 4. ff. qui potior. in pignor. habet compensatioque pro solutione reali habetur in leg. si constat 4. Cod. de compens. leg. 19. ff. de liber. caus. leg. 76. ff. de verb. signific. at nemo negat, realiter solventem satisfacere juramento: ergo & compensando satisfacere creditur. Confirmatur difficultas; quia juramentum, & res judicata equi-  
 parantur in jure, leg. 2. ff. hoc tit. leg. post rem judicatam  
 56. ff. de re jud. & tamen condemnatus per compensationem legitimam satisfacit sententia in rem judicatam trans-  
 factae, leg. rei judicatae 15. §. 1. ff. solut. matrim. leg. 2. Cod.  
 de compensat: ergo & satisfacere creditur juramento. Fulci-  
 tur eadem dubitandi ratio ex sequenti consideratione: quo-  
 ties debitor facto creditoris impeditur solvere , nihil ei im-  
 putari potest; siquidem inutilis est actio ejus, per quem stat,  
 quominus , quod sibi debetur , solvatur , leg. potior. 11. §.  
 ultim. ff. qui potior. in pignor. hab. atqui debitor, qui com-  
 pensat, facto debitoris impeditur solvere; si enim creditor,  
 quod debet , solveret suo debitori , statim quoque debitor  
 viciissim creditori satisfaceret : Idcirco nihil debitori impu-  
 tandum est , qui post juramentum præstitum de solvendo,  
 compensationem opponit. Modò sic : quoties per eum , in  
 cuius persona impleanda est conditio, stat, quominus implea-  
 tur, jure habetur pro impleta ad favorem ejus, qui implere  
 debuit leg. Jure Civili 24. leg. Julius Paulus 81. §. tunc 1.  
 ff. de cond. ♂ demonstr. leg. 83. in fin. ff. de verb. obligat.  
 cum alijs congestis à Sapientissimo Primatio nostro D. Pu-  
 ga in Acad. ad titul. de condit. inst. cap. 3. ex num. 27. sed  
 qui debet , & non solvit , impedimentum ponit retinendo,  
 quominus alter impleat solvendo ; ob quod etiam non sol-  
 vens solvisse creditur , & pro impleta habetur conditio, leg.  
 3. §. 2. ♂ 8. ff. de stat. liber. ergo & solvendi obligatio per

com.

compensationem impletur , & consequenter juramento satisfactum esse censeri debet.

3 Quam difficultatem ut effugiant utriusque Juris Interpretes , in diversa latibula configurerunt , variaque subterfugia , & cuncta quidem inania comularunt. Abbas Panormitanus *in nostro textu num. 3.* respondet , ideo compensationem ibi adhissam non fuisse , quia debitores jurarunt nullam molestiam , vel gravamen creditori mutuanti inferre , donec pecunia mutuo accepta solveretur : & si admitteretur compensatio fructum , seu redditum ante solutionem , utique molestiam pateretur creditor contra fidem juramenti. Quam solutionem inter alias relatas sequuntur P. Sanchez *lib. 3. Summae , cap. 17. num. 15.* Messa *lib. 3. var. cap. 41. numer. 4.* & D. Gonçal. *in praesenti num. 4.* *In fin.* dum ex hoc tacite renunciatum compensationi dicunt. Sed hæc solutio ex eo non placet; quia is , qui suo jure utitur , nullam molestiam , aut gravamen inferre videtur , *leg. Aurelio 20. §. Catus 1. ff. de liber. legat. cum vulg.* sed fructus pignoris in sortem imputantur , seu compensantur ; nec creditor etiam ex pacto expresso eos sine usurâ lucrari potest , ut expressè probant *text. in cap. 6. de pignorib. cap. 6. & 7. de usur. leg. 1. & 2. Cod. de pignor. act. leg. 11. Cod. de usur.* junctis ita docentibus Castillo , *lib. 3. controv. cap. 23.* Noguerol *allegat. 10. ex num. 167.* & D. Retes *de donat. cap. 3. num. 18:* ergo ex hoc non potuit excludi compensationem in nostro textu. Et nullam molestiam creditoris in hoc esse , satis constat ex verbis illis : *licet de possessionibus & redditibus nondum creditor plenè sortem reperit :* & ita affirmat Pontifex , compensationem simpliciter considerat , seu computationem fractuum , & redditum nullam creditoris molestiam continere.

4 Quare , hac omissa solutione , aliq via difficultatem evanescere contendunt alij antiqui , quos refert , & sequitur Gutierrez *de juram. 3. p. cap. 64. num. 3.* affirmantes , ideo excludi compensationem , quia juramentum in specifica forma implendum est , seu per realem numerationem , ubi debitor juramento promisit , se non inquietatum creditorem , donec pecunia solveretur. Verum hæc evasio

sio communiter rejicitur ex eo , quòd licet juramentum stricte , & in specifica forma sit observandum , nihilominus juramentum de solvendo satis servatur per compensationem , arg. leg. qui heredi 44. leg. *Mæcius* 55. ff. de condit. & demonst. ubi notatur , conditiones esse adimplendas in specifica forma , nec satis esse per æquipollens eas servari : & tamen conditio dandi vel solvendi per compensationem impletur , vel per impedimentum ejus , in cuius persona implenda est , leg. si peculium 20. §. quod si heredit 2. ff. de statu liber. Id , quod in terminis juramenti expressè suadetur ex cap. ex parte 13. de cleric. non resid. ubi loquitur de eo , qui interesse Ecclesie juravit ; & nihilominus docet , quòd si absens sit pro servitio Ecclesie , non est perjurus , sed potius quasi per æquipollens juramentum implete videtur , ut constat ex verbis illis : *Cum ex hoc censeri debeas residens , perjurium non incurris* : ergo & si compensatio sit solùm imaginaria , & æquipollens solutio , tamen juramentum per compensationem adimpletum censeri debet. Accedit ; nam nihil interest , quod specificè aliquid , aut æquipollenter fiat , leg. 11. §. si cui 11. ff. de legat. 3. leg. mulier 22. ff. ad Trebell. leg. 3. Cod. de inst. & subst. cap. licet ex quadam 47. de testib. sed compensatio , & solutio sunt æquipollentia , leg. si debitor 4. ff. de compensat. leg. 19. ff. de liber. causa. Igitur in specie nostri textus satis juramentum adimplebatur solvendo , vel compensando mutuam pecuniam.

5 Nec felicius propositam difficultatem effugiet , si quis respondeat , ex eo compensationem in nostro textu excludi , quia debitores non simpliciter sed ad solvendum obligarunt , quo casu promissio solvendi tolli posset compensatione , & quacumque alia æquipollente satisfactione , seu liberatione , leg. 54. ff. de solution. sed se obligarunt ad solvendum cum adjuncto pecuniam , quæ promissio realē numerationem exposcit , leg. solutam 49. de solution. compensatio autem noē est vera , sed ficta , & imaginaria solutio , leg. si cum filio fam. 9. ff. de compensat. Donel. ad tit. Cod. eod. cap. 3. Olea de cess. jur. tit. 6. quæst. 1. num. 17. & ideo in nostro textu exigunt vera , & naturalis pecunia numeratio : atque ita tenet Castillo lib. 3. controvo. cap. 13.

num. 86. *O de aliment. cap. 67. num. 3. in fin.* cui subscrifit Primarius noster Doct. Armenteros *in cap. I. de usur.*  
*num. 21.* Sed minus placet hæc interpretatio; nam præterquamquod falsitatis convincitur ex traditis à Præceptore meo D. Serna *in tract. de imaginar. solution. quæst. 3. num.*  
*5.* ubi probat, promittentem solvere pecuniam liberari ab obligatione, compensatione, aut alia æquipollente satisfactione; ulterius intra speciem nostri textus rejicitur quia verbum *pecuniam*, quod est in littera, non est mysterium decisionis, sed casualis expressio debiti, ex eo, quod ibi agebatur de mutuo, quod regulariter reali numeratione pecuniae contrahitur, *leg. 2. in pr. O per tot. ff. de reb. cred. princ. Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* & aliunde quilibet debitor quantitatis, etiam sine adjuncto *pecunia*, realiter debet numerare ex ratione *leg. solutam 59. leg. pen. ff. de solution.* nisi ubi adest voluntas creditoris, quo casu quilibet alia satisfactio parit liberationem, *leg. satisfactio 52. ff. eod. leg. 47. ff. de verb. signif.* ad compensationem autem hæc creditoris voluntas datur ex ipso origine, & causa contrahendæ obligationis, ut latè fundat Magister meus D. Serna *in tract. de compensat. cap. I. num. 9. cum 2. seqq.* Et ex nostro textu constat, debitum, seu sortem dici, quod univoce appellatur pecunia, ibi: *Nondum plenè sortem: & post: sorte velit esse contentus: & post: Ultra sortem recepisse: & ita nec mysterium in hoc est, neque esse poterat.*

6 Igitur, his evasionibus rejectis, forsitan superiori difficultati occurret aliquis dicendo, idcirco in præsenti fructum compensationem ante veram debitæ quantitatis solutionem admissam non fuisse, quia tempore, quo debitores conabantur repeterre possessiones pignori datas, nondum erat liquidum, quantum ex fructibus creditor percepisset: at compensatio nusquam admittiatur, nisi ea de liquido, id est, certo, & indubitate debito objiciatur, *leg. ult. §. I. Cod. de compensat. leg. ult. ff. depositi.* Quod autem in nostro textu quantitas a creditore ex fructibus pignorum percepta non fuerit liquida, inde patet; quod ex fructibus expensæ erant deducenda, ut inibi significatur illis verbis:

*Deductis expensis.* Et ita (aliorum expositionibus rejectis, & confutatis) decisionem nostri capituli exaudiendam esse putat D. Covarr. in cap. quamvis pactum 1. part. §. 4. num. 9. quem sequitur P. Pirhing. ad hunc titul. scđt. 1. §. 9. num. 80. Sed hanc interpretationem merito rejiciunt celebres Jesuitæ PP. Molina, & Suarez infra referendi: & quidem in hoc rationem suæ decisionis non ponit noster Alexander III. præterquamquod respectu fructuum consumptorum liquida potuit esse quantitas ex traditis à Doct. Balboा hic num. 17. Accedit, quod præter possessiones immobiles, etiam reditus fuerunt pignori dati (non possessionum; nam hi propriè fructus sunt, sed jura quidem ad annuos reditus, aut vestigalia) qui utope in quantitatibus consistentes, liquidum debitum, & compensabile efficere potuerunt: manet ergo falsitatis convicta prima nostræ assertionis pars.

7 Non minores difficultates continet posterior nostri textus pars, quatenus in ea asseritur, creditorem absque usurarum exactione non posse fructus ex re sibi pignorata perceptos retinere, sed teneri eos in sortis principalis liberationem computare deductis expensis; contra quod pro ratione dubitandi sic insurgo. Creditor, dum debitum à debitore ipsi non solvit, & de principali forte sibi satisfactum non est, pignoris pro pecunia mutuo data accepti retinet possessionem, leg. cum & sortis 35. §. pignus 1. leg. Si pignus 37. ff. de pign. act. junct. cap. 1. de usuris, ibi: Possessionem absolute restituat debitori; quæ verba, cum probent, obligatione principali extincta, teneri creditorum possessionem pignoris debitori restituere, aperte insinuare videntur, penes creditorem, ante debitæ pecuniae solutionem, remanere rei pignoratae possessionem; sed fructus rei possessæ sequuntur possessorum, cap. gravis 11. de restit. spoliat. leg. bone fidei 48. ff. de acquir. rer. dom: ergo poterit creditor fructus ex re pignorata, quam possidet, percipere absque ullo onere eos computandi in sortem principalem. Quæ consideratio adversus conclusionem, quam deduximus ex nostro textu, proprijs ejusdem textus verbis fulcitur; inquit enim Alexander III. Deinde debito-

res ejus , qui p̄dicitas possessiones , & redditus contra jura-  
mentum subtraxisse dicuntur , si ita est , eos Ecclesiastica  
censura cogatis , ut hac restituant , &c. Ex quibus verbis  
non obscurè colligitur , cum , qui , datis creditori pignori-  
bus , suraverit , quantitatē mutuo datam se soluturum , te-  
nere p̄cise ad ejus solutionem , nec posse objicere fructuum  
ex pignoribus perceptorum computationem in sortem prin-  
cipalem : ergo quia creditor fructus ex re pignorata percep-  
tos ita suos facit , sibique acquirit , ut debitori restituere  
non teneatur ; alias enim posset debitor compensationem  
eorum in sortis principalis liberationem objicere .

8 Confirmatur difficultas ex cap. 1. de usuris , cu-  
jus textus decisio non minimas p̄fato arguento vires ad-  
hibet. Ibi enim , cum noster Alexander III. in Concilio  
Turonensi decrevisset , ne quis creditor fructus pignoris per-  
cipere valeat absque eo , quod illos in sortem principalem  
computet , ita ut si sortem suam , deductis expensis , ex fru-  
ctibus perceperisset , possessionem absolutè debitori restituere  
teneatur , depositionis poena aduersus eos , qui contra fa-  
ciant , imposta , subiicit in fine hac verba : *Nisi fortè Ec-  
clesiae beneficium fuerit , quod redimendum est , hoc modo , de  
manu laici videatur.* Ex quibus verbis facile deprehenditur ,  
quod si p̄dium , quod beneficio Ecclesiae assignatum fue-  
rat , clero pignoris jure traditum sit , fructus ex illo per-  
ceptos licetē retinere potest , nec debet conferre in extenua-  
tionem sortis principalis : ergo fructuum à creditore ex pos-  
sessione pignoris accepta perceptorum in sortem principa-  
lem non fit computatio. Idque ipsum suadetur ex eode in  
Alexandro III. in cap. conquestus 8. eod. tit. ubi Abbatii , &  
fratribus S. Laurentij rescribens affirmat , quod si terram  
pro pecunia credita vinculo pignoris detineant , & de fru-  
ctibus ejus sortem principalem , deductis expensis , recepe-  
runt , p̄dictam terram debitori liberè dimittant , nisi ter-  
ra ipsa de feudo sit Monasterij , quæ verba clarè ostendunt ,  
Religiosos terram vinculo pignoris detentam pro mutuo  
dato debitori , qui illam à Monasterio ipsorum in feudum  
possidebat , ita habere , & possidere posse , ut fructus ex ea  
perceptos sibi p̄cipuos absque ullo onere computationis  
in

in sortein principalem retinere possint. Cui decisioni consonat, & alia Innocencij III. in cap. *insinuatione 1. de feudis*, quo loci probatur, creditorem fructus ex pignore absque usuræ labe sibi percipere, & lucrari posse. Proponitur enim, quod cum Episcopus Mariensis cuidam vassallo suæ Ecclesiæ certam pecuniaæ quantitatem mutuò dedisset, ipse debitor vicissim possessiones quasdam, quas ab Ecclesia Mariensi in feudum acceperat, pignoris nomine tradidit ipsi Episcopo: unde quæsitum fuit, utrum Episcopus fructus perceperet ex illo fundo teneatur computare in sortein principalem? Qua de re consultus Pontifex respondit, prædictum Episcopum licite posse detinere Gageriam (id est, feudum in pignus datum) fructibus in sortein non computatis: contamen adhibito moderamine, ut interea temporis, quo Ecclesia fructus ex feudo in pignus accepto percipit, prædictus vassallus ab obligatione servitij, & obsequij impendendi sit immunis. Ex qua textus decisione non obscurè probatur, usurarium non esse creditorem, qui fructus ex pignore perceperet in sortein non computat principelem, contra quod ab Alexandro III. cautum est in posteriore nostri textus parte.

9 Neque hujus difficultatis nodum dissolvet, si quis respondeat, quod in specie prædictorum jurium fructus creditori acquiruntur absque usuræ labe, quia cum dominium directum ab initio semper remanserit penes dominum proprietatis, si dominium utile ad eundem revertatur ex voluntate vassali oppignorantis, consolidatur utrumque dominium, ideoque dominus non censetur fructus percipere ex re aliena, sed ex propria, & sic jure dominij ad illum pertinent absque usuraria pravitate: Ita Abbas in d. cap. *insinuante 1. num. 5. Fagnan. num. 2. & 3. & P. Pirhing. ad titul. de usur. sect. 4. §. 2. num. 100.* Verum hæc interpretatio manifestè refellitur ex eo, quod per dationem pignoris non consolidatur dominium utile cum directo; id enim nullibi in jure est expressum, quinimò contrarium constat ex leg. *pignus 9. Cod. de pign. action.* sed utile dominium adhuc manet penes debitorem vassallum, & ejus nomine fructus à creditore percipiuntur, in quem habentem do-

dominium directum , transit jus detinendi dominium utile , non ut proprium , sed solum in pignus , seu pignoris nomine. Deinde , nam si dominus directus pro eo tempore , quo feudum possidet titulo pignoris , haberet utrumque dominium in feudo , non posset esse pignoris loco , quia hoc non potest constitui in re propria , cuius quis & dominium directum , & utile habet , adeoque eo tempore omnino desinet esse vassallus , qui feudum in pignus dedit , ut recte considerant D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 4. Doct. Balboa hic num. 32. Ejusdemque valoris nullius nempe , est solutio allata à Cujac. lib. 2. de feud. tit. 3. in fin. qui cum pluribus quos refert , existimat , id procedere ex conventione inter Ecclesiā , & vassallum in initio contractus facta , ut scilicet , durante pignore , fructus lucro Ecclesiæ cedant : qua conventione interveniente , uterque , Ecclesia scilicet , & vassallus conveniunt in cessatione servitiorum , quorum praetextu fructus ultra sortem ab Ecclesia detinentur. Rejicit enim meritò hanc solutionem Primarius noster Doctor Armenteros in cap. 1. de usur. num. 16. usurā namque ex conventione solvi , & praestari non possunt , cap. debitores 6. hoc tit. ubi tradunt communiter Canonistæ. Sicque etiam futilis detegitur solutio alia , quam tradit Glossa in Summ. princ. caus. 14. q. 3. dum existimat , decisionem illorum iurium speciali niti favore Ecclesiæ contra ordinarias juris regulas , de quibus in nostro textu , & alijs supra in ejus confirmationem adductis. Siquidem hæc interpretatio duplice ratione convincitur à Panormitanō in dict. cap. insinuante 1. num. 5. Tum , quia textus utitur verbo declaramus , quod verbum neutriquam jus novum inducit , sed tantum antiquum , quod est , interpretatur ; tum etiam , quia Ecclesia omnino abstinerē debet ab usura exercenda , maxime propter bonum exemplum , cap. fraternitas 11. 12. quæst. 2. cap. suam 9. de pœnis. adeo enim odiosa censetur usura , ut neque pro redemptione captivorum admittatur , quæ alias omnium piissima causa est , cap. super eo 4. de usuris.

10 Rursus eamdem nostri textus partem impugnat decisio textus in cap. salubriter 16. de usuris , in cuius specie proponitur , Socerum genero quasdam possessiones

pignori tradidisse pro numeranda dote sibi promissa; (sic enim legendum est, & non *pro numerata dote*, ut in vulgaris codicibus; quia si dos numerata esset, non posset pignus consistere; siquidem nulla esset ebligatio, cui accedere posset, ut advertunt Hostiensis, & Joannes Andreas *in eo textu, verbo numerata.*) Dubitaturque, utrum fructus ex pignore ab eo percepti in sortem deberent computari. Cui dubitationi Innocentius III. respondit, maritum compellendum non esse ad talem fructuum computationem, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda. Ex qua decisione planè constat, generum usurarium non esse, etiam si præcipios percipiat fructus rei pignori accepte ultra sortem ipsam. Quæ Pontificis decisio difficilis admodum visa est Juris nostri interpretibus, qui diversimode decisionem eamdem explicarunt. Nam sunt, qui dicunt, id favore dotis, & matrimonij esse concessum à jure tanquam speciale privilegium: quæ doctrina nullo modo sustineri potest, communiterque rejicitur; cum enim usura omni jure sit prohibita, non potest excusari, vel licita fieri ob favorem dotis, vel matrimonij, vel ob aliam causam piam, *cap. super eo 4. de usuris.* Quare alij dicunt Pontificem *in dict. cap. salubriter 16.* inniti præsumptioni factæ donationis à Socero, ut possit gener fructus pignoris percipere, dum dos illi non solvitur. Quæ donationis præsumptio oritur ex eo, quod Pater tenetur filij dotem dare, aut alimenta præstare, *leg. qui liberos 30. ff. de ript. nuptiar. leg. fin. Cod. de dotis promiss.* Sed nec hæc interpretatio sustineri valet: tum quia Innocentius III. cum interrogatus fuisset de jure, nihil respondit de donatione, sed de oneribus matrimonij: tum quia id scèpè præsumi non potest, cum Socer velit frequenter, quantum potest, de dote detrahere potius, quam aliquid adjicere, & saltem non haberet locum illa præsumptio, si alias à patre sponsam dotaret, *P. Molina tract. 2. de just. disp. 321. numer. 4.*

**II** Minus placet aliorum interpretatio, dum assertunt, *in eo textu generum fructus lucrari ratione lucri celsantis, aut damni emergentis ex dilata solutione dotis in oneribus matrimonij sustinendis, quia interim, dum dos non*

solvitur , ex proprio patrimonio sustinet onera matrimonij; quæ ex dote , vel dotis fructibus sustinere debebat : & con sequenter recipit pignoris fructus in compensationem lucri cessantis ; siquidem , si statim , cum promissa fuit dos , sibi solveretur, posset maritus cum ea negotiari , & ex tali negotiatione lucrum sufficiens acquirere ad sustinenda onera matrimonij. Ita docuerunt plures , quos congerit D. Covarr. lib. 3. var. cap. 5. num. 3. Noguerol. alleg. 17. & Castillo de aliment. cap. 49. cum 2. seqq. Non , inquam , placet hæc interpretatio, idque duplice ratione; quarum prima est, quia si maritus fructus dotis ratione damni, aut lucri cessantis lucraretur, sequeretur inde, quod non posset illos integros acquirere, quando videlicet valor fructuum excederet lucrum cessans , vel dagnum emergens , sed solum habito respectu ad quantitatem damni, vel lucri, cum tamen Pontifex absolute , & absque ulla distinctione respondeat. Secunda ratio est , nam si fructuum acquisitione ratione damni , aut lucri procederet , hoc esset vel ratione moræ , vel culpæ intervenientis ex parte debitoris, aut ex conventione inter eum, & creditorem celebrata , leg. 2. §. fin. ff. de eo , quod cert. loc. cap. dilecti 17. de foro compet. cap. 2. de offic. ord. in 6. quæ omnia deficiunt in specie dict. cap. salubriter 16. siquidem nulla mora interveniente , aut pactione præcedente, asserit Pontifex, generum lucrari fructus pignoris pro securitate dotis constituti. In eamdem nostri textus partem possunt etiam expendi textus in leg. si is qui 11. §. 1. ff. de pignorib. leg. cum debitor 8. ff. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacite contrab. leg. si pignore 22. ff. de pignor. action. ex quibus probari videtur , fructus pignoris ad creditorem, non ad debitorem pertinere.

12 His difficultatum procellis variè nostræ conclusionis jactatur navicula , sed ut eam in tranquillum portum , sedatis his fluctibus , perducamus , oportet nonnulla prænotare. Est ergo pro clariori nostri textus intelligentia notandum, fructus ex re pignorata perceptos, & à creditore consumptos ipso jure minuere, & extenuare debitum principale , & illorum fieri compensationem, leg. 1. Cod. de distract. pignor. leg. 1. O 2. Cod. de pignor. act. cap. 1. de usus

usuris, ibi: *absolutè possessionem restituat debitori; quæ verba ostendunt, sine aliqua exceptione, & difficultate debere pignus restitui debitori, eò quòd creditor percepit fructus, ex quibus de sorte sibi fuit satisfactum, & quorum consumptione fuit facta solutio, alioquin pignus non teneretur restituere.* Quod tamen intelligas procedere casu, quo creditor fructus consumpsit, nam tunc eorum ipso jure fit compensatio cum sorte, non per se, sed ratione estimationis fructuum; secus autem si extantes sint, nam hi in sortem mutuam non computatur; quia cum sint tanquam species, & quoddam corpus leg. In pecudum 28. ff. de usuris, vel saltem genus, leg. 2. ff. de reb. cred. leg. incendium 9. Cod. cod. tit. in sortem ex compensatione computari non possunt; eò quòd de specie ad quantitatem, seu ad genus non admittatur compensatio, leg. si convenerit 18. ff. de pignor. act. leg. si constat 4. Cod. de compensat: docent Panormitan. in dict. cap. 1. de usuris num. 3. Canisius tratt. de usur. cap. 5. num. 6. D. Gonçal. in notis ad cap. 6. de pignorib. num. 3. & P. Pirhing. ad tit. de usur. sect. 4. §. 1. num. 87. in fin. Sed illicò, non perturbat nos stermet textus, ubi debtor ex mutuo, qui, datis creditori pignoribus, juravit se quantitatem sibi datam soluturum, præcise solvere realiter tenetur, ita ut nec compensare posset, seu ponens computare quantitatem fructuum perceptorum ex pignore in sortem principalem.

13 Occasione hujus difficultatis solet hic ab Interpretibus exagitari elegans, & utilis quæstio: num debtor, qui juravit solvere, posset compensare; seu utrum compensatio ita vim veræ solutionis habeat, ut quemadmodum naturaliter pecuniam solvens, juramentum implet, ita & compensando, juramento satisfaciat, liberque ab obligatione maneat? Et in affirmativam sententiam ut potè veriorem communiter itum est. Cui ad stipulantur fundamenta à nobis expensa supra ex num. 2. Quibus accedit textus in leg. si se non obtulit 4. §. pen. ff. de re jud. ubi Ulpianus: *solvisse, inquit, accipere debemus, non tantum eum, qui solvit, verum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus est;* sed is, qui compensat, liberatur, leg. verum 4. leg. si ambo 10. ff.

*de compensat.* ergo & is omnino solvisse intelligitur: atque ita , qui solvere juravit , compensare non vetatur , & jura-  
mento satisfecisse censendus est. Idque ipsum comprobatur  
authoritate textus in leg. dedisse 76. ff. de verb. signific. &  
in leg. vel permutavit 19. ff. de liber. caus. ubi dedisse intel-  
ligendus est , qui compensavit : sive etiam juramentum  
adimplevisse intelligendus est per compensationem. Quibus,  
& alijs rationibus adductus D. Covarr. in cap. quamvis pa-  
ctum 1. p. §. 4. num. 9. post Bartholom in leg. amplius 15.  
ff. rem ratam baber. Fabrum , pluresque alios à se relatos,  
concludit : eum , qui juravit , se soluturum , liberari com-  
pensationis objectione , & à perjurio excusari. Eandem sen-  
tentiam amplectitur Facheinus lib. 1. controv. cap. 7. Osual.  
lib. 16. com. Donel. cap. 15. duplaci litter. EE. P. Molina,  
tract. 2. de justit. disp. 560. Eximius Suarez tom. 2. de reli-  
gion. lib. 2. cap. 37. P. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 17. nu-  
mer. 15. veriorem dicens in judicando , & consulendo nos-  
ter Pichardus in §. in bona fidei 30. Inst. de action. num. 26.  
Messa lib. 3. var. cap. 46. num. 39. & licet Primarius noster  
Doct. Balboa in cap. 3. hoc tit. ex numer. 30. dubius videa-  
tur , clare tamen hanc sententiam amplectitur in nostro tex-  
tu , num. 28. ubi D. Goncal. num. 4.

14 Neque huic sententiae & iurium , & Doctorum  
authoritatibus munitae obstat noster textus; siquidem nullum  
in eo reperitur verbum , ex quo excludatur compensatio,  
seu proprius computatio , imo contrarium evidenter con-  
stat ex littera , ibi : *Licet de possessionibus illis , & redditibus  
nondum plenè sortem , deductis expensis , recuperit :* & quia  
ex fructibus , & redditibus nondum plenè sortem suam cre-  
ditor recuperat , declarat Pontifex , injustè eum excommu-  
nicatum fuisse ab Archiepiscopo , affirmans clarè ex hoc  
intrà , & usque ad sortem creditorem fructus , seu redditus  
percipere potuisse ; sed hoc sine compensatione , aut pro-  
prius computatione fieri non poterat : ergo probat Ponti-  
fex , compensationi locum esse. Præterea; dum ait Alexan-  
der III. creditorem etiam inducendum esse , ut sortis super-  
fluum , seu residuum restituat , his utitur verbis : *Vos ipsum  
ad restituendum quidquid (deductis expensis) ultra sortem re-*

repisse confiterit, inducere studeatis: ergo non cogitur restituere quidquid intra sortem petcepit, & consequenter hoc computatur; neque enim aliquo jure hoc percipere posset creditor non admissa computatione, seu impropria compensatione redditum cum sorte. Sed, hoc posito, gravis tunc insurgit, & urgens ad modum difficultas; cur nempe, si compensatio, aut computatio locum habet, coguntur debitores possessiones, & redditus restituere. Agnovit dubium noster Balboa *in praesenti*, num. 30. respondens, hoc ex eo procedere, quod cum creditor jus habeat retinendi pignus, donec sibi debitum solutum, aut satisfactum sit, & de hoc non constaret, ideo compelluntur debitores possessiones restituere creditori. Et licet Castillo *de aliment.* cap. 67. num. 3. vers. alium, hanc intelligentiam alienam à mente, & verbis nostri Pontificis dicat, non aperit, aut explicat, cur sit contra mentem, imò nec verba textus legit laboriosus alioquin vir, clare intelligentiam Balboæ firmantia, ibi: *Cogatis, ut possessiones ipsas, & redditus eidem P. dilatione, & app. cess. restituant.*

15 Sed licet Doct. Balboa proprius ad scopum veritatis collimet, ignoravit tamen magnus vir tam fundamenta suæ sententiae, quam alia, in quibus (ni fallor) veræ decisionis ratio consistit. Pro qua breviter notandum est, Alexandrum III. *in praesenti*, loqui de pignore rigoroso per traditionem, ibi: *Possessiones, & redditus cepit in pignus*, quod salvatur etiam in rebus immobilibus, & incorporalibus, cum & hæ traditionem recipiant per immissionem, conductionem, constitutum, cautionem, vel patientiam, ut de Immobilibus constat ex leg. *Prætoris officium* 5. leg. si finita 15. §. 26. cum seq. ff. de damn. in fact. leg. 21. §. si de usufructu 1. ff. de publican. in rem act. cum alijs: & de incorporalibus liquet ex leg. 1. §. ult. ff. de servit. rustic. leg. fin. ff. de servitutib. leg. fin. ff. de servit. legat. docent Antonius Gomez lib. 2. var. cap. 15. num. 25. Cujac. & Faber *in leg. 4. ff. de servitatib.* Galbanus *de usuf. cap. 33.* & contra Hunnium rectè fundat Praeceptor meus D. Serna *in tract. Acad. de pignorib. cap. 1. num. 3.* ubi agit de intelligentia leg. 238. ff. de verbor. signif. & §.

item serviana 7. Inst. de actionib. &c ita, sicet possessiones pignori datae essent, & redditus, seu jura ad annuos pecuniarios proventus, vel vectigalia, nihil vetat, proprium, & rigurosum pignus in eis consistere. Notandum item est, pignoris proprij possessionem ad creditorem transferri, manente solum proprietate, seu dominio pignoris penes debitorem, leg. 9. §. 3. leg. cum O sortis 35 ff. de pignor. act. cum vulg. & quippe possessionem habet creditor acquisitam ex civili, nominatoque pignoris contractu, ideoque competit creditori vindicatio civilis ad avocandam possessionem à quocumque possessore, leg. 16. §. in vindicatione 3. leg. 17. ff. de pignorib. leg. 14. O 18. Cod. cod. tit. cum alijs, adeo ut si debitor ipse dominus rem pignoratam creditor subtraxerit, ab eo avocatur possessio, & tenetur actione furti ratione interversa possessionis, leg. creditoris 15. leg. in actione 19. §. qui rem 5. leg. 20. O 81. ff. de furtis, leg. 3. O 22. ff. de pignor. act. ut fatentur agentes de conciliatione horum jurium cum leg. 12. §. sed et si 2. leg. 67. §. quod furti 4. ff. de furtis, Cujac. lib. 11. obser. cap. 11. Osuald. lib. 15. cap. 29. litt. G. Amaya lib. 2. obser. cap. 9. D. Retes ad 1 g. Atiniam. num. 37. Illud denique noto, in nostro textu non intervenisse pactum, quod creditor fructus possessionum pignori datarum lucraretur, ut supponunt recte P. Molina, Suarez, & communiter alij, sed simpliciter possessiones, & redditus pignori datos, quod constat, ex littera. Vel etiam si posita fuisset conventio; nihil hoc refert, ut uno, & altero casu fructus in sortem imputentur.

16 Quibus præmissis patet jam perspicuus intellectus hujus nostræ decisionis, ubi datae fuerunt pignori possessiones, & reddituum jura, & traditio intercessit, e modo, quo dixi num. antec. jurarunt debitores, donec solvissent pecuniam mutuam, nullam molestiam, vel gravamen inferre creditori: postea propria auctoritate ipsas possessiones pignoratas, & reditus debitores subtraherant; verba sunt textus, ibi: *Possessiones, O redditus subtraherunt,* in quo utique fecerunt contra juramentum: nam molestiam: & gravamen facit debitor subtrahendo pignus traditum

creditori : & licet dominus sit , hoc non permittitur , imo furtum committit , & possessio avocatur a creditore , juxta jura num. antec. adducta: unde nihil mirum , quod Pontifex jubeat , possessiones restitui creditori : debitores ergo , ut prius se excusarent a restitutione , forsan allegarunt coram Archiepiscopo , creditorem fructus ultra sortem velle percipere , ob quod credens usuram inesse , quae verè non erat , Archiepiscopus creditorem excommunicationis vinculo adstrinxit . Sed quia de possessionibus illis , & redditibus nondum plenè sortem , deductis expensis , creditor reperat , inuste eum excommunicatum ab Archiepiscopo , justè Pontifex absolvendum jubet , concludens facta prius possessionum restitutione creditori ex ratione superiori , quidquid intra sortem ex fructibus reperit creditor , deberi cum sorte computari , quod probant illa verba : *Quod ultra sortem recepisse confiterit* , hoc restituat debitoribus . Si enim hoc restituit creditor solum , quod ultra sortem accepit : ergo quod intra sortem ex fructibus possessionum percepit , computatur , & compensatur cum sorte principali , & consequenter manifeste probat textus noster , debitum juratum posse compensari .

17 Neque obstant verba : *Donec ei pecunia solvatur* ; & illa : *Cum pecuniam sicut juraverunt , persolverint* , quæ exprimere videntur , pecuniam realiter numeratam fuisse , & consequenter exclusam fuisse compensationem ; nam responderetur , hæc verba accipienda juxta effectum , & non juxta modum , hoc est , de solutione effectiva : & cum hoc sensu nihil intersit , an quis solverit , vel compensaverit , ut loquitur textus *in leg. 4 ff. qui postior. in pignor.* ideo sine mysterio his vocibus utitur Pontifex , ut rectè in hoc præscindunt P. Molina tract. 2. de just. disp. 560. ex num. 13. P. Suarez tom. 2. de Religion. lib. 2. cap. 37. num. 10. Doct. Balboa hic num. 30. Deinde eti materialiter præfata verba accipiuntur , nihil ex his contra nos ; nam , ut supra dixi , reditus , seu jura ad annuos reditus , & vestigalia quantitatem liquidam efficiunt , & posita æstimatione fructuum possessionum , jam totum est quantitas materialis , & consequenter pecunia realiter dicitur soluta ; admodum

332

quo , licet in actionibus realibus non admittatur compensatio , quia est de quantitate ad res , tamen postquam de- ventum est ad rerum estimationem , procedit utique com- pensatio , quia jam totum est quantitas , juxta text. *in leg. fructus 7. §. ob donationes 6. leg. rei judicatae 15. §. heredi 1. ff. solut. matr. docent Altamiran. lib. 22. qq. Scœbolæ in leg. 22. ff. de compensat. num. 4. Castillo lib. 4. controv. cap. 40. num. 106.* ergo similiter in nostro textu posita fructuum estimatione , non datur impedimentum ex parte rei ad compensationem. Id quod , (ni me mea fallit opinio) ex littera textus manifestè evincitur. Nam ait Pontifex: *Cum autem prædicto P. pecuniam suam , sicut juraverint , persolverint , vos ipsum ad restituendum quidquid vobis , deducatis expensis , ultra sortem recepisse confiterit ; in quibus verbis jubet Pontifex restitui , quod est ultra sortem ex ratione leg. eleganter 24. §. 2. leg. 42. ff. de pign. act. & à contrariò non restitui , sed compensari , quod est intra sortem : si ergo verba pecuniam persolverint , acciperentur de pecunia realiter numerata , dupliciter creditor debitum con- sequeretur , uno modo per realem numerationem pecuniarum , & alio per receptionem valoris fructuum intra sortem , cum solùm jubeat restituere ultra sortem perceptos : ergo ut hoc evitemus absurdum , dicendum est , Pontificem non fuisse loquutum de materiali , sed de formalí effectiva solu- tione per compensationem fructuum cum sorte.*

18. Sed hucusque dicta turbare videtur textus in *cap. debitores 6. hos nostr. tit.* ubi promittens cum juramen- to solvere usuras foeneratori , vel pecuniam latroni , tantum potest de facto solutum repetere ; quod supponit præcisè teneri solvere , & non posse compensare ex regula *leg. 3. ff. de compensat.* ubi dicitur , interesse potius materialiter non solvere compensando , quām solutum repetere : ergo ille , qui solūm potest repetere , non potest ex vi juramenti com- pensare. Etenim respondetur , quod in eo textu ideo usuræ sub juramento promissæ debent prius solvi , & postea repeti , non quia conventio usuraria juramento firmetur , ut perpe- ram creditit Mancinus de juramento part. I. quest. 3. art. u. num. 12. Sed quia cuin juramentum , quod non vergit in falso

salutis æternæ dispendium, alteriusve præjudicium, impleri  
debeat ex cap. quanto 18. cap. cum contingat 28. eod. tit. &  
solutio sit facti, leg. 7. §. ult. ff. de curator. furioso, nullaque  
turpitudo in promittente versetur, inde, ut Deo satisfa-  
ciat, debet prius solvere, licet creditor postea teneatur  
restituere, cum non possit jus acquirere ad id, quod ex jus-  
titia accipere non debet, ex ratione leg. 1. §. ult. cum vulg.  
ff. de condit. ob turp. caus. ut rectè docent D. Covarr. in  
cap. quamvis paetum, part. 2. §. 3. num. 2. Gutierrez de  
jurament. part. 1. cap. 55. num. 8. P. Sanchez lib. 3. in  
Decalog. cap. 10. num. 9. D. Gonçal. in dict. cap. debitores  
6. num. 3. Quoad nos tamen nihil hæc decisio facit; quia,  
ut egregie observant P. Suarez tom. 2. de Religion. lib. 2.  
cap. 37. num. 7. & P. Molina tract. 2. de just. disp. 570.  
num. 15. non dantur termini compensationis, quia non  
concurrit hinc inde debitum, & creditum, quod necessaria-  
rium est ad compensationem, leg. 1. cum vulg. ff. de com-  
pensat. cum tempore, quo promittens debet sub juramen-  
to usuram, nihil creditor vicissim debeat, qui tunc incipit  
debere, cum jam realiter ei soluta sunt usuræ: & ita non  
est obligatio reciproca simultanea, sed una solum successiva  
in diversis personis. Si autem creditor ex alia causa deberet  
promissori usurarum, utique hic posset compensare; nam  
compensatio, quæ admitteretur contra aliud debitum legiti-  
timum, multò melius admitti deberet contra debitum ille-  
gitimum usurarum, & pariter hoc casu repetitio competen-  
ter ex ratione dict. cap. debitores 6. Nec obstabit, si dicas,  
quod jam ante solutionem usurarum injuria illata est debi-  
tori, exigendo illarum promissionem, ut contra proximam  
solutionem instat Doct. Balboa in cap. 3. hoc tit. num. 35.  
nam ex hoc non sequitur, quod possit compensare, defi-  
ciente debito reciproco ex altera parte; aliud enim est inju-  
ria, quæ salvatur per repetitionem, & aliud debitum in esse  
productum, quod requiritur ad compensationem.

19 Sed adhuc in tuto non sumus, quippè contra  
suprà traditam doctrinam sequens insurgit difficultas; nam  
major est fides Religionis, cuius summa ratio, ajente Pa-  
piniano in leg. sunt personæ 43. ff. de Religios. O sumpt.  
quam

quam priyata: vel publica fides humana, ut notum est; & tamen nec depositarius, nec debitor fiscalis possunt compensare, nè privata fides violetur, leg. I. & ult. Cod. de compensat. leg. pen. Cod. depositi, cap. ult. §. sanè, extra eod. tit. ergo fortiori ratione, quantum distat humana ratio à divina, debitor jurans solvere, non potest compensare. Sed respondendum est, quòd & si certissimum sit, compensatio nem vim habere realis solutionis ex juribus adductis num. 2. sunt tamen multi casus, in quibus, & si admittatur realis solutio, non tamen admittitur compensatio; quia vel ex privilegio causæ, vel personæ ita certo jure constitutum est exempli gratia, reali solutione, & traditione rei, vel quantitatis depositæ, tollitur depositi obligatio, non tamen in eo admittitur compensatio, & si quantitas liquidissima sit, quam depositarius compensare velit. Idque non sine evidenti ratione; nam iniquum esset, rebus depositis aliquem defraudari prætextu compensationis, §. in bona fidei 30. in fin. Inst. de action. ne alias contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Adhæc finis depositi est, ut res solius custodiæ causa deposita, deponenti, cum reposcat, reddatur, leg. bona fides 31. ff. depositi: ne itaque contra hunc finem, & naturam contractus aliquid fiat; compensatio, per quam retardatur rei depositæ restitutio, minimè admittitur, ut pluribus docet D. Gonçal. in dict. cap. ultim. de deposito, num. 2. Quod non sic agi videtur in juramento simpliciter præstito, quod intelligendum est secundum ea, quæ actui jurato convenient, aut jure convenire possunt, cap. quemadmodum 25. hoc tit. leg. ultim. Cod. de non num. pec. Sic etiam, licet debitor fiscalis, vel reipublicæ ex causa tributaria, vel publica realiter solvendo liberetur, tamen non liberatur compensando; si debitor sit ex causa pensationum, tributorum, & stipendiorum; quia in his rerum agendarum, & Civitatis nervi consistunt, in quibus periculosa mora prætextu compensationis, ut expressè probant textus in leg. aufertur 49. §. 5. ff. de jur. fisc. leg. 3. Cod. de compensat. leg. 26. tit. 14. p. 5. licet extra has, similesque publicas privilegiatas causas compensatio contra filium objici possit: quomodo procedunt, & cum superioribus

bus concipienda sunt jura in leg. idem 12. leg. ultim. ff. de compensat. videndus D. Gonçal. ubi suprà num. 11.

20 Præterea superiorum doctrinam turbare videatur, quod obligatus ad factum liberetur solvendo interesse, ut vulgo probari solet ex leg. si ita 14. leg. 54. §. 1. leg. 68. & 72. vers. Celsus ff. de verb. oblig. cum alijs congestis à Vinnio ad Rubric. Inst. de empt. & vendit. à num. 3. & tamen, si cum juramento facere promittat, præcisè ad factum compellitur, ut ex Panorm. Antonio Gomez, & alijs docet Salmanticensis Primarius Doct. Balboa in cap. 3. hoc tit. num. 32. Ergo pariter, & si debitor regulariter possit compensare, tamen stante juramento, præcisè tenetur solvere. Verum nec hoc argumentum veritatem doctrinæ supra traditæ remoratur; nam verior est sententia affirmans, obligatum ad factum non liberari præstanto interesse, sed præcisè posse ad factum compelli, ex leg. officium 9. leg. 58. & 68. ff. de rei vind. cap. 1. cap. 3. de paet. cap. ex litteris 10. cap. sicut 22. de sponsalib. leg. 5. tit. 27. part. 3. leg. 3. tit. 14. part. 5. ut post multos à se relativos tenet noster Valentia lib. 2. tract. 2. de re judic. cap. 4. & amplexantur fo- rentes melioris notæ, ea declaracione, quod in factis successivis, ut fabricandi, & similibus compellitur debitor per mulcas, & incarcerationem, donec faciat; in factis vero momentaneis, ut renunciandi, tradendi, & similibus, facta prius monitione rei, & accusata contumacia, judex supplet factum, & pro facto habet, ex ratione leg. 9. in fin. cum seqq. ff. de reb. auctor. judic. cap. contingit 9. de dolo, Castillo de usufructu cap. 13. ex numer. 13. Carlebal de judiciis. tom. 2. tit. 3. disp. 3. Salgado de reg. protect. 4. p. cap. 5. num. 91. Olea de cession. tit. 5. q. 8. & plenè hanc sententiam de Jure Civili, Canonico, & Regio veram esse fundavit contrarijs fundamentis satisfaciens, scopè, sed numquam satis laudatus Præceptor meus D. Serna in tract. acad. de stipulat. penal. cap. ultim. à num. 3. & ita hoc argumentum nihil probat, cum nec suppositum sit verum, nec positum aliquo juris testimonio probetur.

21 Consequens, & succedanea superioribus est Quæstio illa, an si quis promittat verè solvere, possit com- pen-

pensare? In qua P. Pirhing. ad hunc tit. sect. 1. §. 9. numer. 80. in fin. ait, compensare non posse; quia compensatio non est vera, sed ficta, & imaginaaria solutio, leg. si cum filio-fam. 9. ff. de compensat. cum alijs supra add. Pro qua sententia refert Augustin. Barbosam in praesenti num. 8. ¶ 9. Ego vero sanè affirmo, posse compensare, quia veritas promissionis referenda est ad effectum liberationis, & non admodum materialitatem: & verè in conceptu juris, & effectu liberationis solvit, qui compensat, leg. si debitor 4. ff. qui potior. in pign. bab. leg. si constat 4. Cod. de compens. ¶ similib. Aliud utique esset, si debitor promisisset realiter, materialiter, vel in cunctanti solvere, vel cum juramento, vel sine eo, quod non refert; hoc enim casu compensationem objicere non posset, ex ratione leg. solutam 49. ff. de solutionib. & in his terminis loquuntur, accipiendo sunt Salgado in labyrintho. cred. p. 3. cap. 6. §. unic. num. 6. & Cyriacus contrav. 120. num. 14. ratio est; nam ita promittendo non solum effectus liberationis, sed modus attenditur: nec alium sensum habere possunt praefata verba, nisi realis fieret solutio: & ita distat hic casus à superiori, ubi solum promisit verè solvere, quod in effectu liberationis verificatur, ut dixi. Differt etiam à casu, quo quis promisit solvere pecuniam, nam hæc promissio respicit etiam liberationis effectum, & non modum, cum eum sensum verba habere possint, quod debitum sit pecunia, & non alterius rei; & pecuniae appellatione, debita, & alia jura comprehendantur, leg. 26. ff. de pecul. legat. leg. 97. ff. de verb. signific. Id, quod mihi singulariter probatur ex d. leg. solutam 49. ff. de solution. Ibi: solutam pecuniam intelligimus utique naturaliter, si numerata sit creditoris: adjectit Marcius verba utique naturaliter, ut realem numerationem exprimeret: ergo quia ad hoc non sufficiebat solum verbum pecuniam, & consequenter promissio de pecunia solvenda verificatur in qua cu[m]que effectiva liberatione debiti, quidquid in contrarium sentiant P. Pirhing. August. Barbos. supra relati, & Doctor Armenteros in cap. 1. de usur. num. 21. Ex hactenus dictis facile deprehenditur, ex prima nostri textus parte non recte Interpretes deduxisse, eum, qui, datis creditoris pignoribus,

juravit , quantitatem mutuò acceptam se soluturum , teneri præcisè ad ejus solutionem , nec posse objicere fructuum ex pignoribus perceptorum compensationem , seu computationem in sortem principalem , unde non obstant argu-  
menta in contrarium opposita ex num. 2.

22 Secundò pro pleniori , planiorique intelligentia posterioris partis nostræ conclusionis , admonendi sumus , usuræ crimen committi , non solum si expressè aliquid detur quotannis ultra sortem , sed etiam si ex pacto , & conventione creditor lucretur fructus rei sibi in pignus datæ ; quia cum fructus recipient aëstimationem , accedunt sorti ex pacto præcedente , ideoque usara committitur , si eos percipiat creditor , quin computet in sortem ; quidquid enim pretio aëstimabile ultra sortem accipitur , usura est , cap. 1. & seqq. caus. 14. quast. 3. Unde cujuscumque generis sint fructus à creditore ex re pignorata percepti , sive sint naturales , sive industrielæ , sive civiles , vel debitori restituendi sunt , vel in sortem computandi , hoc est , in par-tem solutionis debiti , ita ut ex fructibus ex re oppignorata perceptis à creditore quantitas debiti diminuatur , imo penitus dissolvatur , si tantum ex fructibus percepit creditor , quantum ipsum debitum , & expensæ factæ in rem pignoris nomine obligatam aëstimantur , prout habetur in leg. I. Cod. de pignor. action. & in cap. plures I. de usuris , quod defumptum est ex Concilio Generali Turonensi sub nostro Alexandro III. in quo , cum plures Clerici possessiones in pignus pro pecunia credita acciperent sub ea conditione , ut fructus ex eis perciperent , afferentes usuram non esse , nec ullo jure prohiberi , decretum fuit , ut nullus constitutus in clero hoc , vel illud usuræ genus exercere præsumeret : proindeque si quis alicujus possessionem , data pecunia , recepit in pignus , debet , si sortem suam , deductis impensis , accepit principalem ex fructibus rei pignori datæ , absolute possessionem ipsam debitori restituere : sint autem aliquid minus habuerit , eo recepto , possessionem liberè dimittat debitori , & Clericis , qui huic constitutioni fraudem fecerint , poenam depositionis ab officio , & beneficio infligen-dam esse decernitur , nisi forte Clericus aliter de manu laici

beneficium redimere non valeat. Similiter in cap. 2. cod. tit. laicis eamdem injungit prohibitionem, præcipiens, ut si de possessionibus, & fructibus arborum, quas in pignus pro credita pecunia tenere noscuntur, sortem suam, deductis expensis, acceperint, ad eadem pignora restituenda sine usurarum exactione Ecclesiastica distinctione compellantur. Quod procedit, et si pactum aliquod de lucrando fructibus non interveniat, sed simpliciter data fuerit res pignori, & creditor vellet ultra sortem fructus rei pignoratae lucrari, quia ad hoc ut committatur usura, non refert, an pacto, vel intentione velit aliquid lucrari creditor ultra sortem, ut ex dd. jurib. constat.

23 Cæterum quod modò dictum est, usurarium nimirūm esse creditorem, qui fructus ex possessione pignori accepta perceptos non restituit debitori, vel in sortem principalem non computat, intelligendum est in fructibus remanentibus, deductis expensis in rem pignoratam, vel pro fructibus colligendis factis, quæ debentur ipsi creditori, leg. 7. Cod. de pignor. act. fructus enim in omnibus rebus, deductis impensis necessarijs, intelliguntur, leg. fructus 5. ff. de oper. servor. leg. fructus 7. ff. solut. matrim. quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam imprædonibus, leg. si à domino 36. §. fin. ff. de heredit. petit. D. Retes de fructib. sect. 1. num. 9. ¶ 12. quia nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis impedit, leg. fundas 51. ff. famil. eresci. Unde cum creditor necessarias impensas, quæ quærendorum, colligendorum, conservandorumque fructum gratia factæ sunt, posset à debitore contraria actione pignoratitia, vel per retentionem pignoris repetere, leg. si dominium 9. leg. creditor 20. Cod. de pignorib. jure optimo in nostro textu cautum fuit, ut fructus debitori restituantur, deductis expensis, vel in liberationem sortis principalis computentur: docent P. Gregorius lib. 2. de usur. cap. 9. num. 4. P. Pithing. ad eundem. titul. sect. 4. §. 1. num. 88. & Doct. Balboa in præsenti, num. 8. ubi plures refert.

24 Ratio autem, cur creditor fructu ex re op. pignorata perceptos, & consumptos teneatur, deductis prius

prius expensis, vel in sortem computare ad extenuationem;  
 seu extinctionem sortis principalis, vel restituere fructus  
 extantes debitori una cum ipso pignore, facta solutione  
 mutui debiti; ratio, inquam, ea est; quia sicuti omne in-  
 commodum, quod fortuitò advenit rei oppignoratae, ad  
 debitorem, tanquam ejus dominum, pertinet, non ad pos-  
 sessorem, seu creditorem: sic aequum est, ut omne commo-  
 dum rei suae ad eundem pertineat, leg. si inter 21. §. quid-  
 quid 2. ff. de pignorib. cum pignus in bonis debitoris per-  
 maneat, ideoque etiam ipsi pereat, leg. quæ fortuitis 6. leg.  
 pignus 9. Cod. pignorat. action. §. fin. Inst. quib. mod. re  
 contrab. oblig. naturali enim rationi convenit, commoda  
 cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, leg.  
 secundum naturam 10. ff. de reg. jur. cap. rationi 55. cod.  
 tit. in 6. Unde cum, quidquid damni pignori obvenerit,  
 sentiat debitor, aequissimum est, ut lucra omnia ex pignore  
 provenientia ipse reportet. Quare hujus pignoris fructus,  
 et si modici sint, vel debitori, soluto debito, restituuntur,  
 vel in sortis principalis extenuationem computantur; alio-  
 quin enim creditor usurarius censemitur; quia quidquid  
 causa mutui creditor lucratur suprà sortem, sive in pecunia  
 numerata, sive in fructibus, sive in alia re consistat, usura  
 est, cap. 2. & seqq. 14. quest. 3. P. Pirhing. ubi supra,  
 num. 86. Accedit & alia ratio; quia quæ directè prohiben-  
 tur, nec per obliquum debent permitti, cap. cum quid 84.  
 de regal. jur. in 6. leg. 1. Cod. si mancip. ita venierit, nè  
 profitit; sed usuræ directè naturali, divino, & humano jure  
 prohibitæ, & detestatae sunt, cap. quia in omnibus 3. cap.  
 super eo 4. de usur. ibi: Usurarum crimen utriusque testa-  
 menti pagina detectetur; D. Covarr. lib. 3. var. cap. 3. D.  
 Gonçal. in dict. cap. quia in omnibus 3. num. 9. P. Pirhing.  
 ubi nuper scđt. 1. §. 2. ver. tot. ergo non debent occasione  
 pignoris per obliquum ex fructibus percipi. Quæ ratio mi-  
 rifice confirmatur exemplo pacti legis commissoriæ, quod  
 sicut directè prohibitum est in ipso pignore, cap. significan-  
 te 7. de pignorib. leg. 3. Cod. de pignor. action. sic & in  
 fructibus ejus interdictitur: igitur quemadmodum creditor  
 Ex pacto rem principaliter obligatam lucrari non potest, sic

nec ejus fructus sibi præcipuos retinere absque onere computationis in sortem principalem. Quibus decideendi rationibus ductus Alexander III. decernit in nostro textu , usuarium esse creditorem , qui fructus ex possessione pignori accepta perceptos debitori non restituit , vel in sortem non computat principalem , docent Petrus Gregor. lib. 2. de usur. cap. 9. num. 3. D. Gonçal. in cap. cum contra 6. de pignorib. num. 10. & Doct. Balboa hic num. 7.

25 Sed numquid fructus rei oppignoratae , non tantum percepti à creditore, sed etiam percipiendi debent computari in sortem principalis debiti? Quidam magni nominis Interpretes existimant , non solum fructus perceptos, sed etiam percipiendos , quos ipse creditor percipere potuit , & per negligentiam intermisit,in actione pignoratitia comprehendendi , & sortem principalem extenuare , consequenterque usuram esse , illos in sortem non imputare , ut constat ex leg. creditor 3. Cod. de pignor. action. leg. 2. Cod. de parta pignor. ubi creditor, qui prædium , vel mancipium pignori sibi nexus detinuit , fructus , quos percepit, vel percipere debuit,in rationem exonerandi debiti computare necesse habet ; atque sic sentiunt Azor tract. de pignorib. cap. 8. quest. 2. Molina tract. 2. de just. disp. 535. num. 3. P. Pirhing. ad titul. de pignorib. §. 5. num. 19. D. Gonçal. in cap. cum contra 6. de pignorib. num. 10. Ab hac sententia in effectu non distat ea , quam tradit Panormitanus in dict. cap. cum contra 6. num. 9. & in cap. 1. de usur. num. 5. ubi ait, distinguendum esse ; aut enim creditori de sorte principali jam est satisfactum , quia vel solutam ipsi fuit debitum , vel percepit tot fructus ex re pignorata , quot exæquent debitum principale ; & tunc indistincte tenetur de fructibus percipiendis , eo quod malæ fidei possessor sit, imò quasi violentus cap. gravis 11. de restit. spoliator. ubi Fagnan. ex num. 64. aut quoad sortem , seu debitum principale non est satisfactum creditoris; & tunc tenetur tantum de perceptis , non autem de percipiendis , cum bonæ fidei possessor fuerit.

26 Omissis his opinionibus , ex quibus neutra placet , quarumque falsitas mox apparebit , libenter amplec-

plexor sententiam , quam tenuerunt Hostiensis in *Summ.*  
*titul. de pignorib. num. 9.* & Doct. Balboa in *præsenti, num.*  
 10. qui constanter affirmant , creditorem teneri tantum de  
 fructibus perceptis , non verò de illis , quos percipere po-  
 tut , proindeque etiam si hos non imputaverit in sortem  
 principalem , usurarium non esse. Sententia hæc expresse  
 probatur *ex cap. 1. O 2. cap. conquestus 8. de usur.* ubi  
 nulla sit mentio de fructibus , quos creditor percipere po-  
 tut , sed solum de illis , quos ex possessione pignori accep-  
 ta percepit: tum quia ad extenuandam sortem principalem  
 solum rationem fructuum perceptorum habendam esse ,  
 constat *ex leg. 1. O 2. Cod. pignor. action.* tum quia solum  
 injustus , & malæ fidei possessor de fructibus percipiendis  
 tenetur , *dict. cap. gravis 11. de rest. spoliator.* ubi Fagnanus  
*num. 71.* limitat in malæ fidei possessore cum titulo , qui  
 tantum de perceptis , non autem de percipiendis tenetur ,  
 quia titulus eum excusat , ut *in leg. 5. fundum 17. Cod. de*  
*rei vind.* sed creditor bonæ fidei possessor censetur: ergo  
 solos fructus , quos percepit , imputare debet , non verò  
 percipiendos , & consequenter eos non computando usura-  
 riū non erit ; nam usura est lucrum ultra sortem acquisi-  
 tum; fructus autem , qui percipi potuerunt , non tamen  
 percepti sunt , sicut non habent rationem lucri acquisiti , ita  
 nec rationem usuræ. Ex his constat , falsam esse utramque  
 sententiam relatam *num. antec.* cum utraque asserat , usurara-  
 riū esse creditorem , qui fructus percipiendos in sortem  
 non computat principalem , cum tamen contrarium jam sa-  
 tis ostensum sit. Nec tunc obstat adversariorum fundamen-  
 tum deductum *ex leg. 3. Cod. pignor. action.* *O leg. 2. Cod.*  
*de partu pignor.* Nam dum querimus , an fructus , qui per-  
 cipi potuerunt , cedant lucro creditoris , distinguendum est;  
 vel enim id sit ad effectum actionis pignoratitiae , ut debitor  
 rem cum omni causa , & accessione recuperet , vel ad vi-  
 dendum , an creditor usurarius sit? Primo casu creditor non  
 solum de fructibus perceptis , sed etiam de illis , quos po-  
 tut licite percipere , tenetur computare in sortem , vel tra-  
 dere debitori; quia in contractu pignoris non solum dolus ,  
 sed etiam culpa levis præstatur , *leg. cum venderet 13. S. fin.*

*ff. de pignor. action. §. fin. Inst. quib. mod. re contrab. ubi Arnoldus Vinnius à num. 4.* Secundo verò casu proculdu-  
biò dicendum est, propter fructuum percipiendorum ratio-  
nem non esse usurarium; nam usura solum committitur  
propter lucrum ultra sortem acquisitum, non verò acqui-  
rendum, ut supra dixi.

27 Quibus sic pro illustratione nostri textus non  
inutiliter expositis, non obstant dubitandi rationes suprà i  
num. 2. expensa, pro quarum solutione vide quæ diximus  
num. 2 r. in fin. Nec item adversatur difficultas num. 7. ex-  
pensa adversus secundam nostræ conclusionis partem. Nam  
respondetur, eum, qui naturaliter, & civilitet possidet,  
lucrari, & suos facere fructus, eò quod bona fidei possessor  
sit, & pro suo possideat, leg. bona fidei 48. de acquir. rer.  
domin. cap. gracis 11. de rest. spoliat. creditor autem, &  
si rem pignoratam possidere dicatur ex juribus in argumen-  
to adductis, pro suo non possidet, sed pro alieno, & in uti-  
litatem debitoris, & ita fructus pignoris non lucratur, sed  
illos, si extant, restituere tenetur, vel in sortem computa-  
re, leg. fin. Cod. de pignorib. Doct. Balboa hic num. 19. O  
20. Deinde non obstat consideratio, quam ex nostro textu  
deduximus dict. num. 7. in fin. pro qua vide quæ diximus  
á num. 14. Nec etiam adversatur textus in cap. 1. de usur.  
in illis verbis: *Nisi fortè Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laiei videatur.* Ex quibus  
constat, quòd si prædium, quod fuerat Clerico in benefi-  
cium assignatum, eidem in pignus datum sit, fructus ex  
illo perceptos præcipuos retinet absque ullo onere eos com-  
putandi in extenuationem sortis principalis. Quoniam res-  
pondent communiter Interpretes, relata verba nobilem  
nostri textus continere exceptionem, in qua absque ulla usu-  
ræ labe potest creditor fructus ex re pignorata percipere, &  
præcipuos ita sibi retinere, ut in liberationem sortis princi-  
palis eos non computet, quando scilicet bona Ecclesiæ, quæ  
Ecclesiastico beneficio deputata erant, à laico injuste deti-  
nentur, isque causa pignoris sive Ecclesiæ, sive Clerico,  
eius erant beneficio adscripta, tradidit. Quo casu, licet  
*Ecclesia, aut Clericus prædicta bona nomine pignoris te- neant,*

neant, sibi fructus acquirunt, non ratione lucri, sed jure proprio, & ut rem, quam injustè ansiserunt, recuperent, ita *Glossa in citat. cap. verbo: Beneficiam*, idem resolvens in fundo cuiusvis laici ab alio injustè detento, qui si domino causa pignoris tradatur, poterit dominus, ut ipsum facilius recuperet, fructus absque aliqua usuræ labe luctari, quia recipit, quod suum est, & per viam occultæ compensatio-  
nis redimit, quod ad se legitimè expectabat, & forte alias recuperare non poterat.

28 Ex quâ doctrina infero, quod creditor posses-  
sionem rei alienæ non potest taliter redimere, quia fructus ex illa perceptos non faceret suos, ideoque si illos retineret,  
& in sortem non computaret, usuram committeret. Idem-  
que dicendum est de Clerico, qui si rem expectantem ad Ecclesiam, quæ ipsi in beneficium non fuit assignata, pro  
mutuo in pignus acciperet, non posset fructus ex illa re per-  
ceptos retinere, sed teneretur illos in sortem computare,  
nisi ex Ecclesiæ concessione id faceret, quasi eos percipiendō nomine Ecclesiæ, *Glossa ibidem*, Holtiensis, & Abbas  
num. 5. consulendi sunt Atias de Messa lib. 3. var. cap. 45.  
num. 35. D. Gonçal. in cap. 43. de elect. on. num. 11. &  
Primarius noster D. Samaniego in tract. de rebus Eccles. per  
princip. tempor. il. non dispon. sect. 2. num. 18. & 19. qui  
varia congerunt pro-illustratione dict. cap. 1. de usuris.

29 Similiter non refragantur textus in cap. 1. de  
feudis, & in cap. conquestus 8. de usuris. Nam in specie  
horum iurium ideo fructus in sortem non computantur,  
quia feudum ex sui natura propter servitiam conceditur, &  
sive ampliores, sive pauciores ex eo vassallus percipiat, ad  
servitiam, & obsequia adstringitur, ex quo feodium accepta-  
vit, quorum servitorum merces sum fructus illi, adeo ut  
cessante servitio propter impotentiā feudatarij, seu ob  
aliā causā, feodium omnino cœlet, *argum. cap. cum ces-  
ante 60. de appellat.* Quapropter cum, durante pignore,  
vassallus ab onere obsequij præstandi imminuis habeatur,  
recte dominus fructus percipit, nec eos in sortem principa-  
lem computare tenetur, quia non ratione lucri, aut dilatæ  
solutionis, sed ratione cessantis obsequij acquiruntur ipsi,

ut docent D. Balboa hic num. 33. & Doct. Armenteros in dict. cap. 1. de usur. num. 16. & 17. Ceterum, ut dominus directus possit fructus illos percipere, requiritur, ut feudum in pignus datum non sit pretio emptum a vassallo, nec in compensationem praecedentium meritorum, vel obsequiorum datum, sed gratis concessum; alioquin enim debent fructus in sortem computari, & reddi vassallo; quia quamvis de hoc nihil sit iure expressum, tamen aequitas naturalis id exigit, cum in hujusmodi contractibus onerosis non soleant, nec debeant talia gravamina apponi, nec justè possint, nisi pretium minuatur. Quod si feudum partim pro pretio, vel ob praecedentia obsequia sit datum; partim vero liberaliter, tunc portio, quæ respondet pretio, vel meritis praecedentibus, debet computari in sortem a domino directo, cui postea in pignus datum est, Silvester verbo: *Feudum, num. 30.* P. Molina tract. 2. de justit. disp. 323. num. 1. P. Pithing. ad tit. de feudis, §. 6. num. 20. vers. notandum secundo. Secus autem esset, quando obmerita, vel obsequia, nec gratis Ecclesia feudum concessit sed injusto titulo laicus invasit, & se tyrannice feudatarium Ecclesiae constituit; tunc enim cum nullus titulus obsequiorum, & servitij impensi in Ecclesiam praecesserit ad retentionem illius feudi, licet Ecclesia, quæ tale feudum in pignus accepit, fructus percipere, & in sortem non imputare absque usuræ reatu potest; quia tunc nihil alienum recipit, sed potius suum ab alio injuste detentum, *argum. cap. 1. de usur. leg. si is 56. §. 1. ff. de jur. dot.*

*30* Rursus non obstat text. in cap. salubriter 16. de usuris, cuius Pontificia constitutio difficilis admodum visa est Juris Interpretibus, ut constat ex innumeris ferè interpretationibus, quas & Antiquiores, & Recentiores ad illius textus explicationem excogitarunt: & post ipsos Antiquos D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. ex numer. 3. Navarr. in *Mannual. cap. 17. num. 213. & 273.* Petrus Gregor. lib. 2. de usur. cap. 12. Gomez in leg. 50. taur. num. 30. Castillo lib. 3. controv. cap. 23. Doct. Balboa, hic numer. 34. cum seqq. Quibus & alijs omissis verum, & proprium intellectum ex verbis ejusdem textus, & ratione ibidem praefixis petenti

dum

dum; atque deducendum esse existimo; nam cum usura esse non possit, nisi quando datur lucrum cap. 1. & 2. de usur. cap. 1. & seqq. 14. q. 3. & in dict. cap. salubriter 16. non detur lucrum, ideo cessat usura, & consequenter recta, & acuta juris ratione Pontifex eo casu fructus omnes indistinctè marito concedit. Quid non detur lucrum, manifestè ex eo evincitur, quia lucrum dicitur illud, quod superest deducto omni damno, leg. *Mutius* 30. ff. *Socio*: at quando datur, aut promittitur dos genero, necessarium est quod constet matrimonium; quia absque matrimonio dos considerari non potest, leg. 3. ff. de jur. dot. matrimonium verò tot habet onera, & adeo gravia, ut non modo permulta esse, lex dijudicaverit, sed etiam maxima in consideratione habuerit, leg. si filia 20. §. 2. ff. fam. erit. *Barbos.* in *Rubr. solut. matrim.* 1. p. num. 6. quæ omnia onera subiturus est maritus, leg. si is 56. §. ibi dos 1. ff. de jur. dot. Ob idque dos ipsa, licet respectu uxoris contineat titulum lucrativum, leg. fin. *Cod. de dot. prom. s.* tamen respectu mariti titulum onerosum continet, ut ex multis probat *Pinel.* in leg. 1. *Cod. de bon. matern.* 3. p. num. 62. Ideo Pontifex in eis. cap. decidens, generum non esse compellendum ad fructus possessionum pro dote obligatarum computandos in sortem, innititur huic rationi, quod fructus illi non accipiuntur in compensationem tardatę solutionis dotis; id enim esset usura palliata, sed in compensationem onerum matrimonij, quia tot, tanta, adeoque gravia sunt, ut fructus dotis juxta ea, quæ frequentius accident, vix oneribus ejusdem supportandis sufficiant: & sic illorum respectu nullum lucrum consequitur maritus, aut cum oneribus ita compensatur, ut usura dari non possit. Et quamvis aliquando accidere possit, fructus dotis sufficere ad ea onera supportanda, imo & aliquando onera eadem superare, id tamen attendi non debet, nisi id, quod frequentius accidit, leg. 3. & trib. seqq. ff. de legibus; quod Pontifex maxima, & recta juris ratione principaliter habuit in consideratione, dotis scilicet fructus non sufficere ad onera matrimonij supportanda. Et hic est verus p̄ allegati textus sensus, qui non aliunde, quam ex ratione ibidem expressa, debet deduci. Ita docuerunt

plures, quod refert, & sequitur D. Gonçal. in eo textū num.  
 3. P. Molina tract. 2. de just. disp. 321. num. 8. ¶ 9. Car-  
 din. de Lugo, tom. 2. eod. tractat. disp. 25. sect. 8. numer.  
 155. ¶ seqq. P. Pithing. ad titul. de usur. sect. 4. §. 2.  
 num. 96. cum seq. Doct. Graña in cap. 1. de feud. num. 6.

Tandem non obstant textus in leg.  
*Si is, qui 11. §. 1. ff. de pignorib. leg. cum debitor 8. ff. in  
 quibus caus. pignus, vel hypoth. tacitè contrah. leg. si ea pa-  
 ctione 14. cum alijs. Cod. de usur.* Nam hæc jura procedunt  
 ex permissione Juris Civilis, quo inspecto, licitum erat pa-  
 ctum inter creditorem, & debitorem initum, ut tandiu cre-  
 ditor re oppignorata frueretur, sive fructus pignoris, salva  
 forte, lucratetur, donec debitum solutum fuerit: quod pa-  
 ctum anti chriseos dicitur. Jure verò canonico simile pactum  
 ut usurarium omnino damnatum est, & meritò; quia licet  
 tale pactum non sit formale mutuum, est tamen virtuale, &  
 implicitum; negari enim non potest, quin ineatur propter  
 præcedentem mutuationem pecunia, dato pignore, cum  
 pacto ut lucretur creditor fructus pignoris supra fortē,  
 quod usurarium est, cap. 1. ¶ 2. de usur. cap. 1. ¶ seqq.  
 14. quest. 3. docuerunt Cujac. in cap. 1. de feud. Doct.

Balboa in praesenti, num. 25. ¶ seq. D. Gonçal. in

*cap. cum contra 6. de pignorib. num. II.*

*cum 4. seqq. ubi plura, &*

*plures refert.*

(o)



ELU

# ELUCUBRATIO

## A D

*TEXT. IN CAP. SI QUI CLERICORUM I. DE  
Clericis conjugatis.*

ALEXANDER III.

*Si qui Clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinend uxores distinctione Ecclesiastica compellatis. Sed si in subdiaconatu, & alijs superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur: eos uxores dimittere, & poenitentiam agere de commisso, per suspensionis, & excommunicationis sententiam compellere procuretis.*

i. Ex quibus verbis sequens deducitur illustranda conclusio: Matrimonium contractum per Clericum existentem in sacris, non tenet: secus in minoribus, sed tunc cogitur dimittere beneficium. Quam conclusionem probant textus in cap. 2. & per tot. hoc titul. cap. 1. & 2. qui Clerici vel vorvent. cap. sanè 4. §. cum autem 15. q. 3. cap. Presbyteris 8. dist. 27. cap. decernimus 2. cap. quanto 3. cap. Presbyter 9. dist. 28. cap. Sacerdotibus 2. cap. eos 6. dist. 31. cap. de illo 4. cap. si quis 7. cap. erubescant 9. cap. placuit 13. dist. 32. cap. cum de quorundam 4. dist. 84. cap. unic. de voto in 6. Extravag. Antiqua eod. titul. quibus de Jure Regio consonat lex 41. tit. 6. part. 1. Ex Concilijs comprobat Concil. Illiberitan. can. 33. Arelat. 2. cap. 2. & 3. Arausic. cap. 22. & 23. Carthag. 2. cap. 2. Carthag. 3. cap. 17. Tolet. 1. cap. 1. Tolet. 2. cap. 3. Concil. Trident. siff. 24. de reformat. matrimonij, can. 9. cum plurib. alijs congregatis à D. Gonçal. in praesenti num. 1. & 6. Illustrant ultra relatos

à Barbos. & Graña hic, Cæsar de Eccles. Hierarch. disp. 8.  
§. 7. & disp. 10. §. 2. Duaren. lib. 4. de Sacr. Minist. cap.  
7. Mendoza lib. 2. de Concil. illeberrit. cap. fin. Eximius P.  
Suarez, tom. 3. de religion. lib. 9. de voto castitatis, capit.  
13. P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. 28. & 42. Basilius  
eod. tract. lib. 7. cap. 24. D. Covarr. de sponsalibus 2.p.  
cap. 6. §. 3. num. 4. Gutierrez in tract. lib. 2. q. 104. P.  
Pirring. ad hunc titul. §. 1. cum 2. seqq. & ad titul. qui  
Clerici vel vovent. §. 1. per tot. pluresque alij ab ijs re-  
lati.

**2** Sed licet hæc nostra conclusio tot Summorum  
Pontificium responsis, totque Conciliorum, atque Interpretationum  
authoritatibus munita, verissima persiftat, tamen difficultas  
redditur sequenti consideratione. Nam si ob aliquam  
rationem non teneret matrimonium contractum per Clericū  
in sacris constitutum, ea maximè esset, quia ordo sacerdotum  
repugnaret statui conjugali, essetque cum illo incompatibilis;  
sed hæc ratio falsitatis convincitur: ergo non recte Alexander III. in prima nostræ assertionis parte nullum declarat  
matrimonium celebratum à Clerico sacris initiatō. Ma-  
jor est certa, minor vero, in qua est difficultas, ita probatur;  
quia & si congruum, & decens sit, ut Clerici in sacris  
constituti, castè vivant, non tamen ijs matrimonium est interdictum etiam inspecto jure divino, cum tale preceptum  
nullibi reperiatur. Idque ex eo patet; quia per ordinem sa-  
crum non sit totalis traditio hominis ipsi Deo, sed ad cultum  
Dei, & Divinum Officium, cui non repugnat matri-  
monium jure divino, nec naturali, cum per se licitus sit usus  
matrimonij, & permisus Sacerdotibus legis tum scriptæ,  
tum naturæ, ut constat ex libro Genesios, ubi refertur, usque  
ad Aaronis electionem cunctos tamen primogenitos, quam  
cæteros Sacerdotes matrimonio deditos fuisse: idemque de  
Sacerdotibus legis scriptæ liquet ex cap. 21. Leviticus. ergo si  
Sacerdotibus legis naturæ, & scriptæ permisum erat conju-  
gium, idem etiam in lege gratiæ Sacerdotibus licitum erit.  
Augetur primò, & fulcitur hæc difficultas ex eo, quia matri-  
monium est Sacramentum conferens gratiam, ut constat ex  
Trident. Synod. sess. 24. de reform. matrimon. can. 1. non  
ig.

igitur illud negandum est Sacerdotibus , eò maximè , quod ab Apostolo ad Hæbreos cap. 13. vocatur honorabile conubium in omnibus , & totum immaculatum : Igitur si honestum est omnibus: ergo & Clericis. Augetur secundò eadem dabitandi ratio ex eo, nam si usus conjugij ministris Ecclesiæ ratione Clericalis gradus repugnaret, non permettrent Sacri Canones Clericis uxores ducere : sed non solum illis id permittitur, sed etiam jam ductas retinere: ergo quia Clericis etiam in Sacris Ordinibus constitutis licet uxores ducere, & retinere. Minor probatur , tum ex cap. cum olim 6. hostit. tum ex cap. quæsumus 7. de pœnit. & remission. ibi : Sacerdotibus Græcis , quibus legitimo matrimonio licet uti : tum etiam ex cap. aliter 14. dist. 31. ibi : Nam earum Sacerdotes , Diaconi , atque Subdiaconi matrimonio copulantur: tum denique ex cap. Nicena Synodus 12. ead. dist. in quo refertur historia Paphnutij , qui dissuasit Concilio , nè legem statueret , qua Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos compelleret ab uxoribus antea ductis abstine-re , obtinuitque Paphnutij sententia , & uniuersusque arbitrio relictæ est continentia à ductis uxoribus ante ordina-tionem. Ex quibus omnibus apparet conjugium licitum esse Sacerdotibus; siquidem conjugati ordinabantur , & similiter ordinati poterant matrimonium contrahere.

3. Nec vitare poterit difficultatem, si quis respon-deat, quod licet initio nascentis Ecclesiæ omnibus tam Græcis, quam Latinis, cum ad Sacros Ordines admittebantur: etiam si conjugati essent , injuncta fuerit castitas , & à pro, prijs uxoribus antea ductis abstinentia : at procedente tem-pore non eodem modo , nec eadem lege conjugati admissi erant ad Sacros Ordines in Ecclesia Græca, & Latina; siquidem in Ecclesia Orientali , & Græca, cum aliquis sive con-jugatus, sive non conjugatus ad Sacros Ordines assumebatur, in Diaconatus susceptione rogabatur, an vellet servare, ac polliceri continentiam, & ejus arbitrio relinquebatur cas-titatis professio : Quare si continentiam voverat , sive con-jugatus antea esset , sive non, ordinabatur quidem, sed post ordinationem non licebat impunè vel matrimonio uti , vel nova inire conjugia : at recusata continentia observatione

licitum erat Græcis impunè uti matrimonij ante contra-  
ctis, vel nova inire conjugia, si conjugati non erant, & ideo  
vel conjugati ordinabantur, vel ordinati matrimonium con-  
trahabant. Et de his Ecclesiæ Græcæ Sacerdotibus intelli-  
genda sunt jura suprà in argumeto adducta. At in Ecclesia  
Occidentali Latina à Diaconis ex præcepto Ecclesiæ conti-  
nentia exigebatur, nec latinis dabatur optio, sed ad servan-  
dam continentiam adgebantur in susceptione ordinum,  
juxta textum *in cap. cum in præterito 3. dift. 84.* notant D.  
Covarr. de sponsal. 2. p. cap. 6. §. 3. P. Suarez tom. 3. de  
Religion. lib. 9. de voto castitatis *cap. 13.* Basilius lib. 7. de  
matrim. *cap. 23. num. 5. cum seqq.*

4 Verum licet hæc doctrina communi plausu ab  
omnibus ferè Juris nostri Interpretibus sit admissa, falsitatis  
tamen convinci videtur ex eo, quod nulla inter Clericos  
Græcos, & Latinos sit differentia, ut constat, tum *ex cap.*  
*Presbyterum 16. dift. 28.* quod ad Orientales Clericos per-  
tinet, & nihilominus asserit, quod Presbyter detentus nup-  
tijs non legalibus etiam per ignorantiam ab officio abstine-  
re debet: tum etiam *ex cap. consulendum 17. ead. dift.* in  
illis verbis: *Valde reprehensibiles sunt.* Ubi Nicolaus repre-  
hensibiles esse affirmat Presbyteros Græcos matrimonio  
utentes: ergo sive matrimonium sit contractum ante Ordini-  
nis susceptionem, sive postea, illo uti Sacerdotibus Græcis  
non erit licitum. Deinde eadem doctrina falsa redditur, qua-  
tenus affirmit, Clericis Latinis nunquam licitum fuisse usum  
conjugij; nam contrarium appetet ex illa Apostolotum au-  
thoritate *cap. 6. aliàs 5. relata in cap. si quis docuerit 14.*  
*dift. 28.* cuius hæc sunt verba: *Si quis docuerit Sacerdota*  
*sub obtentu religionis uxorem contemnere, anathema sit.* Ex  
quibus liquido constat, Sacerdotibus etiam non Orientali-  
bus permisum esse uxores habere. Idque ipsum liquet ex  
*Can. 5. apostolor. ibi: Episcopus, aut Presbyter, aut Dia-  
conus uxorem suam prætextu religionis non adjicito: si adjic-  
cit, segregator à communione, si perseverat, deponitur:* ubi  
non solum permittitur Episcopis, & Clericis cum uxoribus  
cohabitare, sed etiam in uxores deferentes animadvertisit:  
ergo quia tempore Apostolorum licitum fuit conjugatis ad

Sacrum Ordinem adscendere. Id quod appetet etiam ex Apostol. ad Titum, cap. 1. qui ita eum admonens afferit, quales debeant esse, qui in Presbyteros eliguntur, his verbis: *Siquis sine crimen est unius uxoris vir, filios babens fideles non in accusatione luxuria.* Præcipit enim Apostolus unius uxoris eligendum potius, quam qui nullam uxorem duxisset. In ejusdem assumpti confirmationem accedit decisionis textus in cap. quicunque 3. dist. 73. ibi: *Uxore contensus acolytu, & subdiaconus esse debebit: ubi appetet, Subdiaconum cum uxore etiam ante ordinis susceptionem obtentia cohabitare posse.*

5 Idem difficultatis assumptum robur sumit ex cap. cum igitur 1. §. illud 35. q. 1. illis in verbis: *Ecclesia post Apostolica instituta, quedam perfectionis consilia addidit, ut potè de continentia ministrorum.* Ex quibus nunc fieri consilium, licet excitet ad deliberandum, non tamen obligat ad sequendum: quare qui illud sequutus non fuerit, nullis subjicitur poenit ex cap. cum olim 7. de arbitr. leg. cum Pater 77. §. mando 24. ff. de legat. 2. leg. Turpia 54. §. si Titiae 1. ff. de legat. 1. unde communiter discrimen constituitur inter consensum, & consilium; nam qui tenetur aliquid facere cum consensu alterius, & petere, & sequi eum debet, cap. fin. de Judicijs in 6. qui vero cum consilio, tantum illud requirit, non autem sequitur: ita Barbosa axioma- te 96. P. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 34. num. 24. sed ut constat ex verbis præallegatis, Sacris Ordinibus initiatis non est impositum præceptum observandi castitatem, sed consilium tantum: ergo etiam si matrimonium contrahant, iij uxores dimittere per suspensionis, & excommunicationis sententiam non sunt compellendi. Cui dubitandi rationi non parum roboris addit sequens consideratio; nam coacte promotus ad Sacrum Ordinem vere manet ordinatus, & characterem suscipit Sacramenti, ut disserit probat textus in c.p. majores 3. §. item queritur fin. de baptismo: & ratio est; quia metus, seu vis compulsiva non evacuat prorsus, sed attenuat consensum, ut dicitur in cap. Sacris 5. de his, quæ vi: atqui conditionaliter coactus, id est, qui metu inducitur ad Sacrum Ordinem suscipiendum, si matrimo-

nium

nium contrahat , validum est matrimonium , ut latè probat cum pluribus Primarius noster Doct. Balboa *in cap. 8. de jurejurand. à num. 23.* ergo quia status matrimonij non est incompatibilis cum ordine Sacro.

6 Nec difficultatem diluet , quisquis dixerit , contrarium verius esse , nempe , Ordinem Sacrum metu interveniente assumptum ita obligare initiatum ad continentiam , ut nec possit matrimonium inire , imò si iniicit , irritum esse , ut tenent nonnulli non contemnendæ authoritatis Interpretes , hoc præcipue subnixi fundamento , quia quemadmodum suscipiens baptismum per vim conditionalem compellitur ad observantiam fidei , & ipsius sequelam , *dict. cap. majoris 3. §. item quæsitus fin. cap. de Judæis 5. dict. 45.* ita & ordinem suscipiens debet compelli ad observantiam ordinis , & sequelam ipsius , & sic ad continentiam , quæ Sacro Ordini est annexa , *cap. à multis 9. de etat. & qualitat.* Non , inquam , solutio hæc superioris difficultatis vim enervat ; non enim procedit similitudo inter coacte baptizatum , & coacte ordinatum : Nam baptizatus per metum idcirco tenetur fidem Catholicam profiteri , quia Sacramento Baptismi est essentialiter , & naturaliter annexa obligatio profitendi fidem : at verò obligatio continendi non est annexa Ordini Sacro essentialiter , seu naturaliter , sed tantum accidentaliter ex præcepto Ecclesiæ : unde cum obligatio continentiae non sit jure naturæ , vel divino inseparabiliter annexa , sed jure tantum humano : merito per metum , qui humana rescindit , & non divina , licet non impediatur essentia Sacramenti Ordinis , & impressio characteris , quæ est divina : impeditur tamen conjunctio continentiae , quæ est humana , ut rectè docet Doct. Balboa *ubi supranum. 30.*

7 Secunda dubitandi ratio militabit adversus ultimam nostri textus partem , in qua Alexander III. decidit , quod si Clericus in minoribus constitutus ordinibus matrimonium contraxerit , ipso jure amittit beneficium , contra quam sic efformo argumentum . Si hæc ultima nostri textus pars subsisteret , eo maximè , quia Clerici conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas , seu beneficia , censentur ut laici , adeoque sunt incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum , sicut

laici; sed hæc ratio nullo juris fundamento nititur: ergo sustineri nequit. Minor probatur ex eo, nam inter alios effectus, quos confert prima tonsura, primus, præcipuusque est, ut tonsuratus possit obtinere beneficium Ecclesiasticum, ut constat ex Concil. Trident. *Seff. 23. de reformat.* cap. 6. junct. traditis à colendissimo Præceptore meo D. Galeote *in tract. Acad. de Sacrament. ordin. art. 2. num.* 14. & 15. efficitur enim ex tunc Clericus, & ideo per primam tonsuram Clericalis ordo conferri dicitur *in cap. cum contingat 11. de atat. & qualit.* ergo Clericus conjugatus, cum prima tonsura sit iniciatus, vel in minoribus ordinibus constitutus, capax erit non solum retinendi beneficia prius obtenta, sed etiam obtinendi alia de novo. Neque huic difficultati satisfacies, si dicas, quod licet prima tonsura iniciati habiles sint, ut illis beneficia Ecclesiastica conferri valeant, hæc tamen doctrina patitur limitationem in Clericis conjugatis; quia quoad hunc effectum obtinendi beneficia, sicut laici, & omnino inhabiles debent reputari conjugati, qui prima tonsura iniciati existunt, vel in minoribus ordinibus constituti apparent, *cap. sanè 2. hoc tit. ibi: Nè deinceps Clericis conjugatis Ecclesiastica beneficia conferantur:* docet Primarius noster D. Samaniego *in tract. de prohib. success. in benef. Eccles. cap. 1. num. 6.*

8 Verum licet hæc eyatio veram contineat doctrinam, difficilis tamen redditur ex decisione text. *in cap. Joannes 7. hoc titul.* ubi dicitur Clericum conjugatum non fore cogendum ad deferendam tonsuram Clericalem, nisi in casu, quo obtineat beneficium Ecclesiasticum: ergo supponit textus posse illum habere beneficium Ecclesiasticum, neque per conjugium illud amittere. Id quod suadetur etiam *ex cap. si qui vero 3. dist. 32. & cap. quia tua 8. 12. quæst. 1. in quibus repetitur,* quod si Clerici, in minoribus ordinibus constituti contineri nequeant, uxores ducere debeat, & stipendia sua accipere: ergo Clerici conjugati etiam quoad res Ecclesiasticas, seu beneficia, non ut laici, sed ut Ecclesiastica personæ censerit debent, ac per consequens etiam si Clericus in minoribus ordinibus constitutus matrimonium contrahat, beneficia prius obtenta amittere non debet. Id que-

que ipsum evincit sequens consideratio, nam Clericus conjugatus nihilominus Clericus manet, ut constat tum ex cap. pen. hoc tit. tum etiam ex eo, quia per contractum matrimonij non desinit quis Clericus esse, siquidem character semel habitus indelebilis est: notat Panormitanus in cap. 7. hoc tit. num. 2. & DD. in cap. degradatio 2. de pœnis in 6. Hacque ratione Clerici conjugati privilegio fori, & Canonis gaudent, cap. un. hoc tit. in 6. Concil. Trident. Sess. 23. de reformat. cap. 6. D. Covarr. in praef. cap. 31. Barbos. de potest. Episc. part. 2. alleg. 12. Doct. Balboa in cap. 2. de judicijis à num. 75. Si ergo, qui denominatur Clericus, debet consequutivè habere omnia illa, quæ nomine conveniunt, ex vulgari illo juris dictorio, unumquodque tale est, quale designatur, leg. annua 20. §. 1. ff. de annuis legat. leg. 1. in fin. Cod. de offic. Praefecti Urb. Romæ. Ibi: Ut sciat ex ipso nomine, quid Praefecto debeatur annona: non est ratio, cur dicamus, Clericum conjugatum inter Clericos numerari, privilegioque fori, & Canonis gaudere, jure vero, seu capacitate retinendi beneficia exustum relinqui.

9 His dubitandi rationibus nihil nos remorantibus, in suo robore manet superior nostri textus conclusio. Et ut plenius intelligatur, & illustretur, aliqua scitu digna operæ pretium prænotanda duximus. Et primo quidem notandum est, certum omnino esse, & Catholicae fidei dogma, infallibile, non posse ullum Clericum post susceplos sacros ordines iuxarem duxere, prout novissime definitum est in Concilio Trident. Sess. 24. de Sacram. matr. can. 9. idque probatur ex cap. 1. & 2. qui Cleric. vel voventes cum alijs infra referend. Ut autem ab ævo rem exordiamur, & inspiciamus originem coelibatus, qui Clericis ab Ecclesia servandus proponitur, inquirendum primo à nobis est, an coelibatus ordini sacro sit annexus de jure divino, vel potius de jure tantum Ecclesiastico, ita ut seclusa Ecclesia constitutione nullatenus Clerici in sacris constituti tenerentur ad continentiam voyendam, & servandam? Illius obligacionem à solo jure Ecclesiastico promanasse, pro certo censeo, ut cum Angelico Preceptor 2.2. quest. 88. art. 11. in corp. pro-

prope fin. docuerunt P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27.  
num. 5. Exim. Doct. P. Suarez tom. 3. de Religion. lib. 9.  
cap. 13. Emin. Cardinal. Bellarm. tom. 2. controv. lib. 1. de  
Clericis, cap. 18. P. Pitching. ad titul. qui Cleric. vel vovent.  
§. 1. num. 6. & communiter Theologi, & cum Innocentio  
in cap. placet 12. de convers. conjugat. num. 1. ibique Ab-  
bas num. 7. unanimiter sentiunt Canonistar.

10 Probatur primò. Non est de jure divino,  
quod conjugati, si ordinentur, abstineant ab uxoribus suis:  
ergo non est de jure divino, quod illas non ducant. Patet  
antecedens ex communi usu Græcorum, & Ecclesiae Orien-  
talis, quorum Sacerdotibus permisum est, retinere uxores  
ante ordinationem suscepitas, cap. cum olim 6. hoc tit. Con-  
sequentia autem est certa; nam si potest Presbyter uti ma-  
trimonio antea contracto, evidens fit, matrimonium ex  
sui natura non pugnare cum ordine sacro; cum matrimo-  
nium (sive consideretur ut Sacramentum, sive ut contra-  
ctus, qui solo animorum consensu perficitur, cap. sufficiat  
2. 27. quest. 2. leg. nuptias 30. ff. de regul. jur.) sit vel res  
sacra, vel honestissima, & solum dici possit parum conve-  
niens ordini sacro ratione ipsius exercitij, & actus conjuga-  
lis redditis hominem carnalem, & ineptum ad divinas  
necon propter solitudinem domus, & liberorum, quæ  
plurimas parit distractiones: ita solidissime de more ratio-  
cinatur Emin. Bellarmin. ubi supra dict. cap. 18. litt. B.  
Probatur secundò ex Concil. Ancyran. can. 10. relato in  
cap. Diaconi 8. dist. 28. in quo permittitur Diaconis duce-  
re uxores cum licentia Episcopi, etiam post susceptum  
Diaconatum: ergo coelibatus non est de jure divino; alias  
enim Episcopus dispensare non posset. Quod quidem Con-  
cilium est vetustissimum, & confirmatum à Leone Papa  
in cap. de libellis 1. dist. 20. notat Basilius lib. 7. de matrim.  
cap. 23. num. 10. Probatur ultimò apertissimè ex verbis  
Trident. Concilij Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 9. sic  
ajentis: *Siquis dixerit, Clericos in sacris ordinibus consti-  
tutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse  
matrimonium contrahere, contractumque validum esse,  
non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; O* oppositum  
nil

nil aliud esse , quād damnare matrimonium , posseque  
omnes contrabere matrimonium , qui non sentiunt  
se castitatis , etiam si eam voverint , habere donum , ana-  
therma sit. Ubi patet , legem Ecclesiasticam ad sacros  
ordines , votum autem ad professionem religiosam , ex se  
habere vim dirimendi matrimonium postea contractum.  
Idque ipsum apergè liquet ex illis Canonibus , in quibus  
cum de hac continentiae lege agatur , vocatur lex Ecclesiasti-  
ca , cap. Presbyteris 8. dift. 27. ibi : *Fuxta Sacrorum Cano-*  
*num definitiones.*

Hujus autem Ecclesiastici juris plura adsunt  
antiquissima testimonia scripturarum , Conciliorum , &  
Patrum. Primo enim Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. ait:  
*Oportet esse Episcopum hospitalem , benignum , sobrium ,  
justum , sanctum , continentem.* Deinde 2. ad eundem , cap.  
2. ait : *Labora scut bonus miles Christi Iesu , nemo militans  
Deo implicat se negotijs secularibus ; sub quorum negotio-  
rum nomine nuptias etiam comprehendi , nemo ibit infi-  
cias , præseruit , qui perlegerit D. Basilium in Proœmio  
*Constitution. Monasticar.* docentem ; quod nuptiæ pedicæ  
sint. Infinita postmodum Concilia id idem sanxerunt , ut  
Illibetrit. can. 33. Nicen. 1. can. 3. Carthagin. 2. can. 2. &  
5. can. 3. aliaque latq calamo relata à D. Gonçal. in *praesenti* , num. 6. Denique hoc ipsum Apostoli exemplo suo  
docuerunt , ex quibus , teste Tertull. lib. de monogam. & D.  
Hieronym. lib. 1. in *Foxinian.* neminem alium scimus uxori-  
rem habuisse , præter Petrum , cuius soctum legimus in  
Evangelio. Sed quidquid sit de hoc , certum est , eos ex  
Apostolis , qui fortalsē uxorem habuerunt , officio conjugi-  
gali renunciasse , postquam à Christo vocati fuerunt ad  
Apostolatum , ut testatur Hieronymus *laco nuper citat.* sa-  
tisque apparet ex verbis Petri Domino dicentis Matth. cap.  
10. *Ecce nos relinquimus omnia , & secuti sumus te ; ita-*  
*timque Christus explicans , quid sit relinquere omnia , sub-*  
*jungit : Omnis , qui reliquerit Patrem , aut Matrem , &*  
*sororem , &c. Nique obstat , quod Paulus 1. ad Corinth.*  
*cap. 9. de se dicit : Numquid non habemus potestatem mulie-  
rem sororem circumducendi , sicut & ceteri Apostoli ? Quam*  
*plu-**

plures ex hæreticis vertuht uxorem sororem ; ac si Paulus uxorem habuisset etiam post Apostolatum. Respondeatur enim primò , ex laudatis verbis non inferri , quod Apostoli cum uxoribus suis conjugale munus explerent , imò potius oppositum evincitur , quod nempè Apostoli haberent uxores suas loco sororum , non loco uxorum , quod nobis sufficit. Respondetur secundò cum Ambrosio , Chrysost. & alijs nomine illarum mulierum non comprehendi uxores , quæ ineptè dicerentur sorores , sed tantum venire matronas honestas , & pias , quæ Apostolis peregrinantibus se aliquando comites adjungebant , illisque suis sumptibus alimenta subministrabant ; hæ igitur circumducebantur ab Apostolis , eosque sequebantur , non ut uxores viros , sed ut discipulæ Praeceptorem.

12 Et ita facili negotio refellitur alia objectio , quæ instauratur adversus Paulum ex illis verbis , quibus scribit ad Philippenses cap. 4. *Etiam rogo ḡ te germane compar adjuva illas* , quod ex Græco Zuinglius , & Erasmus vertunt germana conjunx , ac si Paulus eo nomine uxorem compelleret. Respondeatur enim , Paulum loqui de viro aliquo , quem vocat germanum comparēm , seu conjugem , aut conjugalem ; verbum enim græcum *Sizibon* , quo ibi utitur Paulus , significat eum , qui idem jugum trahit : eum autem vocat conjugalem , seu conjugem , vel quia erat maritus alicujus ex foeminis supra ab Apostolo nominatis , id est Evodia , vel Synthiches , que simul cum Apostolo laboraverunt in Evangelio , sicut ipsemet eas celebrans ait , & ita sentiunt Chrysostomus , & Theophilatus ; vel eò , quia dictus vir , de quo loquitur , fuisse Philippi socius Pauli in prædicatione , ut asserit Theodoretus ; vel quia id esset nomen proprium dicti viri , ut vult Eusebius ; & de facto idem Paulus ad Corintb. 1. cap. 7. se ipsum inter eos recenset , qui uxoribus carebant ; ait enim : *Dico autem non nuptis , ḡ viduis : bonum est illis , si sic permaneant , sicut ḡ ego . Quod si non se continent , nubant , melius est enim nubere , quam uri .* Certum est autem , ut ostendit Theodoretus in præfatione comment. ad epistolas Pauli , dictam epistolam ad Corinthios fuisse scriptam à

Paulo ante epistolam ad Philippenses: ergo vel Paulus duxit uxorem, postquam supra dicto modo scripserat ad Corinthios, quod non est credibile, vel non habuit uxorem, cum scriberet ad Philippenses.

13 Sed contra principalem assertionem à nobis hactenus firmatam, quod nemp̄ obligatio cœlibatus ordini sacro annexi proveniat à jure Ecclesiastico tantum, dices: plures ex Sacerdotibus Ethniciis pudicitiam, ac cœlibatum servasse, ut latissimè videre est apud Tiraquell. *de lege con-nub. in leg. 15. num. 119. & plurib. seqq.* signum ergo evidens est obligationem hanc consurgere ex ipso jure naturali divino. Sed respondetur, hoc probare unicè, quod solo ductu luminis naturalis innocuerit, statui sacerdotali convenire cœlibatum, ut rem ipsi decentissimam, non autem quod sit res omnino necessaria, & quod ut talis à jure naturali imperetur. Obstat etiam, quod in *cyp. 33. Deuteron. de Leviticis veteris legis dicitur*, quod filios ignoraverint: certum est autem, id verificari non posse in sacerdotibus veteris testamenti, sed tantum esse vaticinium de sacerdotibus novi testamenti. Etenim respondetur cum P. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 27. num. 8.* id fuisse quidem divinum vaticinium, sed non diuinum præceptum, illudque vaticinium sufficienter adimpletum fuisse, sive lege divina, sive humana Ecclesiastica factum fuerit, ut Sacerdotes novi testamenti uxoribus careant. Constat igitur stat sententia afferens, jure Ecclesiastico Clericis in sacris ordinibus constitutis vetitum esse matrimonij usum. Quam sententiam, præter supra relatos, tenent Cæsar *de Eccles. bierarch. disp. 8. §. 7. num. 5.* D. Gonçal. *in præsenti, num. 3.* & colendissimus Præceptor meus D. Galeote *in tract. de Sacram. Ordin. art. 2. num. 25.*

14 Quem sanctissimum morem sub primis Ecclesiæ crepundis Clerici nedum Latini, sed etiam Græci adeò exactè custodierunt, ut non tantum post ordines sacros suscepitos uxores non ducerent, sed etiam à consortio eorum, quas antea duxerant, religiosissimè abstinerent, ut liquet ex D. Chrysostom. *homil. 2. de patientia Job, & Hieronym. contra Vigilant.* in pr. Sed, cum Græci à Latinis

nis semper facilem discesserint , circa annum Domini 700 . Conciliabulum quoddam illegitimum Constantiopolis celebrarunt sub Justiniano Juniore , quod dictum fuit *Trullanum* , utpote celebratum in Palatio Imperatorio , seu loco concamerato , qui *Trullus* dicebatur : in quo *can. 13.* sanxerunt : licetum esse Clericis in sacris Ordinibus constitutis habere consortium cum uxoribus , quas antea duxissent , id tantum in *can. 12.* Episcopis , utpote in sublimiori gradu collocatis , interdicentes . Quem errorem Ecclesia Latina , quamvis nunquam sequuta fuerit , per Glossam *in cap. cum olim 6. hoc tit.* in verbo : *Votum continentiae in fin.* adhuc toleraverit , ne majori rima divideret Ecclesiam Orientalem ab occidentali , ut videre est in *dicit. cap. cum olim 6.* Pro cuius doctrinæ pleniori intelligentia scire oportet , quod postquam Græci à Latinis discesserunt , ea distinctione uti cœperunt , ut si Diaconi tempore sua ordinationis interrogati , an vellent servare , ac polliceri continentiam ? Se non posse continententer vivere dixissent ; ordinabantur quidem , si Episcopo placebat , ijs autem sic initiatis , si conjugati erant , licebat impunè matrimonijs antea contractis uti , vel nova inire conjugia , si conjugati non erant , ut constat ex Concil. Ancyran. *can. 10.* & ex historia Paphnutij relata *in cap. Nicæna Synodus 12. dist. 31.* Quomodo accipiendi sunt textus *in cap. cum olim 6. hoc tit. cap. quæ situm 7. de penit.* & *remif. cap. Diaconi 8. dist. 28. cap. aliter 14. dist. 31.* ubi illa verba : *Matrimonio capulantur* , duobus modis intelligi possunt . Primo , quod Græcis in sacris constitutis liceret nubere , etiam post ordinationem . Secundo , ut idem sit , ac matrimonio jam antea contracto utantur . Quia phrasis in ea significatione utitur Sexta Synodus *can. 13.* & Toletan. *3. can. 5.* ut cum pluribus docet D. Gonçal. *bis num. 4.*

15 Sin autem Græcus , qui ordinabatur , diceret , se velle servare continentiam , sive conjugatus antea esset , sive non , ordinabatur quidem ; at post ordinationem non licebat impunè vel matrimonio uti antea contracto , vel nova tentare conjugia , quamvis inita valerent . Sed excommunicatione perculsi vel separabantur , vel inter inferiores

Clericos ministrabant, ut liquet ex Concil. Ancyran. *dispt. 10.* in secunda ejus parte, & ex Concil. Neocæsarienf. *can. 1.* notat Basilius lib. 7. de matrim. cap. 23. num. 13. Quibus omnibus illud addendum est, quod contrahere matrimonium post ordinationem, solum inter Gracos fuit permisum Subdiaconis, Diaconis, atque Presbytetis, non vero Episcopis; istis enim tantum licuit uti matrimonijs antea contractis, ut constat ex *cap. Nicena 12. dispt. 31.* & ex Nicephoro lib. 12. *histor. cap. 34.* donec per sextam Synod. id revocatum fuit in *can. 12. & 48.* in illis verbis: *Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingreditur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur.* Nec tunc obstat textus in *cap. consulendum 17. dispt. 28.* ubi Nicolaus reprehensibiles esse affirmat Presbyteros Gracos matrimonio utentes. Pro cuius textus expositione sciendum est, Gracos procedente tempore, ut se se magis Latinis opponerent, eò insaniae pervenisse, ut omnes, qui ordinabantur, ad nuptias cogarent, nec illum, nisi conjugatum ordinarent. Quod olim increpabat in Vigilantio D. Hieronymus in illis verbis: *Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxorem duxerint, nulli calibi credentes pudicitiam, imo ostendentes, quam sancti ipsi vivant, qui male de omnibus suspicantur.* Quæ Græcorum insania apertius nobis ostenditur in *disput.* *Humberti adversus Nicetam Pectoratum tempore Leonis VIII.* quæ habetur apud Baro: nium *tom. 11. annal. in fin.* merito ergo Nicolaus reprehensibiles dicit Sacerdotes Gracos, non quia matrimonio intererentur, sed quia non nisi matrimonio deditos, ordinandos esse credebant. Aliter respondet P. Vazquez *disp. 247. cap. 6. à num. 86.* quem refert, & sequitur Doct. Graña *hic num. 4.*

**16** Latini vero sacris ordinibus initiati semper, & pro semper non solum matrimonio postea non copulabantur, verum etiam jam contracto non utebantur, sed potius à die suscepti gradus sacri, sequestrato mansionis cubiculo,

à proprijs uxoribus abstinebant, quando necessitas ministrorum, & fidelium inopia cogebat etiam ex conjugatis Clericos assumere, ut pluribus relatis Concilijs probat D. Gonçal. in presenti, num. 6. &c in cap. 6. de convers. conjugat. & P. Piñing. ad eundem titul. §. 12. per tot. A quo tamen tempore hæc continentia lex obliget etiam Subdiaconos exponendum superest. Et quidem breviter dicendum est, quod licet à primis Ecclesiæ cunabulis gradus subdiaconatus cognosceretur, ut constat ex Canon. 43. *Apostolor.*  
*Anacleto epist. 1.* D. *Cypriano epist. 24.* & alijs authoritatibus adductis à Barbos. lib. 1. *Faris Eccles.* cap. 37. tamen quia subdiaconi, quando ordinabantur, castitatis votum non emittebant, ideo subdiaconatus primis Ecclesiæ sæculis sacer gradus non credebatur; & ita eis licuit habere uxores usque ad tempora Gregorij I. ut patet in cap. 1. dist. 31. ubi cum olim promoverentur subdiaconi, non promissa continentia, & licite uterentur uxoribus, & beneficijs, & Pelagius Papa postea edidisset Constitutionem, in qua præcisè prohibuit, nè subdiaconi suis uxoribus commiserentur: Gregorius illius successor revocavit illam Constitutionem tanquam iniquam, statuitque ut Subdiaconi, qui tunc erant, inviti non cogerentur; at in futurum nemo promoveretur, nisi continentiam voveret, quod refertur etiam in cap. *Multorum 20. 27. quæst. 2.* facitque textus in cap. *miramur 7. de serv. non ordin.* in illis verbis: *Licet subdiaconatus sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva;* tamen à Constitutione Gregorij, atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minimè dubitatur. Quibus consonant textus in cap. à multis 9. de etat. & qualit. ord. cap. nullus 4. dist. 60. Quapropter sicuti in primitiva Ecclesia Presbyteri, & Diaconi votum castitatis emittent, cap. ministri 19. dist. 81. ita etiam subdiaconi hodie emittunt ex decreto Gregorij Pontificis relate in dicto cap. 1. dist. 31. & Urbani II. in cap. erubescant 11. & seq. dist. 32. junct. cap. 1. dist. 27. cap. 1. dist. 28. cuius voti causa efficiuntur inhabiles ad contrahendum matrimonium, cap. un. de voto in 6. Doct. Balboa in cap. 2. de judicijs, num. 74. in fin.

17 Sed an S. Pontifex possit in voto castitatis annexo ordini sacro dispensare, ita ut subdiaconus, vel alius in sacris ordinibus constitutus valeat matrimonium contrahere, anceps est quæstio? In qua affirmativam sententiam tuentur P. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 6. & in præcepta Decalog. lib. 5. cap. 2. num. 9. Basilius de matrim. lib. 7. cap. 10. P. Suarez tom. 3. de Religion. lib. 6. cap. 16. ¶ 17. num. 5. ¶ 6. P. Pirhing. ad titul. de regular. scđt. 3. §. 8. num. 144. & ad titul. de stat. monach. §. 1. num. 10. Fagn. in cap. nuper 4. de bigam. non ordin. à num. 29. pluresque alij congesti à Barbos. de potest. Episc. 1. part. allegat. 15. num. 23. Verum ex adverso contrarium tradiderunt Theologi Scholastici, & novissimè defendit Vivar de veter. Monach. lib. 2. cap. 6. num. 11. Moventur isti authoritate textus in cap. cum ad Monasterium 6. de stat. monach. in ultimis verbis: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regula Monackali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere: ergo sicut non potest Pontifex dispensare in voto castitatis statui Religionis annexo, ita non poterit dispensare in voto continentia solemnizato per susceptionem sacri ordinis.* Sed omissa interpretatione Mendoza, quam refellit Basilius de matrim. dict. cap. 10. num. 3. respondendum est cum communi Interpretum Schola, prædicta verba esse accipienda in sensu composito, id est, cum monacho manente monacho non posse Pontificem dispensare, seu ipsi licentiam concedere, ut simul contrahat matrimonium; in sensu vero diviso, id est, extrahendo monachum a Religione, ita ut Monachus, vel Religiosus esse definit, recte posse Pontificem dispensare, ut matrimonium contrahat: ita acceperunt ea verba Innocentius, & Abbas ibi: num. 23. D. Covarr. in cap. 2. de testam. num. 18. Basilius dict. cap. 10. num. 9. P. Pirhing. dict. tit. de regular. §. 1. num. 10. Fagnan. in cit. cap. cum ad Monasterium 6. num. 67. cum seq. Nec contrariæ sententiæ favet ratio, quam adducit D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. quod solemnitas voti consistat in quadam consecratione, seu benedictione: non potest autem ullus Ecclesiæ Prælatus

facere , ut homo semel Deo consecratus , quandiu vivit , desinat esse consecratus , cap. *semel Deo 51.* de reg. jur. in 6. Non , inquam , favet ; quia hoc verum est , quandiu consecratio manet : potest tamen per Ecclesiæ authoritatem fieri , ut res consecrata desinat esse consecrata , v. g. ut ex calice consecrato , detructa forma , sed manente materia , fiat non consecratus , & in usus profanos convertatur. Vel dici potest , id verum esse in consecratione sacramentali , quæ est de jure divino , ac proinde omnino indelebilis , juxta Concil. Trid. *Seff. 7. de Sacram. can. 9.* at secus est in alijs consecrationibus , quæ sunt de jure positivo ; quia per Summum Pontificem auferri possunt , leg. *continua 137. S. cum quis 6. ff. se verb. oblig.* & ideo passim videmus per authoritatem Papæ Ecclesiæ , & loca sacra in profanos usus non sordidos converti juxta decretum Conc. Trident. *Seff. 21. cap. 7. in fin.* Consecratio autem , seu benedictio , in qua consistit solemnitas voti , non est sacramentalis , nec de jure divino , quia voti solemnitas introducta est de jure positivo , & ex Constitutione Ecclesiæ , cap. *un. de voto in 6.* ergo nihil obstat , quin S. Pontifex possit super ea dispensare : D. Gonçal. *in can. 13. Concil. Ilib.*

18 Hinc non abs re queri potest ; utrum qui in ordine sacro constitutus , ex dispensatione Pontificia matrimonium contraxit , si delictum committat , sit coram Ecclesiastico judge conueniendus , an accusari possit coram Judge seculari. Et coram seculari esse conueniendum , eò quod per contractum matrimonij amittat privilegium fori , & Canonis , tenent P. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 11.* P. Suarez *lib. 4. adversus Regem Ang. cap. 28. num. 3.* Sed contrarium , & rectius docuerunt Delbene *tom. 1. de immunit.* Eccles. *cap. 4. dub. 10. num. 12.* Barbos. *in remis. ad Trident. Seff. 23. de reform.* cap. *6. num. fin.* Navarr. *in tract. de reddit.* Eccles. *q. 1. monitor. 55.* O<sup>o</sup> seq. O<sup>o</sup> Consil. *10. O<sup>o</sup> 11. de regularib.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18.* quibus suffragantur plures , quos refert , & sequitur Fagnan. *in cap. nuper 4. de bigam. non ordin. a num. 29.* Atque hanc sententiam & ego veriorem , ac in praxi observandam esse judico. Eaque primo probatur ex eo , quod ordo facer , &

matrimonium essentialiter non sunt opposita, sed ex constitutione Ecclesiæ tantum, ut dixi num. 16. ergo sublato constitutionis impedimento per dispensationem Pontificis, Clericus in Sacris, qui matrimonium legitimè contraxit, immunit manet à potestate sacerdotali, sicut erat ante matrimonium; dispensatio enim ei non adimit privilegium Clericale, quo gaudebat ante contractum matrimonium, argum. text. in leg. 8. ff. unde liber. ibi : *Si statum suum mutaverit, nihil obest ei, quominus id, quod acquisivit, retineat;* quia cessante causa impidente matrimonium virtute dispensationis Pontificiæ, non cessat effectus characteris semel impressi, qui durat, & permanet, quin illum vitiet casus supervenientis matrimonij, quamvis perversiat ad casum, à quo incipere non potuit; nam quæ semel utiliter sunt constituta, durant, licet detur casus, à quo initium habere non potuerunt, ut ex leg. in ambiguis 85. §. non est novum 1. ff. de regul. jur. docet Tiraquell. in tract. causa cessant. limit. 10. num. 1. & 2. Idque procedit etiam si habitum, & tonsuram non deferas; quia Constitutio Bonifacij VIII. in cap. un. hoc tit. in 6. & Trident. sess. 23. de reform. cap. 6. non procedit, nisi in Clericis conjugatis in minoribus ordinibus constitutis, ut notant D. Covarr. in pract. quæst. cap. 31. sub num. 6. vers. quintæ bine appetet, Scaccia de judic. cap. 11. num. 32.

19 Deinde hæc sententia confirmatur ex eo, quod Clerici in minoribus licet conjugati ideo fori privilegium retinent, quia matrimonium contrahunt lege permittente, nec status conjugalis est incompatibilis cum Clericali, ut probat D. Covarr. dict. cap. 31. num. 7. sed & Clericus in Sacris in vim Apostolicæ dispensationis legitimè contrahit, nec status conjugalis est incompatibilis cum sacro ordine, ut suprà ostendimus: ergo licet sit conjugatus, fori privilegium retinere debet. Sicuti videmus Milites Alcantaræ, & Calatravæ non ideo minus potiri privilegijs personatum Ecclesiasticarum, quod matrimonium contrahant ex dispensatione Pontificis, ut tradit Navarr. conf. 10. & 11. de regularib. Præterea eamdem sententiam juvat, quod beneficium fori concessum est Clericis ratione characteris eisdem indelebiliter impressi in ipsa ordinum susceptione, sed per matrimonium

nium subsequens characterem impressus non deletur , ut notat Abbas in cap. foianes 7. hoc tit. not. 2. & definitum est in Concil. F.orent. in Decret. fidei §. quinto , & in Trident. sess. 7. de Sacram. can. 9. ergo nec privilegium fori tollitur. Neque obstat , si dicas , quod neque per degradationem deletur character ; & tamen Clericus degradatus subjicitur sacerdotali distinctioni , cap. 2. ubi glossa fin. de pœn. lib. 6. Nam id specialiter statutum est in poenam Clericorum enor- miter delinquentium cap. cum non ab homine 10. de Judicijis , cap. ad abolendam 9. de heret. cap. super eo 4. eod. tit. lib. 6. at Clericus in sacris nihil peccat contrahendo Pontifice concedente , cap. qui peccat 40. 23. q. 4. cap. dixit 12. 14. q. 5. leg. Graecus 4. Cod. ad leg. Jui de adulter.

20 Denique eidem assertioni hoc argumentum apprimè patrocinatur. Graeci conjugati in sacris Ordinibus constituti gaudent privilegio fori Ecclesiastici , ut tenet D. Covarr. ubi supra dict. cap. 31. sub nnn. 5. vers. Qua ratione , ubi improbat consuetudinem Anglorum, apud quos Clerici conjugati, etiam in sacris, coram judice sacerdotali litigare coguntur, & refert eam improbasle etiam Judices Rotæ decis. 840. alias 10. de consuet. in antiqu. ergo eodem pri- vilegio potiri etiam debent Clerici in sacris Ecclesiae Latinae , & Occidentalis , qui matrimonium contraxerunt ex Pontificis dispensatione. Nam Graeci uxorati ideo retinent Clericale privilegium, quia cum Orientalis Ecclesia votum continentiae non admiserit , cap. cum olim 6. hoc tit. cap. aliter 14. dist. 31. usus matrimonij non est illis interdictus. Quæ ratio viget etiam in præsenti ; quia Clericus propter Pontificis dispensationem solitus est voto continentiae, perinde ac si non uovisset , & legitimo uititur matrimonio. Ma- neat ergo ex hucusque dictis , matrimonium , ut proponi- tur contractum , non obstat Clericis in sacris , quominus gaudent exemptione à Judicibus sacerdotalibus. Et revera ab- surdum esset , ut existens in sacris subjiceretur laicorum ju- risdictioni ob matrimonium contractum approbante Pon- tifice ; cum tamen ob quodcumque crimen quantumvis enorme , & irregularitatem irrogans fori privilegium non amittat ante actualem degradationem , & traditionem Cu- ria

riæ sacerulari , cap. *cam non ab homine 10. de Iudicijs* , ubi notant omnes Canonistæ. Pro qua sententia facit Navarr. *in tract. de redd. Eccles. Monit. 55. num. 10.* ubi in fôlio-ribus terminis docet , regularem solemniter professum , qui ex dispensatione Rom. Pontificis matrimonium contrahit , esse personam Ecclesiasticam , & gaudere privilegio fori , & Canonis. Pari autem passu ambulant quoad Clericale privilegium Clericus , & Professor , ut notat Joann. Andr. *in cap. un. de obligat. ad ratioc. num. 19. vers.* *O que dicta sunt.* Neque hanc ita stabilitam sententiam infringit textus *in cap. quisquis 5. dist. 84. ibi : quisquis Clericus , aut viduam , aut secundam conjugem duxerit , omni Ecclesiastice dignitate/is privilegio mox nudetur , laicu sibi tantum communione concessa.* Nam præterquamquod decisio hæc non loquitur de matrimonio contracto à Clerico virtute Pontificiae dispensationis , responderi potest ; quod Constitutio Siricij Papæ , cuius est textus ille , per quam bigami declarantur omni privilegio nudati , & coercioni fori sacerularis addicti , ad Clericos sacris Ordinibus insignitos non pertinet , nec ad eos extenditur , sed ad Clericos in minoribus tantum , ut doceat ibi Glossa in verbo *Clericus*. Ratio differentiæ perspicua est ; quia in minoribus constitutus sic contrahendo matrimonium , cum ad sacerulum redeat , & non remaneat persona Ecclesiastica , privatur fori privilegio ; sed constitutus in sacris , cum propter characterem Ordinis sacri non possit ad sacerulum redire , nec desinere esse persona Ecclesiastica , retinet privilegium fori.

**21** Jam sensim delapsi sumus ad decisivam nostri textus rationem , eaque multiplex est. Et certè prima ratio provenit ab exemplo Apostolorum suprà *num. 11. relato.* Secunda desumitur ab exemplo Pontificis , & Sacerdotum veteris legis , qui pro toto eo tempore , quo ministrabant in Tabernaculo , & in Templo , abstinebant à proprijs uxoribus , ut testantur varia scripturaræ testimonia. Nam *Exod. cap. 19. dicitur : Sacerdotes quoque , qui accedunt ad Dominum , sanctificantur* , id est , abstineant ab uxoribus ; in eo enim potissimum consistebat sanctificatio , ut patet ex eodem capite ; nam *vers. 10. dicebat Deus ad Moysen: Vade ad*

ad populum, & sanctifica illos bedie, & cras, lavaque  
vestimenta sua: Moyses autem intellexit illam sanctificatio-  
nem de abstinentia ab uxoribus. Nam mox accedens ad po-  
pulum, & explicans illi voluntatem Dei, dixit: Estote para-  
ti in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.  
Ubi notandum est, illam sanctificationem, seu abstinentiam  
ab uxoribus tam populo, quam Sacerdotibus fuisse præcep-  
tam, & ipsis quidem speciali titulo pro omni tempore, quo  
fungebantur officio Sacerdotali, sive orando pro populo,  
sive hostias, & sacrificia offerendo. Si ergo homines laici  
decebant sanctificari per abstinentiam ab uxoribus, multò  
magis Sacerdotes, quippe qui ad majorem puritatem ratio-  
ne status, ac officij obligabantur: docet D. Hieronymus  
lib. 1. contra Iovin. ibi: Nam & in veteri lege, qui pro populo  
hostias offerebant, non solum in dominibus suis non erant,  
sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, & vi-  
num, & siceram non bibeant, quæ solent libidinem provoca-  
re: faciuntque pulchra Innocentij I. verba relata in cap.  
tenere 4. dist. 31. ibi: Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus  
suis non misceantur, quia ministerij quotidiani necessitati-  
bus occupantur. Scriptum est enim, sancti stote, quoniam,  
& ego sanctus sum, Dominus Deus vester. Nam si priscis  
temporibus anno vicos sue de Templo Dei Sacerdotes non  
discederant ( sicut de Zacharia legimus ) nec domum suam  
omnino tangebant, quibus, utique propter sobolis successio-  
nem, uxoris usus fuerat relaxatus, quanto magis bi Sacer-  
dotes, vel Levitæ pudicitiam, servare debent, quibus vel Sa-  
cerdotium, vel ministerium sine successione est, nec prete-  
rit dies, qua vel à sacrificijs divinis, vel à baptismatis offi-  
cio vacent.

22 Facit etiam exemplum Gentilium, apud quos  
lege XII. tabul. ita cavebatur: Divos castè aderunt. Imò &  
conjugio usos arcebant à suis sacrificijs, ut docet D. Hiero-  
nymus lib. 2. in Iovin. ideo apud eos Sacerdotes sine usu  
conjugij erant, leg. vitrico 60. ff. de donat. inter vir. ibi;  
propter Sacerdotium. Plura congessit Tiraquell. in leg. 5.  
conub. ex num. 76. Et certè si hæc observabantur in Sacer-  
dotibus tam Judaicæ, quam Gentilitiae religionis, quanto  
magis

gis Sacerdotes legis gratiæ , qui non carnes vitulorum , & hincorum, ut olim in lege, sed Christum verum Deum quotidie in sacrificio offerunt, debent continenter vivere, à conjugioque arceri. Accedit etiam; quia cum Sacerdotibus quotidiana necessitas orandi incumbat, eò quod perpetuo Deo mancipati sint, ut liberius, & expeditius cunctis diebus orationi possint vacare, justa de causa à conjugali officio prohibiti sunt, ex illa Apostoli autoritate ad Corinth. cap. 6. siquidem qui conjugem habet, non potest facile in vitam contemplativam animalium dirigere, cum in re uxoria, & familiari semper sit occupatus, & multa sint connubij onera, ut constat ex cap. diversis 5. hoc tit. Unde Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. cuius authoritas refertur in cap. omnes 7. 32. q. 7. gravem conjugij sarcinam intelligens ait: *Si ita est, non expedit hominem uxorem accipere.* Merito ergo Sancti Ecclesiæ Patres tot Canonibus prohibuerunt sacris ministris, & Dei Sacerdotibus, nec non & Levitis, seu Diaconis, & qui Sacramentis Divinis inserviunt, id est, Subdiaconis, usum conjugij, ita ut matrimonium ab eis contratum nullum, ac irritum sit. Nam quamvis in primitiva Ecclesia non prohiberentur Subdiaconi uxores ducere, ut patet ex cap. 1. dist. 31. postea tamen statutum fuit, ut etiam ipsi matrimonium contrahere non possent, & ut nullus Subdiaconus fieret, nisi qui se castè viciatum promitteret, cap. Subdiaconis 9. dist. 32.

23 Verum enim vero haec doctrina hac declaracione temperanda est, ut videlicet non procedat eo in casu, quo quis fuerit promotus ad Ordinem Sacrum per vim, vel metum cadentem in constantem virum; tunc enim non tenetur servare continentiam Ordini Sacro annexam, licet ordinis suscipiat Sacramentum, cap. majores 3. §. item queritur fin. de Baptism. Et ratio est, quia ordo sacer non obligat ad continentiam ex natura rei, sed solùm ratione voti ex Ecclesiæ constitutione Ordini Sacro annexi, cap. un. de voto in 6. votum autem sive expressum, sive tacitum, quale inest Ordini Sacro, est irritum, si ob metum cadentem in virum constantem fuerit emissum, adeoque non obligat, cap. 1. § 6. debis, qua vi, metusve caus. sed talis matri-

monium contrahere potest. P. Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 29. num. 5. Doct. Balboa in cap. 8. de jurejurand. à num. 23. ubi plures refert. Idem dicendum est de illo, qui suscipit ordinem sacrum sive antea, sive etiam post usum rationis, sed ante pubertatem, ut scilicet non teneatur ad votum continentiae fervandum, nisi adeptus pubertatem illud ratificet; & consequenter matrimonium inire potest, ut ex probabiliori sententia docet P. Sanchez ubi nuper. disp. 30. num. 8. & latius Fagnan. in cap. tue 1. de Cleric. per saltem prom. à num. 50. Ratio est, quia quamvis alioqui impuberis simplici voto castitatis obligari possint, cap. 2. de voto, & ibi D. Gonçal. num. 5: quia tamen facillime vota illorum dissolvi possunt, & irritari à parentibus, & tutoribus, etiam sine aliqua causa, ut tradit P. Pirhing. ad tit. devoto §. 5. num. 31. non est credendum Ecclesiam velle obligare puerum impuberem voto tanti momenti. Similiter qui invalidè est promotus ad Sacrum Ordinem, quia is irritus fuit ob defectum substantialiter requisitum ad validitatem ordinis, validè matrimonium contrahit, quia non obligatur ad votum continentiae ei annexum: Barbos. in cap. 1. qui Clerici vel vovent. num. 4.

24 Secundò notandum est, quod quamvis ad sacros Ordines promotus nequeat valido conjugio copulari, potest tamen, si prima tonsura tantum, vel etiam minoribus ordinibus sit initiatus, validum matrimonium contrahere, ut vetusta jam, ac quotidiana praxis Ecclesiae docet, & colligitur ex d. cap. 1. qui Clerici, vel vov. quia illud non dirimunt ordines minores, cum nullus extet textus, seu Canon id interdicens: immo hoc exprefse conceditur in nostro textu in secunda ejus part. & in cap. si qui verò 3. cap. si quis 7. cap. Lectores 8. cap. placuit 13. & seq. dist. 32. Ratio est; quia ordo, suapte natura, non repugnat matrimonio, sed solum ratione voti, quod Ecclesia suo praecerto annexit: at Ecclesia solis Ordinibus Sacris, seu majoribus votum castitatis annexuit, cap. 1. cap. 8. dist. 28. P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 31. num. 4. ubi num. 5. addit; quod etiam ille, qui ordines minores recipit, credens illis annexum esse solemne votum tacitum continentiae, non

teneatur ad illius observantiam ; quia talis non intendebat per se , & principaliter votum castitatis emittere, sed solum quatenus illud annexum putabat ordinibus minoribus : cum ergo non sit annexum , nullo voto ligatus manebit. Nec obstat , quod juxta *Can. 25. Apostolor.* Lectores , & Cantores tantum , si velint , nuptias contrahere possunt : ergo Acolyti olim non poterant. Nam respondetur , in eo *Canonе Lectorum , & Cantorum* appellatione contineri omnes Clericos minores , seu inferiores Subdiacono , Basilius lib. 7. de matrim. cap. 24. num. 10. in fin. Neque excludi duos alios minores ordines, sed includi , quia in illis est eadem omnino ratio : & dictio taxativa *tantum* ita excludit extranea , & dissimilia , ut includat omnes casus similes , in quibus est eadem ratio , ut ex Everardo docet P. Sanchez , ubi supra num. 6.

15 Verum licet Clerici in minoribus ordinibus constituti matrimonium licite , & valide contrahere possint ; tamen Ecclesiastica beneficia retinere non possunt , sed ijs privandi sunt , prout statuitur in *cap. diversis 5. hoc tit.* Quare juxta Joann. Andreas, Abbatem , Ancharr. & alios scribentes in nostro textu , per sola sponsalia de futuro Clericus non amittit beneficia ipso jure ; quia sicut per adoptionem secundi beneficij incompatibilis non vacat primum , dum plena possessio secundi non est obtenta , *Clem ult. de prebend.* ita per sponsalia de futuro non vacant beneficia , quia illa non important statum plenè incompatibilem cum beneficijs , sed tantum sunt via ad illum comparandum. Unde si Clericus contraxerit matrimonium ratum cum foemina impubere , beneficia non amittit , quia tale matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro , *cap. un. §. idem quoque de spons. impub.* in 6. Sed hic insurgit quæstio , an videlicet si hujusmodi Clericus validum contrahat matrimonium , amittat ipso jure beneficia , vel potius requiratur sententia Judicis privans ? Hujus quæsti maximus est effectus ; nam si Clericus conjugatus non amittit beneficia , nisi post sententiam Judicis , potest ijs renuntiare ad favorem alterius , quia donec privetur , est suum illud beneficium. Ita hanc differentiam in terminis Clerici beneficiarij ineuntis matrimonium

nium expendit Parisius de re signat. benef. lib. 3. quæst. 16.  
per tot. Respondeo igitur per matrimonium validum à Cle-  
rico initum vacare ipso jure illius Clerici beneficia. Ita  
Glossa in presenti, verbo *relinquenda*, & ibi Abbas num.  
4. & 5. & Barbos. num. 2. Pignatell. tom. 2. consult. 2.  
num. 11. Zevallos in qq. pract. q. 147. num. 1. P. Sanchez  
lib. 7. de matrim. disp. 42. num. 4. P. Pirhing. ad hunc tit.  
§. 3. num. 11. & alij DD. communiter apud eosdem.

26 Prima, ac potissima ratio desunitur ex per-  
sona ipsius Clerici, quia scilicet hæc privatatio non est statu-  
ta à jure in poenam alicujus delicti, ( cur enim delinquit  
Clericus minoribus tantum initiatus, si uxorem ducat?) sed  
unicè consurgit ex incompatibilitate status, quem elegit  
sponte sua Clericus matrimonium contrahendo: quare per  
electionem, hujus status incompatibilis cum beneficio Ec-  
clesiastico liberè, ac ultroneè factam censetur Clericus tac-  
tè beneficijs renuntiassè, eaque tanquam derelicta habuisse,  
argum. cap. ex transmissa 3. de renuntiat. cap. cum renun-  
tiatur 9. 32. quæst. 1. contrario enim facto juri proprio ce-  
ditur, arg. leg. 1. Cod. de furt. Secunda ratio emergit ex  
præsumpta voluntate superioris beneficium concedentis:  
Hac enim tacita conditione censetur datum beneficium Cle-  
rico, nec eo retento, assumeret statum cum ipso incompatibi-  
lem. Quare tali statu assumpto amittitur statim illud benefi-  
cium, tanquam deficiente conditione, sub qua concessum  
fuerat, ut notant PP. Sanchez, & Pirhing. loc. num. ant.  
citatis. Nec obstat noster textus, ubi dicitur, quod si Cleri-  
ci infra subdiaconatum uxores acceperint, compelli debeant  
ad relinquenda beneficia, & ijs privandi sint; ergo si sunt  
privandi, non sunt privati ipso jure. Idemque habetur in  
cap. 3. hoc tit. Etenim respondetur, à dictis textibus con-  
firmari, non destrui veritatem nostræ assertionis; non enim  
illi dicunt, Clericos conjugatos privandos esse beneficijs,  
& compellendos ad ea relinquenda, quatenus jam ea ipso  
jure non vacaverint, sed ob hoc ipsum, quod ipso jure jam  
vacaverant, jubetur, hujusmodi Clericos privandos esse  
possessione dictorum beneficiorum, & ad eam dimittendam  
debere compelli. Similiter non adversantur textus in cap. si  
qui

qui vero 3. dīſt. 32. cap. quia tua 8. 12. quæſt. 1. in quibus repetitur, quod si Clerici sacro ordine non initiati contineri nequeant, uxores ducere debeant, & stipendia sua accipere. Nam primò respondetur, dicta jura fuisse correta per nostrum textum, ut ibi docet Glossa verbo: Relinquenda. Secundò cum Innoc. & Hostiensi in præſenti, ex misericordia in objectis textibus dispensatum fuisse cum Clericis incontinentibus, quèd, uxoribus ductis, adhuc fructus beneficiorum percipere possint, ut ita mitius cum eis agendo, facilius ab impudicitiae luto resipiscerent. Respondetur tertio, & verius cum Abbatे hic, ibi esse sermonem de stipendio, quod hujusmodi Clerici accipiunt ab Ecclesia ratione paupertatis, vel ratione laboris, quem caſiendo v. g. vel organa pulsando prästabat; non autem sermonem esse de stipendio, quod haberent in titulum, quæle est beneficium Ecclesiasticum. Eodemque modo dislocates textum in cap. Joannes 7. hoc tit. ubi dicitur, Clericum quendam uxoratum non fore cogendum ad deferendam tonsuram; niſi in casu, quo habeat beneficium Ecclesiasticum. Respondendum enim est cum Glossa fin. ibidem, quòd vel ibi habetur sermo de beneficio impropriè dicto, ſeu de stipendio non in titulum, ſed in iuſtentationem assignato, iuxta cit. cap. si qui 3. dīſt. 32. vel loquitur textus de beneficio propriè ſumpto, ſed cum diſpensatione Apostolica retento, ut tenet Primarius noster D. Samaniego in tract. de probib. ſuccesſ. in benef. Eccles. cap. 1. num. 5. in fin. Sic quoque non obſtat, quod inhabilitas medio tempore ſuperveniens non nocent, quando habilitas in initio adfuit, leg. ſed si 6. S. ſolemnis 2. ff. de bared. iuſtit. cum ergo Clericus in minoribus, tempore, quo obtinuit beneficium, fuerit habilis, illud non amittit per hoc, quod per ſubsequens matrimonium reddatur inhabilis. Nam respondetur, dictam regulam effe veram, quando quis excluditur à beneficio propter inhabilitatem personæ: ſecus autem, quando illud amittit ob tacitam renuntiationem, prout accidit in noſtro casu.

27 Quæ doctrina adeo vera eſt, ut procedat, quamvis matrimonium fuerit tantum ratum, etſi non fuerit conſum-

summatum; quia præcisè per matrimonium ratum Clericus  
verè assumpsit statum incompatibilem cum beneficijs , Ab-  
bas *in præsenti* , num. 5. Garcia *de benef. part.* 11. cap. 8.  
num. 1. Imò etsi uxor moriatur à viro Clerico non cogita,  
vel transeat ad Religionem, adhuc ejus vir beneficium am-  
sum non recuperat; quia jus semel extinctum non reviviscit  
amplius, licet causa extingueens cessarit , quod patet argum.  
*Clem. Gratia 4. de rescript.* junct. Gloss. verbo , *resignaveris*, ubi dicitur , quod censearis renunciasse gratiæ , ut tibi  
provideatur de beneficio curato, si ante gratiæ assecutionem  
pacifice adeptus fueris aliud beneficium incompatibile,  
quamvis hoc beneficium resignaveris , vel sis renunciare  
paratus : consule Abbat. *hic num. 6. Garcia ubi supra, num.*  
3. P. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 42. num. 6.* Similiter  
per matrimonium validè initum amittit Clericus accessus, re-  
gressus ; vel alia quælibet jura , quæ habebat ad beneficium  
Ecclesiasticum ; putà si impetraveras rescriptum ad præben-  
dam *A.* vacaturam, & antequam vacaret, uxorem duxeris, ac  
uxore defuncta , dicta præbenda vacaverit; non potest am-  
plius eam petere , vi talis rescripti. Rationem reddit An-  
charran. *in dict.* Clem. *Gratia 4.* quia si per electionem sta-  
tus incompatibilis vacat ipso jure beneficium, quod fortassis  
habebas , à fortiori vacabit jus ad tale beneficium , cum  
multò fortius sit jus in re , quam ad rem , & facilius hoc  
amittatur, Fagnan. *in cap. 28. de præbend. num. 13.* Pirhing.  
*ad hunc titul. §. 3. num. 13.*

28 Sed queri poterit : utrum Clericus **conjugatus**  
amittat ipso jure etiam pensiones, quas antea habebat: Res-  
pondeo cum distinctione, si talis pensio erat collata Clerico  
pro ministerio merè temporali , puta quia eslet advocatus  
Ecclesiæ , pulsaret campanas, & organa, non vacat per ma-  
trimonium Clerici , quia ea pensio datur Clerico, tanquam  
laico , & pro ministerio merè temporali. Ita Gigas *de pensio-*  
*nib. quæst. 54. num. 5. O. 6.* Si autem talis pensio collata  
fuit titulo clericali , puta loco beneficij ; quod talis Cleri-  
cus resignavit , eodem modo vacat per matrimonium , quo  
diximus supra vacare beneficia , Parisius *de resignat. ben-f.*  
*lib. 1. quæst. 1. num. 15. O lib. 6. quæst. 2. num. 115. Ze-*  
Li vallos

vallos in qq. pract. quest. 147. num. 3. Basilius lib. 7. de matrim. cap. 18. num. 7. P. Sanchez eod. tract. lib. 7. disp. 44. num. 4. & 5. P. Pirhing. ad hunc titul. §. 3. num. 3. in fin. ratio est; quia cum tales pensiones dentur titulo clericali, per assumptionem status incompatibilis cum beneficio censetur illis quoque renunciatum, sicut & beneficijs. Praeterea; quia tales pensiones subrogantur loco beneficiorum; certum est autem subrogatum sapere naturam ejus, in cuius locum subrogatur, leg. si eum 10. §. qui injuriarium 2. ff. si quis cautionib. esp. Ecclesia 3. ut lite pend. cum simul. Fagnanus omnino videndus in cap. ad audientiam 31. de rescript. num. 57. præcipue à num. 40. & ita servatur de stylo Curiae per text. in cap. quam gravi 6. de crimin. falsi, ut testatur D. Covarr. 2. part. de sponsalib. cap. 6. §. 3. num. 6.

29 Porro ut hæc posterior nostri textus pars magis illustretur, illa nunc occurrit examinanda quæstio: an Clericus in sacris, sive in minoribus ordinibus constitutus, contrahens matrimonium irritum ex aliquo impedimento illud discente, amittat ipso facto beneficium Ecclesiasticum? Et sanè confessim, ipsoque jure beneficium amittere Clericum invalidè matrimonium contrahentem tenet Abbas in presenti, num. 7. & 8. Idque probat, tum ex cap. nuper 4. de bigam. non ordin. ubi habetur, quod transiens ad secundum matrimonium post ordines factos jam susceptos, ut bigamus puniri debeat, quamvis talis verè non sit, quia quantum fuit in se secundam duxit uxorem: tum ex cap. eum, qui 18. de præbend. in 6. ibi enim dicitur, quod si habens beneficium curatum in aliud curatum se violenter intrudat, primum ipso jure amittat, quamvis sit irrita adep-tio secundi: & rationem reddit textus ibi: Non enim decet, ut stultus melioris, quam peritus conditionis existat, vel quod invaserit eo, qui iuste ingreditur, privilegio gaudeat potioris tum denique ex cap. quanto 3. de transl. Episc. ubi Similiter decernitur, quod si Episcopus ad alium Episcopatum propria autoritate se transferat, etiam priore legitimè habitu carere debeat: ergo à pari quamvis Clericus matrimonium irritum contraxerit, adhuc tamen beneficia, quæ prius ha-

bebat ipso jure amittet. Eamdem opinionem tuetur D. Co:  
vart. ubi supra numer. 4. pluresque alij , quos refert P.  
Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 43. num. 4.

30 Verum his non obstantibus mihi magis placet  
sententia afferatium, quomodo cumque, & ex quacumque  
causa matrimonium sit irritum, non amitti beneficia ipso ju-  
re, sed in delicti poenam, sententia judicis accidente, Cleri-  
cum contrahentem privandum esse, nisi cum eo dispensetur,  
ut tenet P. Sanchez ubi nuper n. 3. *Gircia de benef. p. 11.*  
*cap. 8. num. 17.* Lefsius lib. 2. de just. cap. 34. num. 113. &  
alij apud Pirthing. *ad hunc titul. §. 3. num. 16.* Eaque pri-  
mo inde probatur ; quia vel amissio beneficiorum incurri-  
tur in poenam delicti , & proculdubio requiritur. sententia:  
vel incurritur ob renunciationem tacitam factam à Clerico,  
& hæc renunciatio tacita non potest plus operari, quām ex-  
pressa : sed expressa non inducit vacationem beneficij , nisi  
fiat in manibus Episcopi , vel superioris , *cap. admonet 4.*  
*cap. quod in dubijs 8. de renunc.* ergo nec tacita. Vel demum  
incurritur in vim renunciationis tacite cum assumptione ita-  
tus incompatibilis: & hoc est falsum; quia talis Clericus cum  
non contrahat matrimonium validum, non contrahit statum  
verè , & realiter incompatibilem cum beneficijs. Secundò  
probatur ex axiomatibus illis generalibus juris scilicet, quod  
nullum est , nullum potest de jure producere effectum, *leg.*  
*si se 4. §. condemnatum 6. ff. de rejnd.* & non præstat impe-  
dimentum, quod de jure non sortitur effectum, *juxta reg. 52.*  
*de reg. jur. in 6.* cum ergo tale matrimonium nullum sit, non  
inducit juris effectum. Unde jam non obstant fundamenta  
pro contraria sententia expensa , quibus unica responsione  
sit satis, dicendo, nullum in jure nostro haberi textum dis-  
ponentem in hac materia expressè, quod per matrimonium  
irritum ipso jure beneficia amittantur ; quia Canones ipso  
facto privantes Beneficiarium, si uxorema accipiat, loquuntur  
de matrimonio valido, ut evincit noster textus , dum in eo  
dicitur tales Clericos conjugatos per censuram Ecclesiasti-  
cam compellendos esse, ut uxores retineant, adeoque suppo-  
nuntur matrimonium fuisse validum : quare non obstat, quod  
in alijs casibus id habeatur statutum, quia in poenalibus non

est facienda extensio de casu ad casum diversum ob paritatem rationis, cum odia ampliari non debeant, sed restringi, *cap. odia 15. de reg. jur. in 6.* maximè quando habemus in contrarium omnia jura pro nobis clamantia: *Quod nullum est, nullum de jure potest producere effectum.* Alias enim, si ex paritate rationis facienda esset extensio casuum, posset dici, quòd sicut justus occisor veri hominis est irregularis, ita etiam injustus occisor feræ, quam putabat esse hominem sibi inimicum, esset irregularis; siquidem prout habetur in objecto *cap. cum qui 18. de præbend. in 6.* non debet esse pejoris conditionis justus occisor, quam injustus, qui quantum fuit ex parte voluntatis suæ hominem interfecit: sicut ergo claudicat hæc illatio, ita profectò claudicabunt cæteræ omnes, quæ in materia poenali innitantur paritati rationis. Nec obstabit, si dicas: Clericus ducendo uxorem quamvis invalidè, quantum fuit ex se elegit statum incompatibilem cum beneficijs: ergo illis videtur renunciasse. Nam, ut patet ex dictis, non sufficit, quod aliquis velit assumere statum incompatibilem, nisi talis voluntas fortiaatur effectum, quia voluntas, seu conatus inefficax non reputatur pro facto, quando agitur de poenis incurrendis, nisi id in jure expressum habeatur.

31. *Diximus hactenus, Clericum conjugatum beneficia priùs obtenta retinere non posse; nunc autem dicimus incapacem quoque esse alia obtainendi, cap. sanè 2. hoc tit.* Et ratio est; quia Clericus conjugatus reputatur tanquam laicus (exceptis casibus expressis in *cap. un. hoc tit. in 6.*) laicus autem incapax beneficij asseritur in *cap. cum adec. 17. de rescrip. iap. ex litteris 6. de transact. cap. in Ecclesia 2. de Institut.* Ulterius Clericus conjugatus amittit beneficia, quæ antea habebat: ergo à fortiori nova acquirere nequit; multa enim impediunt, quæ non ejiciunt, juxta *cap. quemadmodum 25. de jure jur.* Quod adeo procedit, ut quamvis aliqui inhabiles, puta irregularis, vel excommunicatus, obtinentes beneficium juveniur regula Cancellarie de Triennali, ira ut si triennio pacifice beneficium possederint nequeant amplius molestari, ut docet Gomezius *ad regul.* Cancellarie regula de Triennali, *quest. 26. §. quibus non obstantibus, O. quest.*

quest. 27. conjugatus autem dicta regula non juyetur iuxta Gomez dict. quest. 26. §. sed breviter. P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 42. num. 15. P. Pirhing. ad hunc titul. §. 1. num. 2. Et ratio discriminis est; quia excommunicatus, & irregularis non sunt omnino incapaces beneficijs; quamvis enim illud obtinere nequeant, tamen antea obtento non privantur, cap. dilecti 8. de except. Fagnan. in cap. I. de sibimat. num. 92. conjugatus autem, & obtentum retinere nequit, & aliud acquirere non potest, quia quoad hoc reputatur omnino tanquam laicus. Quę doctrina limitanda est, prout limitat textus in dict. cap. sanè 2. hoc tit. quod scilicet beneficia acquirere possit conjugatus, quando legitimè fuerit promotus ad Ordines sacros, uxore, si senex fuerit, promittente continentiam in sèculo, si vero juvenis, profiteente religionem, iuxta text. in cap. conjugatus 5. de convers. conjugat. cap. Episcopus 6. dist. 77. P. Sanchez cit. loc. num. 16. P. Pirhing. ad tit. de convers. conjug. §. 12. num. 58. O seq. quę doctrina locum sibi non vendicat casu, quo conjugatus in Episcopum ordinetur; tunc enim satis non est, ut ejus uxor in sèculo maneat, edito voto continentiae, sed requiritur, ut continentiam prius professa, sacram sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumerat, prout statuitur in cap. sanè 6. de convers. conjug. Ratio desumitur; tum ex dignitatis Episcopalis excellentia, ob quam decebat, ut uxores Episcoporum, quatenus eorum status permittit, etiam ad perfectioris viæ statum assumerentur, adeoque ut in Religione inter moniales profiterentur. Tum etiam, nè uxor in sèculo permanens sèpè alijs mulieribus associata visiter Episcopum, & ab eo gratias ad ditandos consanguineos impetreret, P. Sanch. cit. lib. disp. 41. num. 2.

32. Sed non iauiliter hic quaerit aliquis: quisnam possit dispensare, ut conjugatus, etiam non servatis conditionibus requisitis in dict. cap. sanè 4. hoc tit. possit qualemcumque beneficium obtinere? Respondeo, facultatem hanc unice esse Pontificis Roman. Ita Abbas in cap. Joannis 7. hoc tit. num. 7. Garcia de benef. 3. p. cap. 5. num. 41. Idque probatur primò ex cap. diversis 5. hoc tit. ubi Pontifex iubet Episcopo, ut privet Clericos conjugatos beneficijs post

conjugium adeptis, statimque additi: *Nisi forte talibus scientie contuleris Ecclesiastica beneficia*, quibus eos non per te, sed per superiorem decernimus spoliandos: ergo non est sufficiens dispensatio Episcopi; alias dicti Clerici non essent spoliandi beneficijs ab Episcopo collatis. Et confirmatur; quia Episcopus nequit dispensare in ijs, quæ nequit conferre, ut certum est; sed vigore *dict. cap. diversis 5.* nequit conjugato beneficia conferre: ergo nequit quoad illa retinenda dispensare. Probatur secundò; quia Episcopus non potest dispensare contra Canones, nisi quando id ipsi expressè permittitur à jure, ut notant communiter DD. in *cap. at si Clerici 4. S. de adulterijs. de Judicijs*: quare cum Clericus conjugatus, exceptis aliquibus privilegijs, reputatur laicus, nequit cum illo Episcopus dispensare, quia contra Canones est, beneficium laico conferre. Nec refragatur textus in *cap. Joann. 7. hoc tit.* ubi dicitur, non fore compellendum Clericum conjugatum ad deferendum habitum, vel tonsuram, dummodo nullum percipiat beneficium Ecclesiasticum: ergo supponit posse illum habere beneficium Ecclesiasticum ex dispensatione Episcopi. Nam respondeo, negando suppositum, prout ponitur. Textus enim unicè supponit Clericum conjugatum capacem esse, ut dispensetur quoad acquisitionem alicujus beneficij Ecclesiastici; at cum non declareret, cuius sit quoad hoc dispensare, dicendum est, unius esse Romani Pontificis. Quod si dicas, Episcopus potest dispensare in beneficio simplici cum homicida, & cum irregulari, *cap. ad audientiam 12. de homicid. cap. Henricus 2. ae. lerie. pugn. in duel.* ubi Fagnan. num. 16. imò eriam cum deposito, *cap. Salontane 24. dif. 63.* ergo à fortiori poterit dispensare cum conjugato. Respondetur, dispensationem esse rem exorbitantem à jure communi, adeoque non esse extendendam à cassibus permissis ad non permisso, etiam si permisisti sint graviores; quia que exorbitant à jure communi, non sunt in consequentiam trahenda. Ita optimè respondeat Abbas in *dict. cap. Joannes 7. hoc tit. num. 8.* Quare cum ex stylo Curiae, qui est incapax beneficij, sit etiam incapax pensionis, non nisi ex dispensatione S. Pontificis poterit Clericus conjugatus pensiones adquirere. Et

an si illegitimus , vel alius quicumque inhabilis impetraverit dispensationem ab obtinenda beneficia, eaque impetrata nubat ; an, inquam talis dispensatio ipso jure annulletur; ita ut neque soluto matrimonio prodesse queat impetranti? respondet negativè P. Sanchez, lib. 7. de matrim. disp. 42. num. 8. Q. 9.

33. Quibus ita animadversis , superest , ut objecta pro dubitandi ratione contra primam nostri textus partem diluamus. Et quidem prima dubitandi ratio non obstat; certum enim est , ordinem sacram , & matrimonium jure naturali , & divino non esse opposita, quia ordo sacer non habet intrinsecè annexum votum continentiaz , sed lege positiva tantum ; nam eti congrium, & decens sit, ut Clerici in sacris constituti castè vivant, non tamen ijs jure divino matrimonium est interdictum. Ideoque oiam Sacerdotes veteris testamenti matrimonium contrahebant , ut constat ex lib. Genes. & ex cap. 21. Levit. junct. cap. tenere 4. dist. 31. & hodie Græci non tenentur continere , quia legem Canonicam hac in parte non suscepunt. Quomodo intelligendi sunt textus in contrarium expensi num. 2. Ast in Ecclesia Latina omnes Clerici tacris ordinibus initiati matrimonium contrahere non possunt propter votum castitatis ordini sacro annexum ex precepto Ecclesiaz , cap. un. de voto in 6. & merito quidem ; quia usus conjugij non bene congruit cum ministerio altaris , à quo abesse debet omnis immunditia propter ejus sanctitatem : quamvis enim opus conjugale propter rationem Sacramenti sit cohonestatum, & sanctificatum, ideoque etiam concubitus cum propria uxore castitas vocatur in cap. Nicæna 12. dist. 31. materialiter tamen , & quoad speciem naturæ , convenit cum opere foedo , & immando , ut docet D. Thomas 3. part. quest. 49. art. 1. Ideoque non potest decenter consistere cum ministerio altaris. Et hinc etiam in Veteri Testamento Sacerdotibus interdictus fuit usus conjugij tempore vicis suæ, seu dum in Templo ministrare , & sacrificare debebant : idemque de Sacerdotibus Græcis tradit P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 28. num. 5. cum ergo in nova lege decens sit , ut Sacerdotes continuò ministrent in Ecclesia , & jugiter Deo sacrificium

longe excellentius, & purius offerant, ideo jubentur ab omni commercio carnali, etiam a propria uxore, absinere: illud trax D. Goncal. in presenti, num. 9. Ex qua doctrina patet solutio ad difficultatem expensam ex D. Paulo ad Hebreos, cap. 13. ubi matrimonium honorabile appellat. Nam matrimonium non prohibetur ministris sacraatis, eò quod sanctum non sit, & ut est sacramentum, sed propter illud, quod illi annexum est, copulam videlicet carnalem, quæ animis hominis ad inferiora deprimit, ut minus idoneus sit ad ecclesia meditanda, & tractanda.

34 Ad instantiam deductam ex cap. Presbyterum 16. d. p. 28. respondetur, illum textum non improbare matrimonium Clericis Graecis, sed ipsis tantum poenam imponere, si nuptias contrahant contra alia præcepta legum veluti si contrahant cum consanguinea, aut affine: neque ignorantia illa Clerici illi excusari poterunt, qui docere alios debent, & ab ignorantie tenebris educere, ut in eo textu notat Acuña num. 1. C. 2. Ad textum vero in cap. fin. ead. dist. responsum jam est supra num. 15. Nec obstat prius augmentum ipsius dubitandi rationis deductum ex cap. 6. alias 5. Apostolor. relato in cap. si quis 14. dist. 28. Cui, (omissa solutione Basilij lib. 7. de matrimon. num. 1.) respondetur, quod textus ille debet intelligi de illo tempore primitiae Ecclesie, quo conjugatus poterat ad sacrum ordinem promoveri de licentia uxoris religionem ingredientis, si juvenis fuerit, vel etiam in saeculo remanentis, & votum castitatis emitentis, si senex, & suspecta de incontinentia non si, ut diximus num. 31. Unde in d. cap. si quis 14. nihil de incundo a Sacerdotibus, vel Episcopis commubio agitur, sed quia primis Ecclesiæ temporibus uxorati assumpti fuerunt ad facios ordines, illis præcipitur non usus conjugalis, sed cura, & providentia erga jam ductam uxorem, cui & si dimisæ sœ Sacerdos de alimentis, & alijs ad vitam necessarijs providere tenebatur, ut constat ex Sexta Synod. can. 42. Doctor Graña hic num. 8. consule D. Gonçal. in cap. sane 6. de convers. conjugat. Eodem modo intelligi valet canon. 5. Apostolor. cum eodem Dom. Gonzalez in presenti num. 9. circa fin. Ad authoritatem Pauli ad Timoth. responderetur, quod ibi

ibi Apostolus loquitur tantum , & specialiter de Ecclesia Græca ; siquidem Ex Græcorum legibus cæbatur, ut omnes à pueritia statim uxores ducerent , & cum nullus celebs reperiatur , eò quod omnes feræ conjugati essent , & durum videbatur , virum conjugatum ab uxore removere , merito in illa Græcorum Provincia ob ministrorum egentiam conjugati ad Sacerdotalem dignitatem illo Apostolorum tempore eligebantur. Deinde nam Apostolus dixit, debere esse unius uxoris virum, habentem filios ; non facientem; & ita Apostolus permisit unius uxoris virum , non verò bigamum in Episcopum eligi. Non item obstat textus *in cap. quicunque 3. vers. uxore contentus,* *dicit. 77.* pro eius solutione sciendum est, quod licet in primitiva Ecclesia sacris ordinibus initiatis fuisse prohibitum matrimonium contrahere , *cap. Episcopos 3. cap. eos 6. dicit.* *31.* postea tamen in Concil. Tolet. *i. can. 1.* & Tolet. *3. can. 5.* statutum fuit, ut subdiaconi possent matrimonio ante ordinis iusceptionem contracto uti, quod postea per Concilium Gerundense , quod post Toletanum *i.* celebratum est , derogatum fuit. Quare cum *in dict. cap. quicunque 3.* permittitur subdiacono matrimonio jam contracto uti , dicendum est, procedere eo in tempore , quo subdiaconis usus conjugalis permisus erat. Ita Basilius *lb. 7. de matrim.* *cap. 24. num. 4. ¶ 5.* & D. Gonçal. *in can. 33. Concil.* *Illiber.*

35 Rursus non adversatur textus *in cap. §. illud 35. quæst. 1.* pro cuius intelligentia observandum est, Ecclesiam solum ex suo præcepto statuisse votum continentiae in sacra ordinatione , ita ut iij , qui ordinem sacrum suscipiant , illud emittere tenentur , non expreſe , sed tacite. Cujus Ecclesiastice Constitutionis fit mentio *in cap. nullum 1. cap. De ijs 5. cap. Diaconi 8. dicit. 28. cap. cum olim 7. hoc tit. cap. un. de voto in 6. Extravag. antiqua , Joann. XXII. eod. tit.* Et quamvis Ecclesia non possit quemquam absolutè cogere ad voyendam castitatem , cum sit res meri consilij , *cap. integritas 13. 32. quæst. 1.* potuit tamen in ordine sacro , quem confert , apponere conditiones , & leges justas illi statui convenientes , qualis est , ut ad illum pro-

motus, castitatem servare teneatur. Unde supposira hac Ecclesiae legi, eo ipso, quod quis vult sacris ordinibus initiali, vult per consequens vovere castitatem, sicut vult obligari ad recitandum Officium Divinum, quod similiter est onus sacris ordinibus annexum: P. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 27. num. 10. Cæsar. de Eccles. bierarch. disp. 8. §. 7. P. Suarez tom. 3. de Religion. lib. 9. ex cap. 16. Quo supposito dicendum est, Divum Augustin. in diel. cap. 1. illud continentia consilium Clericis praebentem procedere, antequam Ecclesia præceptum illud imposuisset. Unde apparet, præceptum castitatis non esse juris divini, sed Ecclesiastici tantum; originem tamen ab Apostolis habuisse, ut diximus supra num. 1. Nec etiam obsistit consideratio expensa num. 5. de qua actum est num. 23.

36 Item minimè resistit secunda dubitandi ratio; nam licet verissima sit doctrina, quæ differentiam constituit inter laicos, & prima tonsura initiatos, ut illi beneficia obtinere nequeant, ita vero habiles sint, ut beneficia illis conferre valeant; patitur tamen limitationem in Clerico conjugato, qui licet primâ tonsurâ initiatus existat, vel etiam in minoribus ordinibus constitutus, quoad effectum obtinendi beneficia Ecclesiastica ut laicus, & omnino inhabilis debet reputari, cap. sanè 2. hoc tit. ibi: Nè deinceps Clericus conjugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines admittatur: Excepto enim privilegio fori existentis in cap. 2. de for. comp. & Canonis incipientis: Signis suadente Diabolo 17. quest. 4. in cæteris omnibus hujusmodi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio, cap. un. hoc tit. in 6. ubi Bonifacius VIII. constituit, quod Clerici conjugati Canonis, & fori privilegio gaudeant quoad causas criminaliter, seu civiliter intentatas, tribus tamen concurrentibus conditionibus, nempe quod unicam, & virginem in uxorem duxerint, & quod tonsuram, ac vestes deferant Clericales, quibus quartam addit Concil. Tridentin. Sess. 23. de reform. cap. 6. his verbis: Modò hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent. Verum Clerici conjugati etiam laudatae conditiones exactè servantes non possunt frui, nisi duabus

bus tantum privilegijs fori & Canonis, quoad reliqua autem Clericorum privilegia omnino ut laici reputantur, puta quoad obtainenda Ecclesiastica beneficia, immunitatem à gabellis, inductionibus; muniberis saecularibus, & alijs re-latis à Glossa in dict. cap. un. hoc tit. in 6. verbo: ceteris. Valasc. allegat. 47. ¶ 48. ex privilegio tamen R. Pontificis conjugati possunt beneficium, seu Canonicatum obtainere, & ideo Marchiones de Astorga privilegium Apostolicum habent obtainendi Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Legionensi, & illius Regni Regibus simile privilegium concessum dicitur, & pariter illud habere Comitem Barchinonensem pro Ecclesia illius Civitatis, prout refert Barbos. 3. p. art. de potest. Episc. alleg. 72. num. 75. quo casu licet per se non possint hujusmodi laici munia, quae propria sunt Clericorum, exercere, tamen fractus percipiunt, & curare debent, ut per alios Clericos hujusmodi beneficia ministrentur, ut contingit, quando cum non idoneo ad beneficium dispensatur, cap. 2. de etat. ¶ qualitat. cap. 14. ¶ 35. de elect. in 6. docent Flamin. de resignat. benef. lib. 4. queſt. 2. num. 32. ¶ 38. Garcia de benef. 1. part. cap. 2. num. 30.

37 Neque etiam refragantur textus in contrarium num. 8. expensi, de quibus egimus in praemissis num. 26. Pariter assertioni nostrę non obloquitur difficultas prop. sita cit. num. 8. in fin. Nam licet per matrimonium subsequens non desinat quis esse Clericus; siquidem character semel impressus indelebilis est, juxta Trident. Sess. 7. de Sacram. can. 9. propter eaque Clerici conjugati privilegio fori, & Canonis gaudent, quoad effectum tamen obtainendi Ecclesiastica beneficia, non ut Cletici, sed ut laici omnino reputantur; nam status conjugalis est incompatibilis cum Clericali; non enim in Clericorum conversatione bene concordat cithara cum Psalterio, id est, laicalis conversatio cum Clericali ministerio, ut inquit Innocentius III. in cap. diversis 5. hoc t. t. & explicat ibi Glossa verbo cithara, ideoque Clerici conjugati beneficia antea obtenta amittunt, ut diximus supra num. 25. ¶ seq. Cum quibus elucubrationi huic finem imponimus.

(o)

ELU:

# ELUCUBRATIO

A D

*TEXT. IN CAP. S I Q U I S 4. C A U S . 1 4. Q U A E S T . 4.*  
ex Concilio Martini Papæ , cap. 62.

*Siquis oblitus timorem Domini , & Sanctam Scripturam , qua dicit : pecuniam suam non dedit ad usuram . Post banc cognitionem magni Concilij sceneraverit , & centesimas exigerit , aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæsicerit , aut per diversas species vini , vel frugis , vel cuiuslibet rei , emendo , vel vendendo aliqua incrementa suscepere , de gradu suo dejectus , alienus habeatur a Clero .*

I Ex quibus verbis sequens communiter deducitur assertio : Clericos usuras , aut superabundantiam extengi ab Ecclesiastico gradu dejectus , alienas habetur a clero . Quam probant text. in cap. 1. & per tot. de usur: cap. ad nostram 7. de jurejur. cap. 2. de vita , & honest. cleric. cap. ad nostram 5. de empt. & vend. cap. Illo vos 4. cap. cum contrâ 6. de pignorib. cap. inter 11. de excessib. Prælator. capit. 1. & 2. & usur. in 6. Clem. unic. eod. tit. cap. unic. 15. quæst. 2. Firmatur etiam posterior conclusionis pars ex cap. dist. 46. cap. 1. & per tot. dist. 47. cap. 1. & per tot. caus. 14. q. 4. Ex Concilijs comprobant Concil. Meldentie can. 55. Illiber. an. 20. Arelat. 1. can. 12. Arelat. 2. can. 14. Agathense can. 69. Carthag. 1. can. 13. Carthag. 4. can. 69. alia plura congerit D. Gonçal. in cap. 3. de usur. num. 5. Illustrant ultra Ordinarios Angel. Praeceptor. 2. 2. q. 78. art. 2. Soto lib. 6. de just. & jur. q. 1. art. 2. Lugo eod. tract. tom. 2. disp. 25. sect. 2. D Covarr. lib. 3. var. cap. 1. Gutierr. lib. 2. can. non qq. cap. 18. P. Pirhing. in lib. 5. Decret. tit. de usur. sect. 1. §. 2. Fontalena decis. 210. Mendoza lib. 2. Conc. Illiber. cap. 39.

&

¶ 40. P. Gregor. lib. 2. de usur cap. 1. ¶ 9. Salmaticenses Primarij nostri Doct. Balboa in cap. 1. de jurejurand. num. 6. ¶ 3. seq. ¶ à num. 102. Doct. Graña in cap. 6. eod. tit. Doct. Armenteros in cap. 1. de usur. à num. 22. ¶ in cap. 10. eod. tit. num. 3. ¶ 4. pluresque alij, quoꝝ lata manu refert Barbos. in collect. ad cap. quia 3. de usur.

2 Sed licet hæc nostra conclusio adeo illustrata affulgeat, tamen obnubilari potest sequenti consideratione. Omni jure tam naturali, quam divino, & positivo, usuræ, permisæ sunt: ergo clerici eas, aut superabundantiam exigentes puniri non debent. Quod jure naturali usuræ permittantur, constat ex eo, quod hoc jus diæt, hominum commercia, & Societas conservari, sine quibus Respublica vix servari potest, juxta Cicer. lib. 7. de legibus; sed major pars humani commercij consistit in usuris exigendis, leg. leæta 40. ff. de rebus cred. ergo usuræ juri naturali consonæ sunt. Accedit; nam nil magis naturali rationi congruum est, quam ut qui mercedem recepit, gratificetur benefactori cap. cum in officijs 7. de testam leg. sed ¶ si 25. §. consuluit 11. ff. de petit. bæredit. Osuald. lib. 17. comm. Donel. cap. 2. ergo qui pecuniam mutuavit, justè ob remunerationem usuras exigit. Augetur, & fulcitur eadem dubitandi ratio ex eo, quod volenti, & consentienti non sit injuria, nec dolus ex reg. Scienti 27. de regul. jur. in 6. leg. 1. §. usque adeo 5. ff. de injur. leg. cum donationis 34. Cod. de transact. cum simil; sed debitor mutuum accipiens scit ab illo, usuras esse solvendas, & in hoc consentit, ut suæ polsit subvenire necessitatì, Doct. Balboa, in cap. 1. de jurejur. num. 10. ergo in hoc nulla ei irrogatur injuria ab ipso mutuante, & consequenter iste non erit puniendus, eò quod aliquid ultra formam principalem accipiat. Rursus augetur difficultas ex sequenti ratiocinio: nam usura in mutuo consistit, & hoc in rebus pondere, numero, & mensura consistentibus, leg. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Princ. Inst. quib. mod. re contrab. quare in pecunia mutuata usuram etiam committi, docet D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. & seqq. ex cuius doctrina ita confacio argumentum: nam quoad substantiam non differunt Argentum monetarum, & in vasæ formatum; sed pro usu yaso;

valorum aureorum , & argenteorum quidpiam accipere , & lucrum ex usu eorum capere , licitura est , nam & locari possunt: ergo etiam licebit pro ipsis nummis aureis , & argenteis mutuatis aliquid exigere , & accipere : igitur usura non est secundum se peccatum , nec illam exigens ulla poena erit afficiendus . Augetur insuper idem difficultatis assumptum ex diffcili ad rem textu in leg . 3. §. ult. ff. de ann. legat . ubi haec habentur verba : Si cui certa quantitas legetur , & quod præstetur in singulos annos certum aliquid , velut usuras jussit testator præstari , legatum valet ; sed in usuris hactenus debet valere , quatenus modum probabilem usurarum non excedit . Hæc J. C. Ulpianus , qui palam insinuat posse testatoris ultima voluntate usuras permitti , quod fieri non possit , si usuræ jure naturali essent improbatæ , argum . §. fin . Inst . de jur . nat . gent . & civil .

3 Jure divino , tam veteris legis , quam novæ usuras indistinctè improbatas non esse , probatur ex eo , quia licet Regius Psalmes in Psalm . 18. divinam legem antiquis datam Patribus immaculatam appelleat , eo quod peccata prohibeat in ea tamen permittebantur usuræ : ergo aliquid ultra sortem accipere , non est intrinsecè malum , nec ob id accipiens est puniendus . Antecedens suadetur ex illo Deuter . cap . 23. vers . 19. ibi : Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam , nec fruges , nec quamlibet aliam rem , sed alieno . Et in eodem libro cap . 28. vers . 12. præcipitur populo Iudaico , fœnerabis gentibus multis , & ipse à nullo fœnus accipies . Ex quibus Sacrae Scripturæ locis clare constat , usuras non fuisse indistinctè prohibitas in lege veteri , sed tantum prohibitum fuisse Hebreis , ut inter se ad invicem usuras exercent , non autem ut Gentilibus , & exteris nationibus mutuarent sub usuris . Idque ipsum probatur ex cap . ab illo 12. hoc ead . caus . & quest . ubi D. Ambrosius in lib . de Totia , cap . 15. ita inquit : Ab illo usuram exige , cui merito nocere desideras : cui jure inferuntur arma , huic legitimè indicantur usuræ , quem bello vincere facile non potes . Quæ verba aperte demonstrant , usuram non esse intrinsecè malam ; quia si ab illo , cui nocere justè desideramus , possumus licite usuras exigere : & quem in bello vincere non valemus , faci-

facilius possimus usuris oprimere , non est cur dicamus ,  
usuram , aut superabundantiam exigentem ab Ecclesiastico  
gradu dejiciendum esse , contra quod assertum est in littera  
nostrri textus.

4 Lege gratiae usuras approbatas fuisse liquet , tum  
ex cap. 25. Matth. ubi servo pigro dictum est : Oportuit ergo  
te committere pecuniam meam nummularijs , & veniens re-  
cepissim utique quod meum est cum usura : tum etiam ex cap.  
19. Luca , ibi : Et quare non dedisti pecuniam meam ad men-  
sam , & ego veniens cum usuris utique ex-gisset illam . In  
quibus locis expressè Dominus servum increpat , qui pecu-  
niā sibi commissam non dedit ad usuram ; qui sane non  
reprehenderetur , si usura illicita , aut damnata esset : tum  
denique , quia consilia prætermittere , non obligat ad pecca-  
tum , eō quod licet consilium ad deliberandum excitet , non  
tamen obligat ad sequendum , leg. cum Pater 77. §. mando  
24. ff. de legat. 2. cap. cum olim 7. de arbitr. docent D. Co-  
varr. in cap. quavis pactum 2. part. cap. 2. §. 2. num. 6.  
& 7. vers. secundum , & D. Gonçal. in cap. 52. de elect. num.  
4. sed in cap. 6. Luca inter alia consilia ponit mutuum date  
nihil inde sperantes : ergo accipere aliquid ultra sortem , sci-  
licet usuram , aut superabundantiam , non est peccatum : nec  
ille , qui ita accipit , ulla poena erit afficiendus ; præterim  
cum de natura mutui sit ex charitate , & liberalitate prove-  
nire , quia si ex præcepto teneremur ad mutuandum , potius  
esset actus iustitiae . Confirmatur ex eo ; quod accipere pre-  
mium pro eo , quod quis facere non tenet , non est secun-  
dum se peccatum ; sed non tenetur homo in quocumque  
casu pecuniam alteri mutuare : ergo licitum est ei , aliquan-  
do pro mutuo premium accipere .

5 Jure etiam positivo usuras permitti , facilè pro-  
batur ex eo ; quod usura est , quidquid æstimabile ultra sor-  
tem recipitur , cap. 1. & seqq. caus. 14. q. 3. sed creditori  
licet lucrum aliquod temporale ultra sortem accipere ex  
vi , & causa mutui : ergo non recte in præsenti statuitur Cle-  
sticum usuram , aut superabundantiam exigentem ab Eccle-  
siastico gradu esse dejiciendum . Minor probatur ex cap. insi-  
gnatione 1. de feudis , cap. conquestus 8. de usuris , quibus

in locis mandat Pontifex Alexander III. ut si quis tertam aliquam titulo pignoris detineat, & ex fructibus ejus sorrem recepit, deductis etiam expensis, terram illam debitori, qui illam in pignus dedit, reddat: nisi terra illa de feudo sit Monasterij; quia scilicet res feudalis in pignus data est pro debito domino directo feudi, sive illud feudum pertineat ad Ecclesiam, vel Monasterium, vel ad dominum laicum; non enim dominus directus tenetur fructus ex feudo oppignorato perceptos computare in sortem: ergo licitum est creditori aliquid ultra sortem principalem absque usuræ labe recipere. Cui difficultati, ut respondeant Interpretes, in varias scanduntur sententias, quas retuli, & refutavi in elucubrat. *ad tex. in cap. ad nostram 7. de jurejur. num. 9.* In ejusdem assumptionem accedit decisio *citat. cap. ad nostram 7. de jurejur.* ubi dicitur, eum, qui, datis creditori pignoribus, juraverit quantitatem mutuo datam se soluturum, teneri præcisè ad ejus solutionem, nec posse objicere fructuum ex pignoribus perceptorum compensationem in sortem principalem: ergo creditor fructus ex re pignorata perceptos suos facit absque ulla usuræ labe; alias enim posset debitor compensationem eorum in sortis principali liberacionem objicere.

6 Neque hanc difficultatem diluet, si quis respondeat, quod licet regulariter, quando hinc inde versatur debitum liquidum, sive de quantitate ad quantitatem, sive de specie ad speciem, compensatio fieri possit, *leg. ult. ff. depositi, leg. si convenerit 18. ff. de pignor. att.* tamen, quando intervenit juramentum etiam ejus quantitatis, que certa, & liquida est, compensationem objicere non posse eum, qui se soluturum juravit, quia juramentum præcisè ad solvendum obligat. Ita sane ex eo textu deduxerunt, atque probarunt Hostiensis, Abbas, & alij relati à Dr. Covarr. *in cap. quamvis pactum. p. I. §. 4. a num. 8.* Sed isti haud dubit falluntur; nam verius est debitorem jurantem solvere creditori certam quantitatem tibi mutuo datam sub pignoribus posse absque perjurij poena opponere compensationem fructuum, quos ex pignoribus percepit. Idque primò probatur ex legi *si se 4. §. pen. ff. de re judic.* ubi Ulpianus: *solvisse,*

inquit, accipere debemus, non tantum eum, qui solvit, verum omnem omnino, quia ea obligatione liberatus est; sed is, qui compensat, liberatur, leg. verum & leg. si ambo 10. ff. de compensat. ergo & omnino solvisse intelligitur, atque ita qui solvere juravit, compensare non vetatur. Secundò ex leg. si debitor 4. ff. qui potior. in pignor. hab. ubi traditur, nihil interesse solvat debitor, an compenset. Quod cum ita sit: debitor, qui juravit, se solutum meritò est audiendus, si compensare velit; nam compensationem opponendo solvere censetur, cum nihil (ut jam dixi) inter compensare, & solvere intersit. Tertiò idem comprobatur auctoritate textus in leg. dedisse 76. ff. de verbis. signif. Et in leg. vel permutavit 19. ff. de liber. caus. ubi dedisse intelligendus est, qui compensavit, sicque etiam juramentum adimplevisse intelligendus est per compensationem. Idque ipsum sua detur ex eo, quod licet iuramentum strictè, & in specifica forma sit observandum; nihilominus juramentum de solvendo satis servatur per compensationem, argum. leg. qui heredi 44. Et leg. Mavius 55. ff. de condit. Et demonstr. ubi notatur, conditiones esse adimplendas in forma specifica, nec satis esse, per aequipollens eas servari; & tamen conditione solvendi per compensationem impletur, leg. si peculium 20. S. quod si heredi 2. ff. de statu liber. Quibus, & alijs rationibus D. Covarr. ubi supra, & Fachineus lib. I. contrav. cap. 7. concludunt, eum, qui juravit, se solutum, liberari compensationis objectione, & à perjurio excusari. Idemque sentit Doct. Balboa in dict. cap. ad nostram 7. num. 28.

7. Eidem dubitandi rationi non exiguum robur addit decisio textus in cap. debitores 6. de jurejur. ubi quis juravit, se solutum usuras, tenetur adimplere juramentum, & ad earum solutionem compellendus est: ergo usuras exercere, non est peccatum; alias tale juramentum esset illicitum, neque servandum, cap. si vero 8. cod. titul. Quam difficultatem ut effugiant Interpretes, communiter dicunt, quod etsi debitor simpliciter promittens usuras solvere, ad eas solvendas non teneatur, nec ad id cogi debeat, eò quod promissio usurarum omni jure sit illicita, & iuxita, tamen si

juraverit , se illas solviturum , obligatur ad solvendum , non  
 ex obligatione iustitiae erga hominem , in cuius utilitatem  
 praestitum est juramentum , sed ex virtute Religionis erga  
 Deum , ut , quod juratum est ipsa verum efficiatur , &  
 impleatur , ne nomen Dei in testimonium falsi adducatur ,  
 ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. Verum li-  
 cet hæc communis Interpretum nostrorum solutio verissima  
 sit ; difficilis tamen redditur ; tura ex eo , quia inter simpli-  
 cem loquelandam , seu promissionem , & juramentum quoad  
 Deum nulla est differentia , cap. juramenti 14. 22. quæst. 5.  
 ergo si simplex promissio usurarum non obligat , neque ju-  
 ramentum , sive jurata promissio . Tum etiam , quia jura-  
 mentum sequitur naturam actus , cui adhaeret , cap. quem-  
 admodum 25. de jurejur. cap. 2. de sponsalib. junct. leg. fin.  
 Cod. de nonnumerat. pecun. Si ergo simplex promissio usu-  
 rarum non obligat promittentem ad solvendum , quia est  
 nulla , & irrita , neque juramentum tanquam accessorium  
 obligabit ; quando enim principale , videlicet promissio  
 usurarum est irrita , consequenter etiam ipsum juramentum ,  
 quod ei adjicitur , erit irritum ex cap. 40. de regul. jur. in 6.  
 Deinde eadem dubitandi ratio vires sumit ex decisione tex-  
 tus in cap. 3. de fidejuss. in illis verbis : Præsentium queque  
 auctoritate injungimus , ut si debitum , vel accessiones ille  
 negaverit , consuetudine , quæ est legi contraria , non ob-  
 tante , juramentum calumnia subire cogatur . Ex quibus non  
 obscure deducitur , fidejussorem non solum teneri in sortem  
 principalem , verum & in accessiones , id est , in usuras ; si  
 quidem usura dicitur accessio , leg. frumenti 12. Cod. de  
 usur. leg. fin. in fin. Cod. de jur. dot. Igitur quia usuræ non  
 sunt improbatæ per Sacros Canones . Jure quoque civili usa-  
 ras permittas esse , constat ex leg. socium 60. ff. pro socio ,  
 leg. pro auro 25. leg. eos 26. Cod. de usur. &c ex quampluri-  
 bus alijs compilatis in tit. ff. eod. titul. ergo non recte in  
 præsenti statuitur , Clericum usuras exigentem puniendum  
 esse .

8 Deinde adversus pœnam depositionis ab officio  
 & beneficio Ecclesiastico , quam PP. Concilij imponunt  
 Clerico , qui usuras , aut aliqua incrementa emendo , vel  
vens

vendendo, suscepit, obstat decisio *textus in cap. præterea 7.*  
*de usuris.* Ubi Alexander III. Genuensi Archiepiscopo præcepit, ut paræcianis suis usuras recipere interdicat, qui si parere contemplerint, si Clerici sunt, eos ab officio, & beneficio suspendat: si autem laici fuerint, eos usque ad dignam satisfactionem vinculo excommunicationis adstringat. Ex qua decisione aperte colligitur, Clericum usurarium arbitrio Judicis ad certum usque tempus officio, & beneficio suspendendum esse: minus ergo rectè in nostro textu Clericus deponitur ab officio, & beneficio Ecclesiastico. Neque ab hac difficultate facile quis se expediet, si dicat, Clericum usurarium non statim deponendum esse ab officio, & beneficio, sed priùs monendum esse, ut desistat ab usuris exercendis, & postea si monitus non desistat, sed in eundem lapsus errorem foenerari perseveret, depositioni ab officio, & beneficio puniendum esse juxta nostrum textum sic intelligendum, ut habetur etiam *in cap. Episcopus 1. dist. 47.* ubi ex Canone Apostolor. decernitur, quod Episcopus, Presbyter, aut Diaconus usuras exigens, aut desinat, aut certè deponatur. Idque colligi videtur *ex cap. 1. de usur.* ibi: *Si detestandis usurarum lucris insitiat,* quæ verba utique probant, illum solum Clericum usurarium officij sui periculum pati, qui in eodem crimen contumax, & incorrigibilis fuerit; non vero, qui absque contumacia semel in hoc crimen lapsus fuerit; is enim suspendi tantum ab officio, & beneficio arbitrio Episcopi debet, ut *in dict. cap. præterea 7.* sic accipiendo, & in concordiam redigendo cum nostro textu. Ita Hostiensis *in Summ. num. 10. vers. alia à Jindice. hoc tit. D.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 3. num. 3.* quos refert, & sequitur P. Pirhing. *ad tit. de usur. sect. 6. §. 2. num. 150.*

9 Verum huic interpretationi aperte adversantur verba *citati cap. præterea 7.* ibi: *Qui si parere contemperint.* Ex quibus probari videtur, in eo textu de Clerico usurario contumace, qui monitis Archiepiscopi parere contemnit, sermonem institui, non de eo, qui absque contumacia semel hoc crimen commisit: & tamen, eum sola suspensionis pena ab officio, & beneficio puniri debere, decernitur: igitur etiam si Clericus in hoc crimen relabatur, & detestandis usu-

ratum lucris insistat, ab officio deponendus non est. Rursus eamdem nostri textus partem non parum urget textus *n. cap. Cleric. 2. de vita, O honest. Clericor.* ubi Clericis arma portantibus, & usurarijs excommunicationis poena irrogatur: ergo Clerici usurarij nec suspenduntur, nec ab officio suo depontuntur. Neque verò dici potest cum Glossa *ibi* verbo, *usu- rarij*, cum textum in fine loqui de uirarijs laicis, qui, nisi usuras restituant, excommunicationis censura percelluntur; Clerici autem suspenduntur, *dicit. cap. præterea 7. de iur.* Nam hæc interpretatio manifestè rejicitur; tum ex eo, quod textus expressè de Clericis loquitur: tum quia rubricæ, sub qua jacet, non congruit; in ea enim de vita, & honestitate morum à Clericis servanda sermo est. Tandem decisio nostri textus premitur ex sequenti consideratione. Nam in eo quis puniri debet, in quo deliquit, *c. p. nullus 4. ac temporib. orain. in 6.* ut ita poena respondeat delicto, *leg. respicendum 11. leg. aut facta 16. ff. de penit. leg. Sancimus 22. Cod. eod. titul.* Sed usurarius peccat avaritiae peccato, injustoque pecuniae, vel alieni lucri desideio, ut patet ex *cap. virum 6. cap. bonorum 7. cum seq. dist. 47.* ergo poenis pecuniarijs, non verò suspensione, aut depositione ab officio, & beneficio puniendus erat.

10 Sed his, & alijs dubitandi rationibus minimè refragantibus vera est nostri textus decisio, cuius ut germanum sensum percipianus, & simul veram ejus rationem illustremus, nonnulla observanda sunt. Admonendum itaque est, usuræ nomen juxta communem, & usitatam significationem sumi vel pro lucro usurario, quod ex mutuo provenit, vel pro actione, qua tale lacrum injustè acquiritur, seu pro contractu, in quo mutuum datur cum pacto expresso, vel tacito, aut saltē cum voluntate accipiendi à mutuatario ultra sortem principalem aliquid pretio æstimabile, tanquam debitum ratione ipsis mutui. Unde D. Augustinus in *Psalm. 36.* dixit: *Fænerari esse mutuam pecuniam tuam dare ei, a quo aliquid plus quam dedisti, expectes accipere.* Ex quo intelligitur, usuram tripliciter committi posse, scilicet, vel sola voluntate, & intentione, vel pacto explicito, vel implicito: unde consurgit *usura mentalis, usura formalis, & usuz*

usura palliata. Est autem certum, quascunque usuras, & quovismodo fiant, esse illicitas, & prohibitas omni jure, non solum positivo, & divino, sed etiam jure naturali. Est communis Theologorum, & Canonistarum sententia, ut videre est apud D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 5. De iure divino Veteris Testamenti constat in primis ex Psalm. 14: ubi postquam Propheta Regius dixit: *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo?* respondet; *qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Item Psalm. 54. *Vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate, &c. non deficit a plateis ejus usura, & dolus.* Et Ezechiel. cap. 18. ubi Propheta declarans, qui vere justus dici possit, inter alias conditiones hanc apponit: *Si ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, vita vivet,* ait Dominus, & infra: *Si genuerit filium ad usuram dantem, numquid vivet? non vivet.* Ex novo Testamento passim prohibitio haec fulcitur ex illo satis noto Luca, cap. 6. ubi Christus Dominus expressis verbis dixit: *Bene facite, & mutuum date, nihil inde sperantes, nempè ultra sortem.* Quæ Christi Domini verba continent non modò consilium, ut scilicet mutuum detur ex meta charitate, & nihil inde, nec quidem gratuitum, speretur, sed etiam præceptum prohibitiorum, ne quid ratione, mutuum exigatur tanquam ex justitia debitum. Quo in sensu verba illa intellexit Urbanus III. in cap. consuluit 10. de usur. Et quamvis quibusdam vīsum fuerit, ibidem non probari, usuram jure Evangelio prohibitam esse, cum Christus Dominus potius illis verbis consulat, quam præcipiat: prior tamen sensus ad usuræ prohibitionem, utpote ab Ecclesia, quæ Spiritu Sancto duce Scripturam Sacram interpretatur, receptus omnino tenendus est, atque ita Theologi, & Canonistæ communi consensu existimant usuram jure divino etiam Evangelico vetitam esse.

11 Deinde & si verba illa priora, *mutuum date,* consilium tantum contineant (extra casum necessitatis proximi): at verba posteriora *nihil inde sperantes*, præceptum continent, ut postquam mutuò datum est, nihil amplius exigatur, quam mutuatum est, prout explicat D. Thomas 2. 2. quest. 78. art. 1. ad 4. quemadmodum & verba Psalmi 75.

Vovete, O reddite Deo vestro; explicanda sunt, quoad votum de consilio; quoad impletionem voti, postquam editum est, de præcepto, ideoque Ecclesia saepè sibi assuit, usuram utriusque testamenti pagina detestari, ut in nostro textu, O in cap. quia in omnibus 3. O seq. de usuris, ibi: Crimen usurarum utriusque testamenti pagina condamnari, O reprobari: docent D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 5. vers. iure divino, Gutierr. lib. 2. canon qq. cap. 18. num. 4. O 5. P. Pirhing. ad tit. de usur. sect. 1. §. 2. num. 6. & Dom. Gonçal. in cap. 3. de usur. num. 9. ubi plures refert. Quod etiam Jure Canonico usuræ sint prohibitæ, constat ex Canonibus suprà pro illustratione conclusionis relevantiatis, quibus accedit texius in Clem. un. §. fin. de usur. ubi Clemens V. in Concilio Viennensi decrevit, velut hæreticum esse punieadum illum, qui pertinaciter affirmare præsumperit, exercere usuras non esse peccatum: locorum nihilominus Ordinarijs, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis districtius injungens, ut contra eos, quos de hujusmodi errore diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant. Quare usuras esse illicitas, est de fide, ut ex communi docet Boeticus noster Emin. Card. de Lugo tom. 2. de justit. disp. 25. sect. 2. num. 8. licet aliqui dicant, oppositum non esse hæresim, sed temerarium, periculosum, & erroneum, vel eritori proximum.

12 Jure quoque naturali usuras prohibitæ, & illicitas esse, docent communiter Theologi, & Canonistæ, & probatur ex testimonijs S. Scripturæ, præsertim Veteris Testamenti supra num. 10. allatis, ex quibus SS. Pontifices, & Concilia probant, eas esse contra jus naturæ; alioquin non recte id probarent ex Veteri Testamento, cuius præcepta positiva, scilicet judicia, & ceremonia, quæ non sunt legis naturalis, sublata sunt in novo Testamento, nec amplius post mortem Christi obligant, sed solum moralia, quæ ad Decalogum pertinent: P. Molina tract. 2. ae justit. disp. 104. num. 14. Idem etiam inter alias plures satis probat communis i. la nostrorum ratio; nam mutuans plenum dominium pecuniaæ creditæ, vel alterius rei mutuò datæ transfert

in mutuatarium; mutuum enim ideo dictum est, quod ex  
meo tuum fiat, leg. 2. §. appellata 2. ff. de rebus cred. §. 1.  
Inst. quib. mod. re contrah. obligat. ad hunc velut dominum  
jus utendi, & omne commodum, ac lucrum, tanquam de re  
sua perceptum de jure expectat: unde tunc recipiens usu-  
ram ex te aliena invito domino lucrum capit, quod jure  
naturæ iniquum est, leg. nam hoc natura: 4. ff. de cond. in-  
deb. leg. jure 207. ff. de reg. jur. cap. locupletari 48. cod.  
tit. in 6. & ita creditor ex hic re lucrum aliquod recipere  
non potest, jure naturali hoc vetante, quam rationem tra-  
dunt plures relati a Gutierr. lib. 2. canon qq. cap. 18. num.  
2. D. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 5. Ubi alia ratione  
id manifestum esse, probat; quia illicitum est, ac injustum, ut  
pro eadem re duplex præmium exigatur, vel ut vendatur id,  
quod non est suum: vel enim usuras accipit pro pecunia,  
quam mutuo dedit, vel pro usu illius pecunia: si prius,  
duplex pretium ejus rei accipit, nempe summa sorti prin-  
cipali æqualem, & præterea usuræ fœnum. Si secundum, ven-  
dit rem non suam, cum enim per mutuum transferatur  
dominium rei mutuantæ in mutuatum, consequenter usus  
illius, non vero mutuantis venditur, quod satis iniquum  
esse constat; quando enim taxatur pretium justum alicujus  
rei, hoc ipso estimatur tota res, cum jure illa utendi, ut  
rectè notat D. Thomas 2. 2. quaest. 78. art. 1. Aliud est in  
locatione, in qua dominium rei locatæ penes dantem, seu lo-  
cantem manet, & consequenter etiam periculum pariter, ac  
commodum, ideoque pro usu rei suæ tanquam ad se per-  
tinentis, potest aliquid exigere, & vendere usum rei suæ ad  
tempus. Quibus, & alijs rationibus, hanc sententiam veram  
esse affirmat cum D. Thoma D. Covarr. ubi supra, Doctor  
Balboa in cap. 1. de iurejur. num. 7. P. Pirking. ad titul. de  
usur. sect. 1. §. 2. numer. 7. & 8. Abbas in Rubr. cod. tit.  
num. 2.

<sup>13</sup> Jure autem Civili, quamvis intra certum mo-  
dum, usura permitta esset, leg. placuit 29 ff. de usur. leg.  
eos 26. Cod. eva. tit. jure tamen Authenticarum, nempe in  
Authent. de Ecclesiasticis titulis in princ. ab Imperatore Ius-  
tiniano prohibetur, saltem implicitè: ibi namque præcipit,

disposita in quatuor Concilijs Ecclesiæ Catholicæ, è quibus Nicœna Synodus usuras prohibuit, cap. quoniam 2. disp. 47. vicem legis obtinere, & sicut leges observari: ergo & Justinianus usuram prohibuit. Ita tenet Glos. verbo *multi in cap. quia in omnibus 3. de usur.* Abbas in cap. cum sit generale 8. de foro compet. num. 18. vers. primò tenendo. Tametsi Dom. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 6. vers. ego sane, non in eleganter arbitretur, ac probet, Justinianum nunquam proprijs sanctionibus usuras reprobasse, sed immo eas suis legibus permisisse, ac approbasse; quamvis enim Imperator implicitè usuras improbaverit, ut constat ex d. Auth. explicite tamen eas suis legibus iniquè permisit, & ideo prædictas leges rectè Patres Ecclesiæ improbarunt, cum juri naturali, & divino refragentur, ut constat ex Clem. un. de usur. Fit igitur ex supradictis, usuras omni jure, naturali nempe, di- vino, Pontificio, & Civili esse prohibitas, ut retolavit D. Covarr. ubi supra num. 5. in princ. quod etiam firmant Azor p. 3. lib. 5. de usurra, cap. 2. q. 3. Molina tract. 2. de just. disp. 104. num. 17. Doct. Balboa cit. cap. 1. num. 9. & ju- re nostro Regio Hispaniæ hoc turpe lucrum damnatur in leg. 4. C. 5. tit. 6. lib. 8. nova recop.

14 Deinde admonendum est, adeò strictè detesta- tam esse usuram, ut non possit Pontifex, aliuvè supremus Princeps dispensare, permettere usurarum exercitium, nec quidem prætextu causæ piæ, veluti redimendi captivos, vel alendi pauperes, prout constat ex cap. super eo 4. de usur. ubi assignatur ratio: tum quia nulla dispensatio fieri potest in eo, quod utrinque testamenti pagina detestatum, & pro- hibitum est, sicut sunt prohibitæ usuræ: tum quia non licet pro vita alterius servanda mentiri, cap. ne quis 14. cap. si quis 17. 22. q. 2. ergo multò minus licet, usuras exercere ob utilitatem proximi, quia hoc multò gravius est peccatum, quam mendacium: tum etiam, quia non sunt facienda ma- la, ut inde eveniant bona, iuxta Apost. ad Rom. cap. 3. nec sunt facienda eleemosinæ de fœnore, & usuris, cap. non est 27. caus. 1. q. 1. cap. 1. 14. q. 5. docuerunt Dom. Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 8. & alij, quos laudat, & sequitur Gibalinus de usur. lib. 1. cap. 7. art. 8. consecr. 2. Cæterum ad-

admonendi sumus, quod & si plures Interpretates ex cit. cap. super eo 4. colligant, etiam promittentem solvere pecuniam sub usuris, quamvis ad redemptionem captivorum, eodem usurarum crimen involvi, ut dicitur in fine textus, ibi: *Multò magis prohibendus est quis, nè etiam pro redimenda vita captivi usurarum criminē involvatur;* quia si non reperitentur, qui acciperent pecuniam sub usuris, nullum peccatum usuræ committeretur: ergo accipientes dant causam, ut usuræ exerceantur: & per consequens etiam peccant, nam qui causam damni dat, *damnum dedisse videtur,* cap. de cetero 11. de homicid. cap. fin. de injur. leg. qui occiderit 30. §. in hac 3. cum leg. seq. ff. ad leg. Aquil.

15 Tamen et si mutuare pecuniam sub usuris, semper sit peccatum, & illicitum, etiam sub praetextu operis boni; & illicitum etiam sit, inducere aliquem ad mutuandum sub usuris, qui alias non dedisset pecuniam ad usuras; quia talis causam daret delicto, quomodo intelligi debet dict. cap. super eo 4. Doct. Balboa in cap. 1. de jur. jur. num. 108. in fin. At licitum est, pecuniam sub usuris accipere ab eo, qui jam determinatus, & paratus est non mutuare, nisi sub usuris; modò justa causa petendi adsit, vide licet necessitas, vel utilitas petentis, vel etiam ut alteri egenti succurrat; licet enim cuicunque uti peccato voluntario alterius propter bonum proprium, vel alienum, ut testatur Augustinus relatus in cap. moves 16. 22. quest. 1. ibi: *Ac per hoc qui uititur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, O utitur non ad malam rem, sed ad licitam, O bonam, non peccato ejus se sociat, quo per Daemonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit.* Is autem, qui accipit mutuum sub usuris, petit id, quod sibi utile est, nempe mutuum ab illo, qui, si vellet, posset licite, & sine usuris dare: atque ita hoc non est cooperari peccato usurarij, sed tantum illud permittere, & uti peccato ejus voluntario ad consulendum propriæ, vel alienæ necessitati, & uti jure suo, ut docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. quest. 78. art. 4. Molina tract. 2. de justit. disp. 335. D. Covarr. in cap. quamvis pactum, part. 1. §. 1. num. 10. & alij apud Doct. Balboam ubi supra, num. 10. Idque confirmatur ex cap.

*cap. debitores 6. eod. tit.* ubi qui juravit , se solutum usu-  
ras , tenetur adimplere juramentum : ergo solvere usuras,  
non est peccatum; alias tale juramentum esset illicitum, ne-  
que servandum , *cap. Quintavallis 23. cum alijs. eod. titul.*  
Nec contrarium suadent præallegata verba citati *cap. super*  
*eo 4.* nam ea nequaquam referuntur ad personam mutuata-  
rij , sed mutuantis tantum , quidquid Abbas in eodem textu  
num.4. falsò crediderit, constatque ex eo, quod in illa spe-  
cie quæstio fuit, an creditores sub usuris pecuniam dare pos-  
sent ad redimendos captivos ? Et respondet Pontifex , non  
posse , ea ratione ; nam ultura utriusque testamenti pagina  
reprobata est tanquam iniqua: & sicut pro alterius vita men-  
tiri prohibitum est, multò magis prohibitum celeri debet  
pro redemptione captivorum usuram accipere.

**19** Cæterum contra id , quod dictum est , scilicet  
usuras jure divino , & naturali esse illicitas , ac prohibitas,  
atque ideo non posse S. Pontificem dispensare, obstat gravi-  
ter textus *Deuter. cap. 23. vers. 19.* ibi: *Non fœnerabis fra-*  
*tri tuo ad usuram pecuniam , nec fruges , nec quamlibet aliam*  
*rem , sed alieno : fratri autem tuo absque usura id , quo indi-*  
*get , commodabis :* Frater autem dicebatur ille , qui erat de  
populo , ut patet *Exod. cap. 22.* vel qui est de eadem fide,  
*cap. ad mensam 24. 11. quæst. 3.* Unde colligi videtur, quod  
Judeis licitum sit fœnerari christianis: ergo si eis licet autho-  
ritate veteris Sacrae Paginæ, poterit Pontifex cum eis facile  
dispensare, cum per hoc non diceretur restigari juri divino:  
quoniam per illum textum Deuteronomij credunt aliquai,  
probari , usuram non esse contra jus naturale , ex quo nihil  
juri naturæ contrarium nunquam licuit Judeis. Circa cuius  
sacri textus expositionem mire variant Interpretes. Aliqui  
enim dixerunt , Deum concessisse Judeis terram Gentilium,  
& ideo eis subinde permisisse, usuras ab eisdem exigere tan-  
quam ab hostibus , quorum bona in jus suum venerant; sic-  
que non erga omnes alienigenas , sed tantum contra eos,  
cum quibus bellum justè gerebant: & rationem reddunt;  
quia ab ijs, quorum bona jure bello capi possunt , justæ di-  
cuntur exactiones. In cuius expositionis confirmationem ad-  
ducunt textum ex D. Ambroso jam à nobis num.3. citatum

*in cap. fin. hæc nostra caus. & quest. ibi : Ab illo usuram  
exigere, cui merito nocere desideras; & tradit ibi Gioff. & D.  
Antonius 2. part. Summa, tit. 1. cap. 7. §. 11. Sed hæc ex-  
positio à quamplurimis rejicitur hac ratione; quia terra  
Gentilium non fuerat donata Judæis, nisi utraque ripa Jor-  
danis, quæ centum, & sexaginta milliaribus in longitudine  
& sexaginta in latitudine patet; & tamen usuratum per-  
missio multò se latius dilatabat: impune quippe usuras exi-  
gebant à quibuscumque gentilibus, qui remotissimis Pro-  
vincijs ad illos adventantes commercia cum illis inibant.  
Accedit quod ipso Deuter. cap. 23. vers. 7. præceperat illis  
Deus, ne abominarentur Judæam, vel Ægyptum, populos  
sibi magis alienos, atque graviores; & tamen ab illis licet  
poterant usuras accipere.*

17 Quare hac, & alijs expositionibus omisis, ve-  
riū dicendum est, Judæis minimè licuisse usuram exercere,  
etiam erga alienigenas, sed dissimulatione quadam illam  
permissionem erga extraneos processile ad majus malum ef-  
fugiendum, videlicet nè ob ipsorum avaritiam foenus inter  
se quoque exercearent, & è duobus malis minus malum ipsis  
toleraretur; quemadmodum etiam libellus repudij Judæis  
fuit permisus ad occisionem uxorum ipsorum evitandam,  
Barbos. *in cap. 12. de usur. num. 3.* & similiter meretrices  
ipsis permittebantur ad evitanda adulteria, cum tamen simili  
figura illæ ipsis fuissent vetitæ, dum eod. *cap. vers. 7.* Do-  
minus præcepit, *non erit meretrix de filiabus Israel:* Atque  
hunc sensum communiter approbarunt ex Theologis Ange-  
licus Præceptor 2. 2. quest. 78. art. 1. ubi Cajetanus, Soto  
*lib. 6. de iustit. & jur. art. 1. column. 7. P. Pithing. ad tit.*  
*de usur sett. 5. §. 2. num. 108. in fin.* Ex Canonistis Cardi-  
nal. *in clem. 1. §. ult. de usur. quest. 13.* Ananias *in cap. 1.*  
*eod. tit. column. ult. D. Covari. lib. 3. var. cap. 3. num. 6.*  
D. Goncal. *n cap. 3. de usur. num. 13.* Et huc convenit,  
quod Josephus legis Hæbraicæ scientissimus refert *in lib. 4.*  
*antiquit.* dum ab solute ibi tradit, nulli Judæorum licuisse  
fœnerari neque cibum, neque potum. Similiter & Eusebius  
*liv. 8. de preparat. Evangel. cap. 2. enarrans legis Mosaycæ*  
*præcepta absolute refert, illis fuisse illicitam usuram sub his*

verbis : Non tollas quod non deposuisti : non tangas alienum : non mutues fœnere. Ex quibus apparet , S. Pontificem haud posse Judæis, vel alijs dispensare, ut pro usu pecuniæ licet recipiant pretium , sed ipsos exercere artem usurariam ex quadam prava consuetudine: vel potius , & verius, ex tollerantia , & condonatione quadam Pontificum, atque Principum, quām ex dispensatione : nam condonatio plurimum distat à dispensatione , ut explicat Sotus *loco supra citat.* ubi tradit , errare eos , qui affirmant , Deum cum illis dispensasse. Virium enim usurarum, (ut diximus ) est contra preceptum naturale , quod vetat suscipere pretium pro illa re, quę per se nullius est valoris, qualis est pecunię usus seorsim, & à pecunia separatus: id enim, quod natura vetat, aut prohibet tam intrinsecè malum est, quām homini est, esse rationale , ut inquit Soto , qui addit, præcepta naturalia nec ab ipso Deo esse dispensabilia, quod demonstrat *in lib. 2. quaest. 3.* & nos aliqua diximus in elucubratione *ad cap. 2. de sponsa auor. num. 12. ¶ 18.* Et concludit explicando Deuteronomij locum, scilicet usuram non fuisse laxa licentia illi genti permisam, ut scilicet non fœnerarentur proximis suis, sed alienis: sed quod permisso illa eadem prorsus ratione intelligenda est facta Judæis, qua jus civile modò eamdem christianis permittit, nēmpe ut impunè fieret ad evitanda majora mala, scilicet , latrocinia , quia erant avaritiæ deditissimi. Ad textum D. Ambrosij infra respondēbimus in solutione argumentorum.

18 Supereft ut nunc de poenis jure statutis in usurarios manifestos dispiciamus. Et sane usurarij manifesti , qui palam, & publicè in foro, vel domi fœnus exercent, à communione Eucharistiæ arcentur, quæ poena promiscuè tam Clericis , quām laicis imponitur in Sacris Canonibus , ut in *Can. 16. 21. 37. Concilij Illiber.* & expresse statutum habetur in *Concil. Lateran.* sub Alexandro III. *in cap. Quia in omnibus 3. de usuris.* Nam quia in omnibus ferè locis ita crimen usurarum invaluit , ut multi , (alijs negotijs prætermisssis) quasi licitæ essent, usuras exercebant, non considerantes qualiter crimen illud utriusque Testamenti paginæ condemnatur: ideo statuit *Concilium*, ut usurarij manifesti ad communio-

nionem altaris non admittantur, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam: insuperque decrevit, ut oblationes eorum quisquam non accipiat. Ubi cum dicitur, non esse admittendos ad communionem altaris, id intelligi debet, quod non sint admittendi ad communionem Eucharisticam, prout exponit Innocentius *ibi num. 1.* & sequitur D. Covarr. lib. 3. var. cap. 3. num. 5. quam quam Abbas *ibidem num. 2.* ea verba ita exponat, ut non admittantur in Ecclesia tempore, quo divina officia celebrantur, ut sic confusi facilius resipiscant. Quæ tamen exposito displicuit Cardinali de Lugo *tom. 2. de just. disp. 25. sect. 11.* §. 3. num. 243. tum quia nullo juris testimonio probari potest; tam etiam quia si de hac communione sensissent PP. Concilij, frustra adderent verba illa, accipiant sepulturam, sed nec oblationes; cum jam in praesenti poena hæc comprehendetur.

**19** Deinde usurarij manifesti sunt ipso jure infames, *cap. infames 2.* §. porro *in fin. caus. 3. q. 7.* itaque non possunt sacris ordinibus insigniri, neque ad officia Ecclesiastica promoveti, *cap. infames 17. 6. q. 1. cap. inter dilectos 11. de excessib. Prælator. cap. maritum 2. dist. 33.* Diaz *in pract. crim. canon. cap. 92.* in addit. lit. A D. Covarr. lib. 3. var. cap. 3. num. 2. Barbos, *de potest. Episc. alleg. 43. num. 3.* & si jam Clerici, & ordinibus initiati, aut ad beneficia promoti reperiuntur, tam ab officio, quam à beneficio suspenduntur arbitrio Episcopi, *cap. preterea 7. de usuris,* & si sic moniti non resipuerint, sed in eundem lapsi errorem scenerati perseverent, in totum officio, & beneficio privantur, ut probat noster textus sic intelligendus, junct. *cap. plures 1. de usur. quem textum sic accipit, & in amicitiam redigit cum d. cap. preterea 7.* D. Covarr. lib. 3. var. cap. 3. *num. 3.* P. Pirhing. *ad titul. de usur. sect. 6. §. 2. num. 149. cum seq.* Ex qua doctrina lucem accipit textus in *cap. Episcopus 1. dist. 47.* ubi ex Can. Apostolor. decernitur, quod Episcopus, Presbyter, aut Diaconus usuras exigens, aut definat, aut deponatur. Qui textus, dum depositionis poenam adversus Clericum usurarium decernit, accipiendus est de eo Clerico, qui detestandis usurarum lucris insistit, & proterva

con-

contumacia in illud crimen sc̄epius relabitur , ut constat ex illis verbis : *Aut desinat , aut deponatur.* Eadem interpretatione accipiendus est textus *in cap. quam multi 2. ead. dist.* ubi ex Niceno Concilio *cap. 17.* statuitur , quod si quis Clericus inventus fuerit usuras accipere , aut exigere , vel aliquid tale turpis lucri gratia excogitare , à Clero dejiciatur , & alienus existat à regula . Eadem fidelia dealbandus etiam est textus *in cap. si quis clericorum 5. dist. 47.* ubi Concilium Iliberitanum *cap. 20.* statuit , quod si quis Clericotum detectus fūerit usuras accipere , degradetur , & abstineat . Eadem depositionis poena Clerico usuratio irrogatur in *cap. clerici 1. cap. Canonum 3. cum seqq. bac caus. & quest.*

20 Nec his contrarius est textus *in cap. Clerici 2. de vita, & honest. clericor.* ubi Clericis arma portantibus , & usuratijs excommunicationis poena irrogatur : ergo Clerici usurarij , nec suspenduntur , nec ab officio suo deponuntur . Cui difficultati (omissa solutione Glossæ ibi verbo *usurarij* , quam rejeci *sprā num. 9.* verius respondendum est , eum textum accipiendum esse de usuratijs Clericis , qui primò suspenduntur *juxta cit. cap. præterea 7. de usur.* & contumacia crescente excommunicantur *juxta d. cap. clerici 2.* & si contumacia crescente pergant in hoc foenore exercendo , ab officio , & beneficio dejiciuntur *juxta nostrum textum* , & similes *num. anteced.* adductos . Is enim ordo servandus est in usuratijs Clericis puniendis *argum. cap. forte 11. 23. q. 4.* ibi : *Coerce, corripe, excommunicate, degrada.* Nam nec laici usurarij statim excommunicantur , sed prius incipiendum est à poena Lateranensis Concil. de qua *in cap. quia in omnibus 3. de usur.* ubi D. Gonçal. *in ejus not. num. 2. & 3.* *& in d. cap. præterea 7. num. 2.* Sed contra supradicta gravis insurgit , & urgens admodum difficultas *ex cap. plures 1. de usuris* , ex quo constat , Turonensis Concilij Constitutione sanctam esse depositionis ab officio , & beneficio poenam adversus Clericos , qui detestandis usurarum lucris insistunt , ibi : *Quia si post hujusmodi constitutum in clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, Ecclesiastici officij periculum patiatur;* ergo minus recte in nostro textu Concilium Martini Papæ jactatur , se auctorem , & conditorum

rem hujus poenæ fuisse, quæ Clericis ab officio, & beneficio depositionem irrogat. Sed respondeatur in Turonensi Concilio depositionis poenam contra clericum usurarium, qui usuram commisit, eo quod fructus ex possessione pignori accepta pro pecunia credita perceptos in fortē non computat principalem, noviter sanctam esse. Nam licet hujusmodi poena clericis, qui alia usuratum genera patabant, vetustiori jure constituta fuisset, ut constat ex nostro textu, & alijs relatis num. 19. tamen hoc genus usuræ supradicto Concilio damnatum, & reprobatum fuit, gratia condemnandi morem ejus temporis hominum, qui existimabant usuram non esse, ex possessione pignori accepta fructus percipere, & lucrari: unde cum hoc crimen Concilio Turonensi damnetur, depositionis poena, quæ ei adharet, merito illi tribuitur.

21 Præhabitis his, quæ ad intelligentiam nostri textus, allorumque iurium viam aperiunt, apparet jam, quam rectè in nostro capite ex Concilio Martini Papæ juxta ius naturale, divinum, & positivum statuitur, usurarios manifestos, qui obliti timorem Dei, & Sanctam Scripturam, detestabile ac turpe usuræ lucrum querunt, esse à Clero ejiciendos, & alienos à gradu Ecclesiastico habendos; nam cum usurarij manifesti præbeant scandalum populo, & manifesta peccata, non occultâ, sed publicâ correctione puniri debent ad vitandum scandalum, cap. si peccaverit 19. 2. quæst. 1. cap. ego 42. de consecrat. dist. 2. cap. 1. de pœnit. & remiss. Concil. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 8. ideo manifesti usurarij, qui detestandis usurarum lucris insistunt, ab officio, & beneficio deponuntur, ac alijs etiam poenis afficiuntur tam laici, quam Clerici, quas retulimus, supra num. 18. cum seq.

22 Unde jam non obstat dubitandi ratio supra num. 2. expensa; nam etsi commercia juri naturali consonant, tamen id procedit in commercijs, & negotiationibus licitis, non vero in illicitis, & omni jure improbatis, ut sunt contractus usurarij. Nec interest, quod jure naturali teneamus ad remunerationem beneficij accepti ex leg. sed etsi 25. §. consuluit 11. ff. de petit. hered. nam alio modo possumus repandere gratias, aut remunerationem, quam usuris.

promissis , & solutis . Non item obstat primum augmentum  
 ipsius dubitandi rationis ; licet enim verum sit , ei , qui om-  
 nino liberè consentit , nullam fieri injuriam , neque dolum ,  
 ideoque si mutuarius ex mera liberalitate , & gratitudine  
 pro beneficio accepto aliquid ultra sortem dat , mutuans  
 nihil tenetur restituere . At volenti , & consentienti non sim-  
 pliciter , & cum plena libertate , sed coacte , & invitè fit in-  
 juria , si ab eo aliquid accipiatur , & non adsit aliis titulus ,  
 ex quo id debeatur : sicut in prælenti , nam dans usuras , non  
 est simpliciter volens , sed necessitate coactus eas solvit , quia  
 creditor sine usura mutuum dare non vult ; adeoque voluntate  
 mixta involuntario solvit , ut docet D. Thom. 2. 2. q.  
 78. art. 1. ad 3. Molina tract. 2. de just. disp. 304. num. 11.  
 Præterquamquod hic non consideratur voluntas , & consen-  
 sus solventis usuras , sed potius transgressio legis divinæ , &  
 naturalis , quæ prohibet usuras , ideoque promissio de illis  
 solvendis facta est nulla , leg. non dubium 5. Cod. de legib.  
 seu inefficax , quia usuræ solutæ , tanquam indebitæ repeti  
 possunt , & dum lex prohibet usuras , prohibet etiam eas re-  
 cipi à sponte solvente , quia is , qui solvit , non peccat sed  
 qui recepit , ut docuimus *suprà num. 14.* Nec etiam adver-  
 satur secundum augmentum ex leg. 3. S. ult. ff. de ann. legat.  
 Cui ut respondeant Interpretes , existimant , hodie legatum ,  
 de quo in eo textu , nullum esse quoad usuras : & eam annuam  
 quantitatem in sortem principale in legati esse imputandam ;  
 quia sicut in contractibus usura licite constitui non potest ,  
 ita nec in testamentis . Sed contrarium tenendum est , quia  
 in ea specie usura dici non potest illa annua quantitas , cum  
 ea non recipiatur causa mutui , sed ex voluntate testatoris :  
 ex qua , & poena justè recipi potest ob non solutum ab hære-  
 de legatum , ut tenent plures , quos refert , & sequitur D.  
 Covarr. 3. var. cap. 1. num. 9. Nec tandem refragatur ulti-  
 mum augmentum ; multum enim interest inter pecuniam sig-  
 natam mutuatam , & vala mutuata ; quia pecunia utendo  
 consumitur , non item vala , quamvis argentea , quæ post  
 usum remanent , & restitui possunt in eadem specie , sive in-  
 dividuo : ast pecunia , cum habeat cert. m. estimationem ,  
 leg. 3. ff. de in lit. jurand. non cadit in eam singularis affe-  
 ctio ,

tio, nec debet in eadem specie, vel individuo reddi, sed in eadem quantitate: nisi & numeri tanum ad ostentationem, vel ut loco pignoris ponatur, sine consumptione, tunc enim dominium non transfertur in accipientem, sed solum usus conceditur, pro quo aliquid accipi potest. Itaque licet principalis usus pecuniae vendi, & locari non possit, bene tamen potest secundarius, remanente eodem corpore pecuniae in individuo.

23 Ad secundum argumentum desumptum ex cap. 23. Deuteron. vers. 19. in illis verbis: *Non fenerabis fratrem tuum, sed alieno.* Respondetur, ibi solum permissas esse Israe-litis usuras erga extraneos, non tanquam licitas, sed quia non punitae fuerunt ad majus malum vitandum, ne scilicet Judæi à se invicem usuras acciperent, propter avaritiam, cui dediti erant, ut tradit D. Thomas cit. quest. 78. art. 1. ad 2. Vel quia Deus permisit Judæis, ut usuras acciperent à gentilibus, tanquam ab hostibus, quos licet in bello justo spoliare bonis suis, adeoque id non est accipere luctum ex mutuo, sed occasione mutui exigere quod aiunde debitum est argum. *textus in cap. 1. in fin. de usur.* Et juxta hanc interpretationem accipiendus est textus in cap. fin. b. *caus.* O quest. ubi D. Ambrosius asserit, usuras justè exigi ab ijs, quorum bona jure belli capi possunt; nam intelligendus est, quoties accipitur usura, & retinetur in quam compensacionem ab hoste injusto illati, vel quando ab hoste possessa sunt ipsius mutuantis, aut ad eum pertinent, ut eum multis recte explicat D. Gonçal. in cap. 3. de usur. num. 13. Vel denique, quia Deus dedit Judæis dominium, & licentiam hac ratione spoliandi exterios, sicut dedit eis licentiam spoliandi Ægyptios, ut constat, ex cap. 3. Exod. cap. dicit D. minus 12. 14. quest. 5. ubi dicitur, Populum Hæbraicum Dei authoritate absque furti obligatione yasa aurea, & argentea ab Ægyptiis abstulisse. Nec obstat cap. 28. Deuteron. vers. 10. in ipsis verbis: *Fenerabis gentibus mutis,* quia foenerari ibi accipitur pro dare mutuo, non autem pro dare mutuum sub usuris, juxta illud Ecclesiast. cap. 29. ibi: *Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius,* ubi verbum fenerare sumitur pro mutuare: ob idque nihil aliud

Deus illic significavit , quām affluentiam bonorum , quam  
populo illi pollicebatur.

24 Neque etiam adversantur anthonitates D. Mat.  
thæi, & Lucæ relatae *suprà num. 4.* nam intelligi debent me-  
taphorice de usura spiritualium bonorum , vel virtutum ; &  
licet sit plurimum similitudinis , est etiam dissimilitudinis  
multum : dominus enim mutuat nobis spiritualia charismata ,  
eo quod gratis , & sine ullo præcio nostro mutuat ; vult ta-  
men , ut usu nostro , & officijs veluti semina jacta in nobis  
per ejus favorem , roremque cœlestem colamus , & multipli-  
catos fructus terræ more feramus : & quia hoc cedit in ejus  
gloriam , appellat usuras suas : utilitas tamen , & cumulus  
præmiorum nobis acrescit , quasi nos nostra fœnora facia-  
mus. Di crimen autem stat in hoc , quod pecunia temporalis  
consumitur usu , & inde fit vitiosa usura , dona verò spiritua-  
lia usu crescunt , ob idque eorum usura apud Deum com-  
mendatur. Quinimò etsi in sensu naturali , vel rerum natu-  
ralium parabola illa acciperetur , facile responderi posset ,  
ibi sermonem esse dedando ad mensam , id est , licitam ne-  
gotiationem , quæ aliquando appellatur usura , in qua domi-  
nium pecuniæ manet penes negotiantem , & tam lucrum ex  
ea perceptum , quām periculum ad eundem expectat , ut  
exposuit Molina *dict. disp. 304. num. 18. in fin.* Ad illud ,  
quod dicebamus ex cap. 6. Lucæ . , quod ibi inter consilia  
ponitur mutuum dare : & quod non sit peccatum , consilia  
pretermittere , satisfecimus *suprà num. 12.*

25 Similiter assertioni nostræ non obsistit text. *in*  
*cap. 1. de feud.* cui , omisssis varijs solutionibus , quas *suprà*  
*num. 6.* rejecimus , & omissa alia , quam tradit D. Covarr.  
*3. var. cap. 1. num. 4.* verissimè respondendum est , in spe-  
cie illius textus ideo fructus ex te pignorata perceptos in  
sortem à creditore non computari , quia feudum ex sui na-  
tura propter obsequium , seu servitium conceditur , & sive  
plures , sive pauciores ex eo Vassallus percipiat , ad servitia  
adstringitur , ex quo feudum acceptavit , quorum servitio  
rum merces sunt fructus illi , adeo ut cessante servitio prop-  
ter impotentiam feudatarij , seu ob aliam causam , feudum  
omnino cesseret , quia cessante causa cessat effectus , argum.  
text.

text. in cap. cum cessante 60. de appellat. quapropter cum durante pignore Vasallus ab onere obsequij praestandi immunitus habeatur , recte dominus fructus percipit, nec eos in sortem computare tenetur , quia non ratione lucri , aut dilatae solutionis, sed ratione cessantis obsequij ipsi acquiruntur absque aliqua usuræ labo : ita docuerant Leotharius de usur. quest. 14. num. 5. Arias de Mesa lib. 3. var. cap 46. num. 32. Doct. Balboa in cap. cum Bertholdus 14. de re jud. num. 50. & in cap. ad nostram 7. de jur. jur. num. 31. vindendus etiam est D. Samaniego in tract. Acad. de reb. Eccl. per Princip. temporal. non disp. sect. 2. num. 19. & P. Piching. in lib. 5. Decret. tit. de usur. sect. 4. §. 2. num. 90. & 3. seqq.

26 Majorem difficultatem continet textus in cap. ad nostram 7. de jur. jur. ubi dicitur , eum , qui, datis creditori pignoribus , juraverit quantitatem mutuo datam se soluturum , teneri præcisè ad ejus solutionem , nec posse objicere fructum ex pignoribus perceptorum computationem in sortem principalem : ergo creditor fructus ex re pignorata perceptos suos facit absque ulla usuræ labo ; alias enim posset debitor compensationem eorum in sortis principalis liberationem objicere. Verum respondendum est, in illius textus specie nullum esse usuræ periculum ; siquidem ex eo non deducitur, posse creditorem fructus rei pignoratae incrari absque eo , quod eos in sortem computet principalem: neque in eo ullam reperitur verbum, ex quo excludatur compensatio. Quod ut ostendam , dico ; quod in dict. cap. ad nostram 7. datae fuerunt pignori possessiones , & rei dictum jura ; juraruntque debitores , donec solvissent mutuam pecuniam , nullam molestiam , vel gravamen inferre creditori : postea debitores , propria autoritate ipsas possessiones pignoratas , & redditus subtraxerunt , in quo atque fecerunt contra juramentum; nam molestiam , & gravamen facit debitor pignus traditum creditoris subtrahendo: & licet dominus sit, hoc non permittitur, imo factum committit , & posselsio avocatur à creditore juxta jura in leg. in actione 19. §. qui rem 5. leg. cum es 20. ff. de fart. D. Anaya lib. 2. obser. cap. 9. D. Rettus ad leg. Attin. num. 37. unde nil mi-

rum quod Pontifex jubeat possessiones restitui creditori, ibi : *Eos Ecclesiastica censura cogatis, ut haec restituant: debitores vero, ut prius se excusarent à restitutione, forsan allegarunt coram Archiepiscopo, creditores fructus ultra sortem velle percipere ob quod credens usuram inesse, quæ verè non erat, Archiepiscopus creditorem excommunicationis vinculo adstrinxit; sed quia de possessionibus illis, & redditibus nondum plenè sortem deductis expensis receperat, ut litera ait, injustè creditorem excommunicatum ab Archiepiscopo, justè Pontifex absolvendum jubet, concludens facta prius possessionum restitutione creditori ex ratione superiori, quidquid intra sortem ex fructibus receperit creditor, debere cum sorte computari, quod probant verba illa: Qui quid, deductis expensis, ultra sortem recepisse constiterit, hoc restituat debitoribus; si enim restituit creditor solum, quod ultra sortem accepit: ergo quod intra sortem ex fructibus possessionum percepit, computatur, & compensatur cum forte principali, & consequenter probat manifestè textus ille debitum juratum posse compensari.*

27 Neque hanc interpretationem evertunt verba illa: *Dones ei pecunia persolveratur; & postea: cum pecuniam, sicut jurarunt, persolverint, quæ exprimere videntur, pecuniam realiter fuisse numeratam creditori, & consequenter exclusam fuisse compensationem. Nam respondeo, hæc verba accipienda juxta effectum, & non juxta modum, hoc est, de solutione effectiva, & cum in hoc sensu nihil intersit, an quis solverit, vel compensaverit, leg. 4. ff. qui potiss. in pignor. leg. 4. Cod. de compensat. cum vulg. ideo sine mysterio hic vocibis uritur Pontifex, ut recte in hoc præcindunt P. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 37. Molina tom. 2. de just. disp. 560. ex num. 13. & Doct. Balboa in dict. cap. ad nostram 7. num. 30. in fin. Deinde etsi materialiter accipientur prædicta verba, nil ex his contra traditam interpretationem infertur; nam jura, seu redditus annui, & vectigalia quantitatem liquidam efficiunt, & posita estimatione fructuum possessionum, jam totum est quantitas materialis, & consequenter pecunia dicitur realiter soluta;* ad-

modum quo licet in actionibus realibus non admittatur compensatio, quia est de quantitate ad res, tamen postquam devenit ad rerum estimationem procedit utique compensatione, quia jam totum est quantitas, juxta text. *in leg. fructus 7. §. ob donationes 5. leg. rei 15. §. baredi 1. ff. solut. matr. docet doctissimus noster Altamiranus lib. 2. qq. Scavol. in leg. 22. de compensat. num. 4. Castillo 4. controlo. cap. 40. num. 106. ergo similiter in dict. cap. 7. posita fructuum estimatione non datur impedimentum ex parte rei ad compensationem. Colligitur aperte (ni fallor) haec interpretatione ex litera rectus; nam ait Pontifex: *cum autem ei pecuniam, sicut jurarunt, persolverint; vos ipsi non ad restituendum quidquid, deductis expensis ultra sortem recepisse constitert, inducere studeatis;* in quibus verbis jubet Pontifex restituiri quod est ultra sortem, & à contrariò non restitui, sed compensari, quod est intra sortem: Si ergo verba *pecuniam persolverint* acciperentur de pecunia realiter numerata, dupliciter creditor debitum consequeretur, uno modo per realēm numerationem pecuniae, & alio per receptionem valoris fructuum intra sortem, cum solum jubeatur restituere ultra sortem perceptos: ergo ut evitemus hoc absurdum, dicendum necessariò est, Pontificem non fasile loquutum de materiali, sed de formalī effectiva solutione per compensationem fructuum cum sorte Quid ergo novi in hac celeberrimā decisione nos contulerimus, doctus solum perpendet.*

**28** Non etiam obstat argumentum deductum *ex cap. debitores 6. de jure juri.* Nam hujus textus ratio in priori ejus parte provenit ex prohibitione usurarum, quam à jure naturali, divino, & Ecclesiastico provenire probabimus supra à num. 10. Cum ergo usurarum promissio omni jure sit inusta, & irrita, & iustitia commutativa non permittat, ut debitor, seu mutuatarius plus reddere cogatur, quam accepit à creditore, vel mutuante, ut ex communi docet Layman lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 6. sequitur, quod per talem promissionem, vel contractum usurarium nulla obligatio, nec naturalis, quidē acquiratur pacienti de usuris sibi soldatis, *cap. cum tu 5. cap. tua 9. de usur.* adeoque non obligatur

debitor ad illas solvendas , neque ad id compelli potest, ut docet Alexander III. in priori parte illius textus. In secunda vero parte statuit, quod si debitor praedictam promissionem juramento firmavit, debet eam adimplere, videlicet non ex obligatione justitiae erga hominem, in cuius utilitate etiam praesertim est juramentum, sed ex virtute Religionis erga Deum ut , quod juratum est , re ipsa verum efficiatur, ne nomen Dei in testimonium falsi adducatur , ut docet D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. nam juramentum omne, quod non vergit in dispendium salutis aeternae, vel in alterius praejudicium, servari debet , cap. quanto 18. cap. cum contingat 28. de jurejur. cap. quamvis pactum 2. de pact. in 6. at juramentum de solvendis usuris non vergit in detrimentum animae, nec in praejudicium proximi, quia nulla turpitudine versatur ex parte promittentiis, & accipientis mutuum sub usuris ob causam necessitatissimam tradit D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. in corp. ubi ait , quod ex juramento homini facto duplex obligatio oriri potest , una homini ratione promissionis ipsi factae , & ex hac parte juramentum per injuriam extortum non obligat : altera vero Deo in testem adducto, & ex hac parte obligat jurantem reddere Deum testem veracem implendo promissionem: ergo ex vi hujus juramenti, quod ex parte solventis nullum peccatum, nullamve turpitudinem continet, obligatur debitor ad solvendas usuras, ob reverentiam divini Numinis in testem adducti , ut docet Abbas in cap. 1. de jurejur. num. 3. ibique D. Balboa n. 106.

29 Nec huic doctrinæ adversatur , quod supra num. 7. dicebamus, videlicet quod si simplex promissio usurarum non obligat promittentem ad solvendum, quia nulla, & inefficax est , neque juramentum tanquam accessorium obligavit ; hoc enim sequitur naturam principalis, reg. accessorium 42. de regul. jur. in 6. Nam huic difficultati in primis respondetur, accessorum tunc sequi principalis naturam, quando in principali, & accessorio eadem reperitur ratio, scilicet vero quando diversa est ratio inter utrumque, ut in specie cit. cap. debitores 6. nam per promissionem usurarum, quæ est velut principale , acquiritur obligatio homini, scilicet creditori mutuum sub usuris danti, que irrita est propter

prohibitionem legis irritantis talem promissionem ob extorquentis turpitudinem, quæ non invenitur in ordine ad Deum, respectu cuius solius id juramentum obligat ob reverentiam Divini Numinis, ut docent P. Sanchez lib. 3. Moral. cap. II. num. 12. Doct. Balboa in cap. si vero 8. de jur. jur. num. 30. Deinde respondetur cum D. Covarr. in capit. quamvis p. 2. §. 3. vers. tertio, num. 2. quod in hoc casu non datur principalis obligatio orta ex promissione, cui juramentum accedit; neque enim hoc apponitur ad confirmandam promissionem, sed juramentum est hic principale, & per se stans obligans jurantem, ut quod juravit, verum efficiat, ac impleat, ne Deus in testimoniu falsitatis sit adductus.

30 At contra hanc doctrinam insurgit aliquis ex vulgari juris traditione, qua docemur, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur leg. qui occidit 30. §. in hac quoque 3. ff. ad leg. Aquil. leg. nihil 15. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. cum add. suprà num. 14. in fin. Quamvis ergo debitor non peccet usuras promittendo, peccabit tamen solvendo, cum det causam turpitudini creditoris: ergo adhuc virtute juramenti non tenebitur ad solutionem usurarum. Cui difficultati respondeo, vulgarem illam traditionem, *qui causam damni dat, damnum dedisse videtur*, verissimam quidem esse, ubi causa damni proxima est, & necessaria, ut in juribus in argumento adductis: secus vero si quis damni causam non proximam, & necessariam, sed remotam dederit, haec autem non dicitur causa, sed occasio, ut inquit textus in cap. solitae 6. de major. Et obea. Quod discrimen inter causam, & occasionem peccati eo exemplo declarant Canonici Juris Interpretes. Nam lex Pontifícia beneficium viventis occupare prohibuit, & illud promittere, cap. I. cap. nulla 2. cum alijs de concess. prahend. ideoque beneficij vacaturi promissionem votum captandæ mortis alienæ præbere, receptum est, ut vulgo traditur in dict. cap. nulla 2. Hoc vero non causam proximam peccandi, id est, desiderandi mortem proximi, sed saltem remotam occasionem præbere videtur, quam arcere intendit lex Canonica propter animi sinceritatem in acquirendis spiritualibus necessariam; ideoque Ecclesia, Dignitati, Communitati, & Collegio viventis beneficium

cium justè uniti permittitur, cap. cum ven. set 9. de restit. spoliator. cap. consultationibus 4. de donat. Idcirco si existentes in Ecclesia, dignitate , aut communitate mortem beneficiarij desideraverint quamvis lex dederit occasionem desiderandi mortem illius, non tamen causam proximam præbet, cū hæc solum sit parva cupiditas, & desiderantium ambitio: lex enim solum consulere voluit utilitati Ecclesie, aut communilitatis, D. Gonçal. in dict. cap. nulla 2. num. 13. Eodem modo is, qui pecuniam sub usuris jurejurando promisit, propriæ necessitatí consulere vult, atque ideo non causam, sed occasionem peccandi usurario præstat, adeoque lex Pontificia non curat de peccato recipientis usuram ex debitoris causa, quia non est proxima, & immediata ex ipsius actus natura. Enim verò juramentum de solvendis usuris præstari, & servari potest sine peccato: unde datur necessitas adimplendi propter juramenti religionem , quam sibi imposuit obligationem, ut propriæ subveniret necessitatí, atque ideo quamvis ipse solvere debeat, non verò tenetur creditor recipere: quod si receperit, malitia suæ , non solutioni debitoris imputandum est, ut recte notant D. Covarr. in 4. de sponsal. p. 2. cap. 7. §. 7. num. 17. Soto lib. 6. de justit. & jur. art. 3.

31 Similiter nihil obstat , quod D. Chrysostomus ait: inter juramentum, & simplicem locutionem , seu promissionem quoad Deum nullam esse differentiam, cap. juramenti 14. 22.q. 5. Hoc siquidem duntaxat procedit quoad obligationem. Quemadmodum enim quispiam promissum eum juramento ferri obnoxius est : ita & sine juramento factam pollicitationem præstare tenetur. Et sicuti in juramento, nullam, convenit , esse perfidiam : ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium ; quia utroque calu peccatum committitur, ut liquet ex dict. cap. juramenti 14. Ceterum neutiquam sententia Chrysostomi locum habet quoad violationem. Etenim quoad hanc dispar est ratio juramenti, & simplicis promissionis, aut assertionis ; quandoquidem gravius peccat , qui juramentum, promissi nemvè juratam violat, quam qui simplicem violat promissionem, vel mendacium simplex dixerit : ac proinde graviori poena prius delictum, quam posterius vindicatur. Hujusque delictuminis

ratio evidens est ob divinum testimonium, quod vel contemnitur, vel falsæ assertioni adjicitur, ut latè docet D. Co-varr. in cap. *quamvis pactum.* 1. p. §. 2. num. 1. P. Pirhing. ad tit. *de jurejurand.* sect. 1. §. 7. num. 65. Deinde quoad effectum obligationis, & rationem obligantem magnum etiam datur discriben inter juramentum, & simplicem promissionem; nam ut efficax sit promissio, tam ex parte creditoris, quam debitoris turrido debet abesse; in juramento tamen, ut ejus obligatio sit efficax, sufficit, ex parte debitoris licitam esse promissionem, licet ex parte creditoris illucita sit, cum juramentum homini praestitum servari debeat, quotiescumque sine dispendio salutis æternæ, adeoque sine peccato (intellige ex parte jurantis) servari potest, *cap. quamvis 2. de paci. in 6:* quare mirum non est, si juramentum vallet de solvendis usuris, cum tamen usurarum promissio non valeat; nam suam à te ipso obligationem jusjurandum habet, & is, qui promisit usuras te solvendum, simul asseruit, verum esse, quod promisit: quocirca verum cum facere oportet, quod Sacramento firmavit.

32 Præterea nihil obest textus *in cap. 3. de fidejus.* in contrarium ponderatus supra num. 7. Nam respondeatur, verum esse fidejussorem ample, sive in omnem causam, & eventum acceptum Jure Civili teneri, etiam in usuris, & accessiones, nempe in interessu, seu damnum, & lucrum celsans, in defectum debitoris, si in culpabili mora solvendi fuerit, *leg. quaro 54. ff. letati leg. si quis 56. §. si nummos 2. ff. de fidejuss. leg. fidejussor. 10. Cod. eod. tit.* alias vero non tenetur, si nimiri fidejussit simpliciter pro certa summa, vel solùm pro summa capitali, non pro censibus, aut usuris, Cujac. lib. 3. ad African. *in leg. centum 8 ff. de eo, quod cert. loc.* & ibi Donell. Vinnius lib. 2. select. cap. 10. In prædicto textu certum est, fidejussorem acceptum fuisse in omnem causam, non tamen illum accipias de usuris, quæ jure Pontificio, nec in contractibus bonæ fidei ex mora veniunt, sed de poena principali obligationi adjecta, & similibus accessionibus, quas fidejussor in defectum debitoris præstare debet, & ab eo exigi possunt, etiam secundum jus Canonicum: unde infra ait Pontifex, *debitum, vel accessiones, numquam*

tamen dixit usuras, quæ hoc jure regulariter semper improbantur: atque ita docent Leothard. *de usur.* *quest.* I. num. 2. D. Gonçal. *in cap. 3.* *eod. tit. num. fin.* P. Pirhing. *ad titul.* *de fidejuss.* §. 3. num. 20. Nec tandem contra eamdem partem obstant juris Cæsarei testimonia *cit. num. 7.* relata, ubi usuræ permittebantur. Nam etsi nonnulli DD. dicant, *Jure Civili* esse quidem permissas usuras, quia hoc crimen non punit ad evitanda majora peccata, non verò esse approbatas tanquam licitas, ut tenet D. Gonçal. ubi nuper, *num. 13. in fin.* Contrarium tamen satis apertè colligitur *ex leg. eos 26.* & 2. seqq. *Cod. de usur.* & ex alijs compilatis *in ff. eod. tit.* Verum omnes istæ leges Civiles permittentes, & approbantes usuras contra jus divinum, & naturale, correctæ, & abrogatae sunt per jus Canonicum, ut constat *ex Clem. un. de usur.* cui omnes Principes, & Magistratus Christianos obedire oportet, cum usuræ contineant peccatum, Doct. Balboa *in cap. 1. de jurejur.* *num. 9.* Summus autem Pontifex plenam habet potestatem, etiam super laicos, in ijs, quæ salutem animarum, finemque supernaturalem concernunt, D. Covarr. *lib. 3. var. cap. 1. num. 6.* junctis à nobis latè traditis in elucubratione *ad text. in cap. novit 13. de judicio per tot.*

33. Similiter non obstant dubitandi rationes contra secundam partem nostræ assertionis *ex cap. præterea 7. de usur.* quem textum explicui *supra num. 14.* & ad instantiam deductam ex illis ipsius textus verbis: *Qui si parere contempserint, respondeo,* hæc verba non probare Clericum contumacem in crimine usuræ extitisse, sed tantum Clericum post admonitionem Episcopi omnibus factam, nè usuras exigent, crimen hoc commisisse, usurarum autem crimen adversus interdictionem Episcopi commissum non efficit Clericum in eodem delicto contumacem, & incorrigibilem argumento eorum, quæ notantur *in cap. cum non ab homine 10. de judic.* docet D. Covarr. *lib. 3. var. cap. 3. num. 3.* Et ad considerationem deductam *ex cap. 1. de usur.* satisfecimus *dicit. num. 16.* ubi etiam egi de altera difficultate, quam *num. 10.* expendimus *ex cap. Clerici 2. de vit.* & *bonest.* Clericor. qui textus, dum contra Clericum arma portant;

tantem , & usurarium excommunicationem decernit , non probat ad hanc censuram ferendam copulativè requiri armorum delationem , & usuræ crimen ; nam ibi dictio illa copulativa , cum inter æque principalia ponatur, pro alternativa accipitur , leg. i. ff. de bis , qui notant, infam. ita ut sensus sit , alterum eorum sufficere , vel delationem armorum , vel usuræ crimen , ut Clericus, contumacia exigente , posset excommunicationis poena puniri : docet Doct. Graña in eo text. num. 14. Nec tandem obstat , quod ultimo loco expendebamus , videlicet in præsenti casu imponendam esse poenam pecuniariam , seu temporalem; nam etsi in præsenti Clerici usurati j tantum priventur officio , & beneficio , tamen non negatur , alijs poenis Ecclesiasticis , & sæcularibus eos afficiendos esse , de quibus agit D. Gonçal. in cap. præterea 7 de usuris. Cum quibus finem imponimus elucubrationi huic in laudem SS. Tryados , Virginisque Mariæ ab omni labore semper immunis.



# ELUCUBRATIO

A D

TEXT. IN CAP. ACCEPISTI 2. DE SPONSA DUOR.

Ex Burchardo lib. XIX.

*'Accepisti illam uxorem, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia numquam potest tibi fieri legitima: O XL. dies in pane, O aqua, quod earenam vocant, cum VII. sequentibus annis peneiteas.*

**I**X quibus verbis sequens ab Interpretibus deducitur assertio: *Contrahens matrimonium vivente prima uxore, relicta secunda, cum priore cohabitare debet, O publicè in Ecclesia penitentiam agere.* Quam conclusionem probant textus in cap. licet. 3. cap. fin. hoc est. cap. cum haberet 5. de eo, qui duxit in matrim. cap. gaudemus 8. de divorcijs, cap. de conjugali 50. 27. quest. 2. cap. an non 19. 24. quest. 3. cap. de Benedicto 5. 32. q. 1. cap. secularis 1. 33. q. 2. cap. cum per b. licetum 1. cum 4. seqq. 34. q. 1. cap. videtur 2. 35. q. 6. Ex Concilijs firmant Concilium Millevitan. cap. 17. Concil. African. cap. 69. Ille berrit. can. 8. Concil. Trident. de matrim. seff. 24. can. 2. Ex Jure Civili comprobant textus in leg. 1. §. fin. leg. quid ergo 13. §. si quis 1. ff. de bis, qui not. infam. leg. 2. Cod. de incest. nupt. leg. cum qui 18. Cod. ad leg. ful. de adulter. Illustrant ultra congestos iusta præsenti à D. Gonçal. P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 80. D. Covarr. in 4. decretal. part. 2. cap. 7. §. 3. Layman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 6. Basilius de matrim. lib. 7. cap. 49. P. Pithing. ad titul. de sponsal. sect. 5. §. 1. per 40t. Bellarmin. tom. 2. controv. lib. un. de matrim. cap. 10. Mendoza lib. 2. Concilij Ille berr. in canon. 10. P. Faber. lib. 3. semet. cap. 21. Villadiego

*in leg. 2. tit. 6. lib. 3. fori. Matienço in leg. 5. tit. 1. lib. 5.*  
*Recopil. glof. 1. quibus accedit Sapientissimus Primarius*  
*noster Doct. Balboa in relect. ad text. in cap. 8. de divorc.*  
*ubi plura, & plures refert.*

2 Sed licet haec nostra assertio adeo illustrata af-  
 fulgeat, tamen obnubilari potest sequentibus dubitandi ra-  
 tionibus, quarum prima sic in forma procedit. Quoties quis  
 facit quod omni jure facere permittritur, nulla poena affici  
 potest; sed qui vivente prima uxore, cum secunda matri-  
 monium contrahit, facit quod jure permittitur; siquidem  
 polygania seu pluralitas uxorum simul, eodemque tempore,  
 omni jure tam naturali, & divino, quam positivo permissa est;  
 ergo contrahenti matrimonium cum secunda, vivente prima  
 uxore, nulla poenitentia imponi valet. Major est certa; minor  
 vero, in qua est difficultas, probatur, & quidem quod attinet ad  
 ius naturale, & divinum, uxorum pluralitate permissam fuisse,  
 expresse constat ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum  
 Marich. cap. 47. relato à Gratiano in cap. objiciuntur 7. 32.  
 quæst. 4. ubi excusat Patriarchas, & Sanctum virum Jacob,  
 qui quatuor simul duxerit uxores propter consuetudinem,  
 ut indicant verba illa: *Quando mos erat, crimen non erat.*  
 Unde Josephus lib. 17. antiquit. cap. 1. afferit, Hebreis  
 more majorum licitum fuisse plures simul habere uxores, si-  
 quidem Abraham habuit Sarum, Agar, & Cethuram, Ge-  
 nes. cap. 16. & 25. Jacob Liam, Rachelem, Balam, &  
 Zelpham, Genes. cap. 29. & 30. David plures etiam habuit  
 uxores, ut constat ex lib. 2. Regum, cap. 3. & 20. & idem  
 de Helcana Samuelis patre scriptum est lib. 1. Regum,  
 cap. 1. neque ipsis Sancti Patres peccaverunt, immo eis san-  
 ctum, & laudabile fuisse, docet D. Augustinus lib. de bono  
 conjugii. cap. 13. immo & D. Thomas in 4. dist. 33. quæst. 1.  
 art. 1. consuetudinem polygamiam excusare tentatur; atqui  
 consuetudo neque jus divinum, neque naturale derogare  
 potest, sed positivum tantum cap. fin. de consuet. ubi con-  
 muniter docent Canonistæ: ergo polygamia nec naturali  
 jure, nec divino prohibita est. Sic etiam idem Augustinus  
 in lib. de virginibus scribit, antiquis patribus non fuisse pec-  
 catum, quod pluribus foeminis etergentur, quia id non re-  
 pugnat.

pugnabat juri naturali , cum non lasciviendi causa id facerent, nec contra morem , nec contra præceptum, quia nulla lege id erat prohibitum.

3 Neque huic difficultati satisfacies , si cum non nullis ex Interpretibus Sacrae Scripturæ respondeas, Patriarchas unicum tantum habuisse uxorem , cæteras vero fuisse concubinas, idque significare verba illa apud Joann. cap. 8. *Nos ex fornicatione non sumus nati* ; quasi diceret , non descendimus ex Agar Abrahæ concubina, sed ex ejus legitima uxore Sara. Id quod ex eo confirmari videtur nam in Scripturis passim appellantur concubinæ mulieres illæ , quæ Patriarchis præter uxorem adhærebant , ut scriptum est Gen. cap. 25. ibi : *Dedit Abram cuncta , quæ posse derat , Isaac filijs autem concubinarum largitus est munera.* Unde Leo Papa ad Rust. Narbonens. cap. 4. docet , concubinam non esse veram uxorem, ita ut si quis habens concubinam, uxorem ducat, non censeatur duplicare conjugium , & ponit exemplum de Sara, & Agar, intelligens, Agar non fuisse Abrahæ veram conjugem. Verum hæc evasio falsitatis convincitur; tum quia vere non concubinæ, sed uxores erant Patriarcharum , ut latè docet D. Covarr. in 4. p. 1. cap. 4. in princ. num. 8. nam ut rectè considerat doctus Lipomanus in catena super Genes. & Exod. cap. 22. concubinæ non illegitimæ , & fornicariæ, sed uxores minus solemnies dicebantur, quarum generationi neque hereditas, neque æqualis honor , neque Sacerdotium, aut primogenitura debebatur, sed tantum munera quædam dabantur; quasi solum differente uxor, & concubina in animi destinatione ex mente J. Consulti in leg. concubinam q. ff. de concub. Eodemque loquendi modo apud J. Consultos hujusmodi concubinæ injustè dicebantur uxores, id est, ductæ sine solemnitate legali , juxta difficultem alias textum sic intelligendum in leg. si uxor 13. ff. ad leg. Jul. de adulter. ut ægrecie considerat Cujacius lib. 6. obser. cap. 16. Tum etiam, quia absurdum est dicere, Patriarchas toro foerè vitæ tempore peccasse concubinas publicè retinèrent; alt blasphemum esset dicere, Deum esse adulterij authorem. Sic etiam & Paulus ad Galatas cap. 4. scribit, illos duos filios, quos habuit Abraham, significasse duo testamenta, aut duos

duos populos , & sicut Abraham habuit alterum filium ex Sara libera, alterum ex ancilla Agar, ita & Dominus duos habuit populos, alterum ex Sinagoga serva, alterum ex Ecclesia libera. Significavit enim Agar Sinagogam, Sara vero Ecclesiam ; atqui Sinagoga non fuit adulterina conjunctione Deo copulata, sed legitima: ergo & Agar non fuit adultera concubina , sed legitima conjux ; alias enim non esset vera significatio illa , quam consideravit Apostolus.

4 Neque superiori evasioni favent verba illa Joan. cit. cap. 8. *Nos ex fornicatione non sumus nati* ; nam de fornicatione spirituali debet intelligi, quae idolatria est, ut indicant sequentia verba *sed unum patrem habemus Deum*: quasi diceret, nos non descendimus ex Idolatriis, sed ex Patriarchis unum Deum colentibus. Appellantur enim Idolatria fornicatio spiritualis, nam per eam anima demonibus subjicitur, quasi prostituta, ut ostendunt Ezechielis verba cap. 10. qui dum nefandas idolatriæ superstitiones refert, quibus contaminatus est Israel, sic ait: *Habes fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transuenti, ut ejus fieres, & adificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, ad omnem caput viae adificasti signum prostitutionis tuae, & multiplicasti omnes fornicationes tuas*. Minus fayet locus Genes. cap. 25. ubi aliud uxor, aliud concubina significare videntur ; nam in Scriptura etiam veræ, & legitimæ uxores aliquando dicuntur concubinæ , & ipsæ concubinæ dicuntur uxores ; unde Genes. cap. 16. Agar uxor dicitur, & cap. 21. dicitur Cethura uxor, & paulo post utraque appellatur concubina: cō quod apud Hebreos duo uxorum genera fuerint; aliquæ enim ducebantur non solum ad procreandos liberos, sed etiam ad societatem omnium bonorum, & totius domus gubernationem, & haec dicebantur uxores, ac propriæ matres familiæ , earumque filij tantum parentum erant haeredes; alias vero ducebantur privatim , nullisque intercedentibus instrumentis dotalibus ad solum finem suscipiendi liberos, non autem ad effectum admittendi eas ad societatem, & dominus gubernationem, ac iste vocabantur concubinæ, & in hoc sensu multoties in Scripturis Sanctis dicitur, veteres Patriarchas

chas plures habuisse concubinas, ut testatur Eminent. Card. Bellarmin. tom. 3. de Sacram. matrim. lib. 1. cap. 11. per tot. & P. Pithing. in lib. 5. decretal. tit. de sponsalib. sect. 5. §. 1. num. 129. in fin. concluditur ergo ex dictis, polygamiam neque jure naturali, neque divino prohibitam esse. si quidem Patriarchis licitum fuit plures simul, & eodem tempore habere uxores, contra quod à nobis assertum est in superiori nostri textus conclusione.

5 Hoc idem difficultatis assumptum firmatur ex eruditissimo Cajetano in comment. ad cap. 10. Marci, ubi Christus Dominus sic ait: *Quicumque dimiscerit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam;* non enim ait absolute, & simpliciter, adulterium esse, sed respectu uxoris injustè dimissæ: sentit ergo, (ait Cajetanus) non esse adulterium, vivente prima, aliam ducere. Sic etiam idem Cajetanus super caput 19. Matth. explicans illa Evangelij verba: *Quicumque dimiscerit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœcatur, afferit, uxore existente adultera, impunè, & licetè posse maritum aliam ducere.* Idemque tenet Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ, ubi refert, Originem tract. 2. super Matth. dicentem, quosdam Episcopos sui temporis permisisse uxoribus propter virorum adulteria ad secundas nuptias transire. Ex quibus tunc sic certi atque indubitate juris est, per adulterium viri, aut uxoris non dissolvi matrimonij vinculum, juxta illud Christi Domini apud Matth. cap. 19. *Quos Deus conjinxit, homo non separat;* atqui juxta Cajetanum, quinimò juxta præallegata Marci, & Matthæi verba, propter adulterium potest quis dimittere uxorem suam, & aliam impunè, & licetè ducere: ergo contrahenti matrimonium cum secunda, vivente prima uxore, non rectè in nostro textu poenitentia imponitur.

6 Id quod insuper fulcitur ex Gregorio III. epist. 4. ad Bonifac. relato in cap. quod proposuisti 18. 32. quest. 7. ubi cum quereretur à Pontifice, quid faciendum viro esset, cuius uxor infirmitate correpta non poterat reddere debitum, concedit Pontifex, ut aliam ducat; prioris tamen curam non abjiciat; at Gregorius eam dispensationem cede-

cedere non potuisset , si iuri naturali , aut divino repugnat : ergo quia polygamia , hoc est pluralitas uxorum iure naturali , & divino permitta est . Idque ipsum suadetur ex eo ; nam durum , & irrationabile est , quam plures , qui solum sub ipso iure naturali vixerunt , peccasse , & damnatos fuisse , eò quod simul , & eodem tempore plures duxissent uxores ; arduum enim dicebat Durandus *in 4. sent. dist. 33. quest. 1.* quod qui solum lege naturali vivebant , in eam peccassent ; atque nonnullis legitur nationibus , quod plures uxores uno eodemque tempore duxerint , uti de Indis testatur Cicero *lib. 5. Tusculanar. qq. de Ægyptijs Diodorus Syculus lib. 2. historiæ* : Medosque plures duxisse uxores tradit Alex. ab Alex. *lib. 1. dier. gen. cap. 24.* Similiter & Partos , de quibus scripsit Justinus historicus *lib. 41.* uxores dulcedine variae libidinis plures duxisse : de Germanis idem observat Cæsar *lib. 1. de bello gallic. de Lacedemonijs , & Atheniensibus, Syculis , & Peonis idem etiam ostendunt Tiraquel. in leg. 7. connub. num. 16.* & Gellius *lib. 5. noct. atticar. cap. 24.* ex quibus omnibus clare depromitur , licet tam esse polygamiam , hoc est pluralitatem uxorum : minus ergo recte ea tam acriter damnatur in nostro textu . Nec obstat ait Durandus , quod ex pluralitate uxorum evenire possit discordia pacis , & tranquilitatis impeditiva ; quia hoc non est per se , sed per accidens , & ex mulierum potius malitia : unde non concludere rationem vitandæ discordiarum , firmiter tenet , eò quod , cum aliunde proveniat , scilicet ex malitia , juri naturali non repugnat .

*7* Jure etiam positivo polygamiam permittam esse , probatur ex diffcili Ambrosij testimonio *in cap. uxor. à viro 17. 32. quest. 7.* quod est ex comment. illius *1. ad Corinth. cap. 7.* ubi illi , qui ob adulterium dimittit uxorem , nuptias permittrit ; inquit enim : *Non permittitur mulieri ut nubat , si virum suum causa fornicationis dimiserit , aut apostatae , aut si impellente lascivia , usum querat uxoris inverteat* quia inferior non omnino hac lege utitur , qua potior ; *si tamen apostat vir , aut usum querat uxoris inverteat* nec alij potest nubere mulier , nec reverti ad illum . Et virum uxorem non dimittat , subauditur autem excepta fornicatio-

blonis causa, & ideo non subjectit dicens, sicut de muliere, quod si discesserit, manere sic, quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier; caput enim mulieris vir est. Hancenius Ambrosius. Ex cuius verbis non obscurè probatur, posse maritum uxorem adulteram dimittere, & alij nubere. Neque huic difficultati satisfacies, si dicas, quod, cum per adulterium uxoris matrimonium quoad vinculum dissolvatur, nilmirum quod maritus possit, superstite prima conjugie, ad secundas nuptias transire, ut colligi videtur ex Matth. cap. 19. ubi Christus Dominus dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ergo propter fornicationem potest quis dimittere uxorem suam, & aliam ducere, adeoque per illam dissolvitur matrimonium. Verum hæc responsio falsitatis convincitur, tum ex Matth. cap. 5. ubi habetur: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quæ ultima verba indicant, adhuc postquam relicta est adultera, remanere vinculum matrimonij; adulterare enim est alterius torum violare, cap. lex 2. §. cum ergo 36. quest. 1. non autem potest dici violari, si non durat vinculum; quia quod nullum est, non dicitur dissolvi, vel violari, cap. ad dissolendum 13. de despans. impub. Si ergo dicitur, dimissam adulterare: igitur dimissa adhuc matrimonio vincitur. Tum etiam ex Marc. cap. 10. Lucæ cap. 16. & expressius ex Apostol. 1. ad Corinth. cap. 7. illis verbis: *His, qui matrimonio conjuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari*; ubi Apostolus jubet, reconciliari viro suo, innuens, adhuc post dimissionem virum proprium, id est, maritum adulteræ remanere. Nec contrarium probant Matth. verba cit. cap. 19. quia ibi Christus solum loquitur de dimissione uxoris quoad torum, & cohabitationem, non autem de dimissione quoad vinculum, P. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 2. num. 3.

8 Rursus eadem dubitandi ratione vires accipit ex decisione textus in cap. si qua 6. 31. quest. 1. qui de-  
sump-

sumptus est ex Concilio apud Vermerias, ubi dicitur, quod  
 si mulier cum alijs conspeditavit, seu consiliata sit in mortem  
 mariti sui, & ipse se defendendo, aliquem illorum occidit,  
 potest vir ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam  
 ducere: mulier autem sine spe conjugij manere, & poeniten-  
 tiā agere debet. Id ipsum constat ex cap. quadam 19. 32.  
 quest. 7. ibi: *Quedam cum fratre viri sui dormivit: decre-  
 tum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur: illi vero,  
 cuius uxor stuprata est, licita conjugia non negentur.* Et ex  
 Concilio Triburieſi in cap. siquis 24. ead. caus. & quest.  
 ibi: *Siquis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium  
 potest pervenire: sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere,  
 si se continere non potest.* Quibus accedunt textus in cap. qui-  
 dam 31. cap. siquis 32. 27. q. 2. ubi ex eodem Triburiensi  
 Concilio legitur: *Siquis sponsam filij sui oppresserit, &  
 putes filius ejus eam auferit, pater postmodum non habeat  
 uxorem, nec mulier virum. Filius, qui patris facimus igno-  
 ravit, aliam accipiat.* Quæ omnia iura manifeste probant,  
 licitum esse conjugi innocentι, adultera dimissa, aliam in  
 uxorem ducere, præcisa interim nocenti nubendi spe: ergo  
 quia pluralitas uxorum simul ductarum Jure Canonico pro-  
 hibita non est. Id quod confirmatur ex Concil. Arelatens. 1.  
 sub Sylvestro can. 10. ibi: *De his, qui conjuges suas in adul-  
 terio apprehendunt, & ijdem sunt adolescentes fideles, &  
 prohibentur nuberes placuit ut in quantum potest, consilium  
 eis detur, ne viventibus suis licet adulteris, alias accipient.*  
 Ecce ubi conjugibus innocentibus consilium tantum datur,  
 nē nubant: non ergo videtur esse prohibitum, ut dimisso  
 illo turpi uxorū contubernio, honestas alterius nuptias pos-  
 sint justè contrahere. Denique decisio nostri textus valde  
 difficilis redditur ex leg. communis 7. §. idem 8. ff. comm.  
 divid. in illis verbis: *Ergo et si duo ventres, idem erit dicen-  
 dum.* Ex quibus deducitur, posse dari casum, in quo quis  
 decedat cum duabus uxoribus legitimis simul prægnantibus:  
 ergo polygamia non est omni jure prohibita.

9. Et hæc sunt fundamenta, quibus nostram catho-  
 licam assertionem nervosè impugnare conantur Hæretici.  
 Constat enim, Lutherum, Calvinum, Anabaptistasque in

eam manifestam hæresim incidisse, ut absolute affirment, cuicunque licitum esse duas, pluteis simul matrimonio habere copulas uxores, quanvis alij, hunc faisse Adamitarum errorem, existiment, ut refert Eneas Sylvius lib. sing. de Origin. Bohemor. imò, quod mirandum est, ex Catholice etiam nonnulli assertunt, pluralitatem uxorum non esse juri naturali contrariam, p̄cipue Durandas in 4 sent. diff. 33. quæst. 1. num. 9. & Abulensis super cap. 19. Matth. & in lib. 1. Reg. cap. 8. quæst. 25. Sed miror valde, Cajetanum alias apprimè doctum, & acutissimi ingenij virum, qui etsi in hujusmodi non sit lapsus hæresim manifestam Lutherij, ait tamen 1. ad Corinth. cap. 3. explicans illa verba: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Et Marc. cap. 10. explicans illa verba: Quidcumque dimiserit uxorem, legem de unitate uxoris non esse scriptam, neque implicitè, neque explicitè in tota Scriptura, nec in libris Canonicis ullibi reperiiri, & eam esse communem Theologorum sententiam. Sed utrumque falsum esse, nè dicam erroneum, salva Cajetani autoritate, assertete non dubito.

10 Movetur Cajeranus fundamentis *suprà num. 2.* ¶ 5. expensis. Sed, ijs parvi habitis, tenendum est, polygamiam omni jure, & naturali, & divino esse prohibitam, scriptamque esse legē de unitate uxoris in libris Canonicis. Pro cuius intelligentia sciendum est, pluralitatem virorum respectu unius uxoris, sive matrimonium unius foeminæ cum pluribus viris simul initum esse contra primævam institutionem matrimonij, & jure naturæ invalidum. Quod quidem merito ab omnibus receptum est sine controversia. Et ratio est: quia hæc vitorum pluralitas manifestè repugnat primatio fīt matrimonij, nempè generationi proliis; nam si vagans esset concubitus, generatio impeditetur, vel saltem incerta esset proles ex commixtione plurium virorum. Deinde adversatur etiam fīi secundario matrimonij, nimirum tranquillæ cohabitationi, & paci conjugum; ubi enim multa capita sunt unius corporis, nempè multi viri in eadem familiâ, innumera rixæ excitabuntur. Quare licet commode unus dominus plures possit habere servos, nullus servus duobus dominis potest commode servire, ut scriptum est Matth.

*cap. 6. Quibus, & alijs rationibus hanc doctrinam comprobat Augustinus lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 12. & lib. de bon. conjugat. cap. 17. sic enim considerat, sœpè cum Sanctis Patribus veteris testamenti dispensatum fuisse, ut plures simul haberent uxores, nunquam tamen in Scriptura legitur permisum uni mulieri, ut plures simul haberet viros, ut eleganter explicat D. Thomas in 4. dist. 33. quest. 1. art. 1. ad 7. quem communiter sequuntur Theologi.*

11 Ut ergo jam evidenter probem, contra Lutherum, & Anabaptistas polygamiam, seu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus simul initum esse contra primævam ejus institutionem, & jure naturæ nullum, argumentor sic. Vir, qui cum secunda contrahit, vivente prima, verè non contrahit: ergo nec matrimonium contrahit. Pater consequentia; nata matrimonium verè contractus est. Antecedens verò probatur; nam ille, qui cum secunda contrahit, vivente prima, nihil ei tradit:imò nec mulier ei sui corporis potestatem tradit, nisi propter æqualem accepti corporis traditionem, ut docet Apostolus 1. ad Chorintb. cap. 7. ibi: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;* vir ergo non habet in mulierem potestatem, nec mulier in virum, nisi ratione hujus mutuæ donationis, ex qua manifestè oritur contractus, do, ut des, tunc sic: vir, qui cum secunda contrahit, vivente prima, nihil ei tradit: ergo inter hos nullus est contractus. Probatur antecedens; nam vir iste, quando contraxit cum prima, ei omnem sui corporis potestatem tradidit, & apud se nihil liberum relinuit: nihil ergo tradere potuit secundæ uxori, & consequenter non potest esse contractus, qui in mutua corporum traditione consitit. Nec audiendi sunt, qui dicunt, virum primæ uxori non tradere integrum sui corporis potestatem, sed partem apud se retinere; hoc enim aperte repugnat nuper relatis Apostoli verbis, quæ ex Sactorum Patrum sententia nihil aliud significant, quam quod neque viro, neque mulieri corpus suum alteri tradere liceat: præcipue si consideremus, attenta Apostoli mente, quod si vir aliquam

partem sibi retinēret, ut eam secundā uxori trāderet, neque cum prima, neque cum secunda matrimonium contraheret, siquidem nulli earum æqualem fecit corporis traditionem; consequenterque contractus esset injustus, & iniquus, quasi non servata, æqualitate, quæ inter contrahentes ex naturæ præcepto servari debuit: Id enim denotant Pauli verba 1. ad Thesalonicens. cap. 4. sic scribens: Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem, quoniam vindex est Dominus. Quæ verba etiam ad conjugium referuntur. Verbum enim supergrediatur, secundum Anselmi explicacionem, nihil aliud significat, quam plus accipere, quam dare: vir ergo, qui non tantam potestatem sui corporis tradit, quantum accepit ab uxore, aperte supergreditur uxorem in matrimoniali contractu.

12 Neque huic doctrinæ obstat, quod sicut licet uxori in totum suo juri cedere, consentiendo, ut vir Religione profiteamur, cap. sanè 6. cum alijs de convers. conjug. licebit etiam attento jure naturæ sibi in parte præjudicare, consentiendo, ut aliæ simul uxores habeant potestatem in corpus viri sui, legitimo cum illis celebrato matrimonio. Nam respondetur, verum esse, uxorem, sicut & quemlibet alium, juri suo renunciare posse; cæterum hoc procedit, quando nulla alia ratio prohibitionis adest præter proprium præjudicium, veluti in debiti conjugalis non petitione; secus tamen quando aliunde oritur prohibitio, ut in casu, de quo loquimur. Plures enim habere uxores illicitum est, non solum ob injuriam uxori illatam, sed etiam, & quidem principaliter, quia est contra dictamen rationis, & contra finem secundarium matrimonij, imo & repugnat matrimonij naturæ, & essentiæ. Sed objicies: si hæc pluralitas uxorum repugnaret essentiæ matrimonij, non posset Deus in ea dispensare, cuius contrarium infra dicemus. Sed repondeo, posse virum ex divina dispensatione tradere sui corporis potestatem uxori ( salva manente matrimonij essentia ) non omnino insolidum, & ita ut simpliciter uni mulieri tradatur, quin possit alteri tradi ad similis generationis actus; sed sufficere ad veritatem matrimonij tradere corpus suum, quantum satis est, ad liberorum procreationem. Quomodo intelligi possunt

supra

supra relata Apostoli verba: *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, ut ostendat, virum eatus non habere corporis sui potestatein, quatenus eam tradit uxori.* Vei possunt intelligi ita ut loquatur Paulus habito respectu ad legem Evangelicam, & divinam, antiqua dispensatione cessaante, in qua est mutua, & æqualis traditio utriusque insolendum: quod non ita esset, si Deus dispensasset, sicut in Veteri Testamento dispensavit, ut recte respondet P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 80. num. 16.

13 Ut ergo hæc omnia melius declararentur, observanda est differentia inter juris naturalis præcepta: quædam enim sunt prima principia, quæ per se nota appellantur à Philosophis, suntque omnino immutabilia, & apud omnes omnino servanda, ut ex Cicerone lib. 3. de Republ. pulchre notat Lactantius lib. 6. de vero cult. Dei, cap. 8 & demonstrando probat Doctor Angel. inter omnes tum Ethnicos, tum Catholicos Philosophos haud dubie Princeps, 1. 2. quest. 94. art. 2. qualia sunt prima præcepta naturalia, v.g. bonum amandum, malum fugiendum, & alia similia per se nota; sic enim præcepta decalogi prima dicuntur legis naturalis præcepta, quæ certissimam, ac penitus inviolabilem certitudinis regulam continent, ideoque in eis nulla potest habere locum dispensatio. Sunt vero alia naturæ præcepta, quæ non dicuntur de primis principijs, per se notis, sed secundariò tantum per legitimos sylogismos ex principijs naturæ inferuntur, quæ licet rectitudinis regulam continent; non tamen ita inviolabilem, ut ab ipso naturæ auctore propter alias circumstantias mutari non valeant; quæ proinde variabilia quodammodo sunt: ideoque mirum non est, si apud diversas gentes diversimodè observentur, ut notat Diedro lib. 2. de libertat. Christian. cap. 2. & plura quidem circa polygamiam apud diversas gentes usu populi recepta refert Tiraquel. in leg. 7. connub. a num. 20.

14 Deinde observandum etiam est, matrimonium triplicem habere finem. Primus est procreatio prolis, & educatio liberorum, princip. instit. de jure natur. Secundus est operum, quæ in vita sunt, necessaria communicatio, & propria habetur Gen. cap. 2. Faciamus ei adjutorium simile sibi.

Tertius finis est significatio Christi, & Ecclesiæ, hoc est, sacramentum, seu inseparabilitas. Primus finis respondet matrimonio hominis, in quantum est animal, secundus in quantum est homo, tertius in quantum est fidelis, & ligatur sacramenti vinculo. Fatemur ergo, primum finem non impediri, sed magis augeri per uxorum pluralitatem; secundum vero impediri; nam oritur discordia, & mutua auxilia, & opera praestari non possunt, exemplo Læ, & Rachel, quæ & si sorores, cum ambe essent nuptæ uni Jacob, invicem se ferre non poterant, ut constat Genes. cap. 30. & idem de uxoribus Abraham Sara, & Agar scriptum est Genes. cap. 16. Tertium finem impediti, certum etiam est; nam unum facit Christi cum Ecclesia connubium: & quamvis Ecclesia ex pluribus fidelibus constet, tamen una sola est, ob unam solam fidem, & unum baptisma, juxta illud Cant. cap. 6. *Una est columba mea, perfeccio mea:* & illud Apost. 2. ad Corinth.: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ubi non dixit virgines, & Christus unicam sibi tantum univit naturam. Quare & si polygamia non repugnet primario matrimonij fini, qui in procreatione prolixi, & speciei conservazione consistit; adversatur tamen secundario, qui consistit in mutua utriusque conjugis communicatione, quæ producit amorem, & pacem in familia, ex qua animi, & voluntatis mutua conjunctione bonorum etiam, & fortunatum inter utrumque conjugem oritur communicatio. Et ideo Imperator Gordianus mulierem viro legitimè conjunctam sociam vocat *in leg. adversus 4. Cod. de crimin. expilat. heredit.* Hac autem communicatio, & pax familiæ in multitudine uxorum vix potest reperiri; ut enim ait Philosophus lib. 2. Retbor. ad Theodect. cap. 4. *figulus figulum odit: turbabitur ergo manifeste tranquillitas, & pax domestica reipublicæ ex plura sitate uxorum* *uxor enim socia est, non famula, & in domestica gubernatione principatum obtinens, ut explicuit Chrysostomus in Epistol. ad Ephesios homil. 20.* Omnia autem Principatus, ut pax servetur, suapte natura singularitatem amai, ut recte probat Augustinus de homo conjugal. contra Iovinian. cap. 17. & nos a iqua tradidimus in elucubratione ad text. in cap. in apibus: 41. vers. Roma. caus. 7. q. 1. *principiæ à nam. 10.*

15 Ex his , quæ hactenus à nobis dicta sunt, apertè constat , pluralitatem uxorum præceptis naturæ repugnare Jam verò probabo contra Cajetanum, & alios, in libris Canonis Scripturæ hanc legē de unitate uxoris scriptam esse. Primo; nam illud manifestum est, quod Paulus 1. ad Corintb. cap. 7. scripsit: *Unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem , & uniusque suum virum.* In quibus verbis Apostolus non plures, sed unam tantum concedit uxorem, quam vocat propriam. Sic enim Christus Dominus unam tantum habuit sponsam Ecclesiam. Matrimonium autem est Sacramētum perfectè significans unionem Christi cum Ecclesia vel per charitatem, seu dilectionem, ut in matrimonio rato, vel per carnē assumptam in unione hypostatica verbi incarnati, ut in consummato , quod neque Cajetanus , neque vir Catholicus negavit unquam : Cum ergo signum debeat esse simile rei significatæ , vir unam tantum in Lege Evangelica debet habere uxorem, sicut Christus unam sponsam habuit Ecclesiam. Secundò , nam illud est contra jus divinum positivum, quod adversatur dicto, vel facto Dei ad actiones nostras dirigendas, ut tradit Augustinus lib. 2. contra Faustum Manicheum, cap. 27. & lib. 1. de libero arbitr. cap. fin. sed pluralitas uxorum facto Dei repugnat, qui unam tantum fœminam à principio uni viro conjunxit, ut patet Genes. cap. 2. Idque Christus ipse Hebreis respondens per Matth. cap. 19. explicuit : *Non legis sis , inquit , quia qui fecit , ab initio masculum , & fœminam fecit eos, & dixit: proprie hoc dimittet homo Patrem , & Matrem , & adhærebit uxori sua , & erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro:* Si autem unus vir duas habeat uxores simul, & eodem tempore, non erunt duo in carne una , sed potius dividetur in plures carnes, ut notat Innocent. III. in cap. gaudium 8. de divorcio. Idem etiam probatur ex eo, quod Christus ait Luke cap. 16. & Marc. cap. 10. eum, qui, dimissa uxore sua, alias duxerit, moechari : ergo jure Evangelico omnino est illicita polygamia; nam si, dimissa prima uxore, secunda valide duceretur , non moecharetur ducens secundam : dixit autem Christus *mæcatur.*, quod verbum denotat adulterium: ergo repugnat Evangelio plures habere uxores. Atque in hunc sēsum

sum prædicta Evangelij verba à SS. Patribus, alijisque Ecclesiæ Doctoribus accipiuntur. Audi pulchra Chrysost. verba homil. 83. super Matth. ibi: *Verum etiam, quia jussit, quod unus uni conjugatur.* Nam si voluisset alteram etiam conduci uxorem uni viro creato, multas conformasset mulieres. Audi quomodo dicit, qui fecit à principio masculum, & fœminam, &c. sentit ergo Chrysostomus legem de unitate uxoris divinitus in Evangelio esse prolatam: ergo falso dixit Cajetanus legem de unitate uxoris non esse in Scriptura ullo modo scriptam.

16 Ex quibus necessariò insertur, Rom. Pontificem in hac uxorum pluralitate dispensare non posse, ut unus plures uxores simul habeat, & multò minus, ut una fœmina plures simul viros habeat; quia id prohibitum est, tum jure naturali, tum Lege Evangelica ob mysticam significationem hujus Sacramenti, nimirum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Idque expressè decisum est ab Innoc. III. in dict. cap. gaudentius 8. ubi dicitur, nunquam licitam fuisse polygamiam citra divinam dispensationem: ita D. Thomas in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. D. Covarr. in 4. part. 2. cap. 7. §. 3. P. Pirthing. in lib. IV. decretal. tit. de sponsal. scđt. 4. §. 1. num. fin. Quare similiter dicendum est, nulla consuetudine effici posse, utilita sit polygania; quia consuetudo non potest derogare juri divino, & naturali, cap. fin. de consuetud. P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 80. num. 10. Neque huic doctrinæ obsistit textus in cap. quod proposuisti 18. 32. q. 7. ubi Gregorius III. uxorem secundam ducere cuidam concessit, quam dispensationem concedere non potuisset, si juri naturali, aut Evangelico repugnaret. Nam respondetur, Gregorium intelligentum de fœmina nondum cognita, & de matrimonio rato non consummato, & quia mulier in gravem aliquem morbum, eumque perpetuum inciderat, conjux autem volebat ad secunda vota transire, idque indulsum à Pontifice: nam ut tradit P. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 14. num. 2. aliquando Pontifices in matrimonio nondum consummato dispensarunt: non tamen inde colligi potest, duo simul constitisse matrimonia, sed potius primo dissoluto authoritate Pontificis iusta de causa, secundum initum, & ex consequenti unum

tantum constitisse. Vel dici etiam potest cum Turrecrem.  
Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 11. & lib. 4. de Roman. Pon-  
tif. cap. 13. & alijs, quod in predicti textus specie suppo-  
nendum est, priorem non fuisse uxorem legitimam propter  
impedimentum perpetuum, veluti si foemina ita arcta erat, ut  
a viro cognosci non posset, idque solum declarasse Pontifi-  
cem Neque huic interpretationi obstabunt illa textus verba:  
*Non tamen subsidij opem subtrahit ab illa, quam infirmitas,*  
*non detectabilis culpa excludit.* Quia supponere videntur, prius  
matrimonium validum fuisse. Nam ut ibidem recte docet  
Glossa verbo *nubat*, verba illa sunt intelligenda de dote resti-  
tuenda; & si de alio intelligantur subsidio, non important  
praeceptum, sed consilium.

17 Iстis ita sufficienter expositis, superest ut tunc  
de poena polygamię breviter loquamur. Et sane varijs poenis  
hujusmodi quasi nefandum crimen coercitum est. Olim enim  
Ecclesia scienter ducentibus uxorię alterius publicam impo-  
suit paenitentiam, ut per 40. dies singulis hebdomadibus jeju-  
natent in pane, & aqua, sic continuando per septem annos, &  
haec pena dicebatur Carena: quomodo accipitur in nostro  
textu, & in cap. accusasti 8. de accusat. Sed haec iam sunt an-  
tiquata. Jure Civili infamia notantur, leg. 1. §. fin. leg. quid  
ergo 13. §. 1. ff. de ijs, qui not. infam. leg. 2. Cod. de incesto  
nupt. & incident in poenam stupri, juxta text. in leg. eum, qui  
18. Cod. de adulterio, quae in honestis personis erat publicatio  
dimidiæ partis bonorum, & in humiliibus corporis coercitio  
cum relegatione, §. item lex Julia 4. Inst. de public. Judic.  
Jure vero Canonico excommunicandi sunt juxta text. in cap.  
an non 19. 24. quest. 3. cap. facultates 1. 33. quest. 2. Diaz  
in præst. crimen Canon. cap. 84. num. 2. §. & prena, & cum  
publica ignominia, vel infamia calyati separandi, cap. de be-  
nedicto 5. & ibi Glossa verbo: & decalvatos, caus. 32. q. 1.  
cap. nuper 4. de bigam. non ordin. ibi: illum committatur in-  
famia, qui duas simul uxores habet. Hodie tamen omnibus  
bonis confiscatis ab Inquisitoribus hereticę pravitatis, rei hu-  
jus criminis in publicum ducuntur suggettum, ubi levem ad-  
jurant suspicionem, mittit infamii capitii eorum imposita, fusti-  
busque coeduntur, & ad tritemes per qui quennium damnantur.

tur: videndi sunt Menoch. de arbitr. Judic. casu 420. numer. 103. & 105. D. Covarr. in 4. decretal. p. 2. cap. 7. §. 3. numer. 6. & D. Gonçal. hic num. 6.

18 quibus absolutis, reliquum est, ut respondeamus ad argumenta in principio posita. Ad primum deductum ex varijs Augustini testimonij, responderi solet, praedicta testimonia non aliter intelligenda esse, quam praexistenti divine dispensatione, vi cuius olim Patriarchis antiquę legis licitum fuit, plures simul habere uxores, ut dicitur in *cap. gaudemus* 8. §. nec ulli de divert. & docuit Magister in 4. sent. dist. 33. D. Covarr. de sponsal. 2. p. cap. 7. §. 3. Itaque non propter illius temporis consuetudinem, ut minus recte aliqui existimarent; nam, ut supra diximus, nulla consuetudo potest aliquid contra jus divinum, & naturale inducere, *cap. fin. de consuetud.* Nec contrarium probatur ex *cap. objiciuntur.* 7. 32. q. 4. nam ibi D. Augustinus non dixit, *quia mos erat, peccatum non erat*: sed *quando mos erat*: quasi mos non sit causa, sed divina dispensatio morem excusans. Sed dices: uxorum pluralitas videtur repugnare primis iuris naturalis principijs, & consequenter esse indispensabilem ex traditis *supra num. 12.* Id quod ex eo manifeste evincitur; nam contra primum naturae praeceptum est, quod vir faciat erga uxori id, quod erga se ab uxore fieri sibi recusat; at qui vir nolleter uxorem alteri viro nubere: ergo contra prima naturae principia erit, ut ipse possit aliam uxorem simul habere. Cui difficultati respondebis, verum esse, primis juris naturalis principijs repugnare, quod quis erga alterum faciat, quod erga se fieri non vult, secvata nimicum proportione. Nam quia Prelatus vult, ne subditus ei resistat, sed obediatur, non sequitur inde, quod subditus intendat, ne Prelatus ei resistat, sed obediatur; non enim eadem est proportio: sic ergo procedit in casu nostro, nam diversa est ratio, & proportio multorum virorum respectu unius uxoris, ac plurium uxorum respectu unius viri; pluralitas enim uxorum ad unum virum non est contra prima principia universalia naturae, quamvis aliquo modo juri naturali aduersetur, quatenus est contra conclusiones ab ipsis principijs naturae derivatas. Non enim repugnat matrimonij natura, nec primario ejus

*eius fini, licet interim in matrimonio non congruat, si omnes matrimonij fines expectemus. Et in hoc sensu dicimus matrimonium cum alia contractam, vivente prima, iure naturali nullum esse, posse tamen in ea pluralitate Deum dispensare; cum solum aduersetur fini secundatio matrimonij: vide Pat. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 80. num. 8. ¶ 16. in fin.*

19 An autem possit Deus dispensare, ut una uxor pluribus viris simul, & eodem tempore nubat, non idem omnes sentiunt. Nam Cardin. Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 11. post. 2. prop. & alij DD. tenent Deum non posse dispensare; eò quod sit contra prima principia juris naturalis. At mihi semper probabilius visum est, non ita repugnare juri naturali, quin Deus per absolutam suam potentiam, id concedere possit, ut docet P. Sanchez ubi nuper num. 15. Continkt. tract. de mata. disp. 26. dub. 2. num. 29. ubi notandum, quod quædam actiones hominum ex objecto suo tunt per se, ac intrinsecè malæ, & prohibite, ita ut militia ab ijs separari non possit, quales sunt Deum odisse, blasphemare, & alias similes. Quædam verò sunt actiones malæ, quia repugnant juri naturali, ita tamen, ut cohonestari, & licitæ fieri possint, si is, qui hanc potestatem habet, tribuat jus tales actiones exercendi. Sic occidere innocentem, censetur per se malum, si tamen Deus, qui est Supremus Dominus vitæ hominum, consentiat, vel præcipiat, ut innocens occidatur, sicut præcipit Abraham, ut immolare filium suum innocentem, id statim desinit esse malum, & fit licitum. Similiter in nostro casu, omnis polygamia, præsertim illa, per quam plures viri eodem tempore ducunt unam in uxorem, unaque pluribus nubit, repugnat juri, non solùm divino, sed etiam naturali; quia Deus, qui solus supremum dominium habet in corpora humana, non aliter concessit contrahentibus matrimonium potestatem tradendi invicem sua corpora ad usum generationis, nisi unus vir cum una fœmina conjugatur: quare si aliter fiat, id repugnat juri naturali, & divino: si vero Deas licetiam det conjugibus ad hoc faciendum, tunc id neutri juri aduersatur, sed est licitum, & honestum. Ex quo colligitur, quod Deus, quando permittit polygamiam, non propriè in ea dispensat, sed conditionem apponit, qua posita, illa mala, seu illicita esse

• esse desinit, sicut si præcipiat Deus, ut innocens occidatur: Ita P. Laym. lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 6. num. 9. condicuitque ele-  
gans doctrina Basiliij lib. 8. de matrim. cap. 2. num. 6, § 2.  
seqq.

20 Vetus nunc in lege Evangelica hujusmodi dispensatio sublata fuit à Christo Domino; nam Matth. cap. 19. matrimonium ad primævum statum reduxit, in quo unam tantum uxorem ducere licet; quare hodie nemo sive fidelis, sive infidelis plures simul uxores habere poterit, cum omnibus sit interdicta polygamia, & quando infideles convertuntur ad fidem, debent redire ad primam legitimam uxorem, & separandi sunt ab alijs uxoribus; quia matrimonium cum illis celebratum erat irritum: prout expressè dicitur in cap. gaudemus 8. de divorcio. Nam lege naturali etiam olim, & in veteri lege hujusmodi matrimonium erat irritum, & sola Dei dispensatione validum fuit; postquam ergo Christus cassavit illam dispensationem, matrimonium illud irritum est jure naturæ, ut ab initio fuerat. Itaque matrimonium etiam infidelium cum pluribus uxoribus irritum est, non propter prohibitionem legis Evangelicæ, quæ non obligat nisi baptizatos, sed propter jus divinum naturale illud irritans, per quod (postquam Christus substulit dispensationem divinam) ad pristinum statum reductum est matrimonium. Quare defendi nulla ratione potest doctrina Abulensis, qui super cit. cap. 19. Matth. quest. 35. ait, infidelibus licitum esse, & sine peccato plures habere uxores: & explicat decisionem textus in dict. cap. gaudemus 8. dicens, infideles cogendos esse dimittere posteriorem uxorem, dum baptizantur, non propterea quod peccave int accipiendo plures uxores, sed retinendo tantum. Quam doctrinam ex supra traditis quasi erroneam damnat Enri-quez lib. 11. de matrim. cap. 2. & ut temerariam, ac errori proximam Ledesima eod. tract. quest. 65. art. 2.

21 Similiter non obstat Cajetani argumentum supradictum ex verbis Marci cap. 10. ibi: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur super eam. Neque enim recte argumentatur Cajetanus explicans, Christum Dominum non dixisse secundum illud

matrimonium esse adulterium simpliciter, sed respectu prioris conjugij : quasi diceret adulterium esse impropriæ, non absolute, & simpliciter. Verum hæc interpretatio mihi placere non potest; tum quia illa verba *super eam* non habentur apud *Luc. cap. 16.* neque apud *Mattb. cap. 19.* ubi absolute dicit uterque Evangelista : *Et aliam duxerit, mœchabitur :* tum quia illa verba à Marco adjecta : *Mœchatur super eam*, non tollunt adulterium, sed aliquid addant; nam mœchari super dimissam uxorem, verè mœchari est, & adulterari, addita tamen injuria injustæ dimissionis : tum denique quia manifestè convincitur Cajetanus *Ex D. Augustin. lib. 1. de adulter. conjug. cap. 11.* & Beda *super Marc. cit. cap. 10.* ubi eodem modo, ut nos diximus, predicta Evangelij verba explicarunt, & probavit Innoc. III. *in dict. cap. gaudemus 8.* & ita communiter interpretantur ex consensu omnium SS. Patrum. Neque etiam superiori nostri textus assertioni refragatur textus *in cap. quod proposuisti 18. 32. q. 7.* cui responsam iam est *supra num. 15.* Nec item adversatur quod *num. 6.* dicebamus, videlicet, uxorum pluralitatem apud plures nationes permittam esse: unde creditu difficultimum est, eas lumine, ac ratione naturali destitutas esse. Nam hoc mirum alicui videri non debet, cum etiam erraverint colendo deos falsos. Ad confirmationem ipsius dubitandi rationis respondeatur, quod tranquillæ conjugum cohabitationi, non per accidens, ut ajebat Durandus, sed per se, & ex natura rei obstat uxorum pluralitas, attento foeminarum nativo genio, & amore, quo uxor virum prosequitur. Non enim fert amor consortium in re amata, ut prosequitur omnino videndus P. Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 80. num. 8.*

22 Rursus non obstat difficultas *num. 7.* deprompta ex difficiili Ambrosij testimonio relato *in cap. uxor à viro 17. 32. q. 7.* nam ibi Ambrosius, cum docet, uxorem non posse adulterum maritum dimittere, & alij nubere, posse tamen maritum; legis Juliaz, non Dei, Imperatorum Severi, & Antonini, non Christi, ac forensis judicij suo tempore receptissimi, non coelestis rationem habuit; cum enim de divina egit, semper docuit, æquam viri, & uxoris esse ratione

rationem, ut constat ex lib. de Abraham, cap. 4. & in Lucam, cap. 16. Itaque cum in eo cap. dicit: Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino has lege utitur, de lege, & permissione civili agit, quæ potiorem habet causam viri, quam uxor, ut & Augustinus testatur lib. 2. de adult. conjug. cap. 8. Cum autem ad finem de viro agit, subdit: Quia vero licet uxorem ducere, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier. Quare verissimum est, Ambrosium dicere, quod vir non constringitur lege civili, ad hoc ut repudiare non possit, nec accusare uxorem de adulterio, & inde cum alia contrahere, sicut constringitur mulier, quæ maritum adulterum accusare non potest, nec ab illo ea de causa divertere, ut constat ex leg. I. Cod. ad leg. ful. de adulter. ex Lactan. lib. 6. divina instit. cap. 23. D. Basilio epist. 1. ad Amphil. cap. 9. nec non D. Augustino lib. 1. de nupt. cap. 10. At isti omnes loquuntur sane, sicut & Ambrosius, de legibus saeculi suo tempore receptissimis, quæ aliter de foeminis, aliter de viris disponebant, ut post Mendozam lib. 2. de confirmat. Concil. Illiberr. cap. 20. docet Basilius lib. 7. de matrim. cap. 52. num. 3. cum 3. seqq.

23 Quod si hæc interpretatio alicui non arrideat, responderi etiam potest cum P. Greg. in cap. 1. de sponsal. num. 28. accipiendo Div. Ambrosium non de qualibet fornicatione, ut propter eam dissolvatur matrimonium, sed de incestuosa, ita ut propter incestuosam copulam ptaecedentem matrimonium ipsum dissolvatur, seu potius non subsistat, veluti si uxor prius patri, deinceps filio, vel fratri mariti nubat. Quo casu ipsa separata carere debet spe conjugij; ipse tamen maritus aliam ducere valet. Quomodo etiam accipiendi sunt textus in c. quedam 19. cap. qui dormivit 21. cap. concubisti 23. cum seq. 32. quaest. 7. cap. 1. donat. inter vir. ubi D. Goncal. num. 3. Nec etiam assertioni nostræ obliquitur textus in cap. si qua mulier 6. 31. q. 1. nam ibi nequam permittitur secundum conjugium durante primo, sed tantum decernitur, ut qui in culpa esset, à secundo matrimonio prohibetur, si forsitan defuncta prima, secundo nubere

here vellet; conceditur tamen innocentii, ut si velit, iterum  
nubat, non quidem prima uxore superstite, sed illa defun-  
cta. juxta texum sic etiam intelligendum in cap. si qua 1. de  
divort. docet P. Pirhing. in lib. 4. decret. tit. de divort. §. 9.  
Eadem fidelia dealbandi sunt textus in contrarium num. 8.  
expenii, in cap. quidam despontavit 31. cap. squis 32. 27.  
q. 2. cap. quadam 19. 32. q. 7. in quibus, cum statuatur, li-  
cere, dimissa uxore adultera, cum alia matrimonium inire,  
supponendum est, uxorem deceasisse; ita ut in eo dispar  
vnice sit conditio nocentis, & innocentis; quod innocens,  
defuncta uxore, nubere alteri poterat; at nocens, etiam de-  
functo conjugi, sine spe conjugij remanebat in poenam vio-  
latae fidei; nec novum est hoc genus poenæ in Ecclesia: ob  
varia enim scelera eorum authores spe conjugij privantur,  
ut constant ex cap. raptor. 23. cap. statutura 34. 27. q. 2. cap.  
squis 2. cap. de eo 5. 30. q. 1. cap. hi verò 22. 32. q. 7. junct.  
alijs quamplurimis congestis à Basilio ubi supra, num. 9.

24 Deinde non obstat Concilium Arelat. 1. sub  
*Sylvestro, can. 10.* in illis verbis: Consilium eis detur, ne  
viventibus suis licet adulteris, alias accipient. In quibus Pa-  
tres consilium vocant, non quod præceptum esse nollent,  
sed quod in vitijs corrigeadiis ea tunc moderatione uteren-  
tur, ut suadere potius honesta velut parentes, quam cogere  
ut Judices videri vellent. Denique non obstat difficultas de-  
ducta ex leg. communis 7. §. idem 8. ff. commun. dicit. pro  
eius solutione videndus est Antonius Faber in ejus rationali,  
quem refert, & sequitur D. Gonçal. in presenti,  
num. 9. Hæc satis sint pro hujus  
textus Elucubratione.

Si aliquid diffonum, vel devium in his elucubrationi-  
bus unquam reperiatur, correctioni Sanctæ Romane  
Ecclesiæ libentissime submittimus, &  
corrigi paramur.

# INDEX

RERUM , ET VERBORUM , QUÆ IN HISCE  
elucubrationibus continentur.

Prior numerus paginam ; posterior numerum mar-  
ginalem denotat.

## A

Abbas propter contumaciam

Episcopi in benedicendo  
recipit potestatem alios  
benedicendi, perinde ac si  
esset benedictus. Pag. 104.  
num. 10. & pag. 126. n. 36.

Abiathar à Salomonе Rege  
fuit depositus à Sacerdo-  
tali dignitate. pag. 47. n. 7.  
O pag. 68. num. 29.

Accessorium sequitur natu-  
ram principalis, nisi diver-  
sa in utroque militet ra-  
tio. pag. 440. n. 29.

Acetum an sit valida materia  
Sacramento Eucharistiae,  
pag. 330. n. 27.

Actio quælibet Christi Do-  
mini nostra debet esse ins-  
tructio. pag. 73. n. 4.

Actiones humanæ quædam  
sunt intrinsecè malæ , ita  
ut malitia ab ijs separari  
non possit , quædam vero  
sunt male, ita tamè ut lici-  
te fieri possint p.453. n. 19.

Actus requirens spontaneum

consensum non valet si  
metus intercessit. pag. 248.  
n. 14. O 15.

Actus ut voluntarius, vel ne-  
cessarius dicatur , non at-  
tenditur effectus, sed cau-  
sa, & origo. pag. 270. n. 35.

Adamus primus hominum  
parens quando fuerit crea-  
tus. pag. 81. n. 15.

Adami peccatum qualiter in  
eius posteros derivetur,  
pag. 82. n. 16.

Aditio hæreditatis metu facta  
an sit valida. pag. 254. n. 18.  
in fin.

Adulterium Jure Civili diri-  
mit matrimonium , secus  
jure divino , & Canonico  
p. 455. n. 22. O 23.

Advocatio , seu defensio Ec-  
clesiarum ad Reges, & su-  
premos Principes expe-  
ctat. pag. 231. n. 28.

Agresta non est sufficiens ma-  
teria ad consecrationem  
calicis. pag. 331. n. 28.

Alienatio rerum Ecclesiæ, cui  
Princeps secularis consen-  
sus

I N D E X.

- sum præstitit nulla est.  
pag. 210. & n. 9.
- D. Ambrosius dominium rerum Ecclesiae Imperatori concedens explicatur. pag. 223. n. 21.
- Anathema an, & in quo differat ab excommunicacione maioris. p. 37. n. 8. & 9.
- Antichrelis Iure Canonico inspecto omnino improbatur. pag. 366. n. 31.
- Appellari an possit à sententia Archiepiscopi ad Concilium Provinciale. pag. 18. n. 21.
- Appellatio à sententia Rom. Pontificis ad futurum Generale Concilium non admittitur. pag. 19. & n. 22.
- Appellari non licet à sententia Papæ ad Tribunal Christi. pag. 23. n. 26.
- Appellantæ à R. Pontifice ad futurum Concilium, eorumque Consiliarij, & factores quasnam poenas incurvant. pag. 24. n. 28.
- Appellari an liceat à sententia Sedis Apostolicæ ad futurum Concilium, consenteiente Pontifice. ibid. n. 29. & 30.
- Aqua vino consecrando missa cenda est pro Sacrificio Missæ celebrando. pag. 315. n. 10.
- Aqua quare in Missæ Sacrifi-
- cio fuerit vino admixta, & quid significet. pag. 216. n. 11.
- Aquaæ admixtio cum vino consecrando an sit de necessitate Sacramenti. pag. 317. n. 12.
- Aqua debet in parva quantitate vino admiseri in Missæ Sacrificio, & quare. pag. 329. n. 26. & pag. 333. n. 32.

B

- Baptismus collatus à Paulianistis, & cataphrygis nullum est. pag. 10. n. 10.
- Baptismus necessarius est omnibus tam adultis, quam parvulis ad remissionem peccati originalis. pag. 78. n. 10. & 2. seqq.
- Baptismus non minus necessarius est filijs fidelium, seu jam baptizatorum, quam filijs infidelium. pag. 86. n. 20. & 21.
- Baptismus sub debita forma à Judeo, sive Pagano collatus validus est. pag. 105. n. 11. & pag. 126. n. 36. in fin.
- Baptismus per metum collatus an sit validus. pag. 242. n. 8. & pag. 372. n. 6.
- Baptizatus per vim precipiam, & absolutam nec rem, nec characterem recipit Sacramenti. ibid.
- Baptismi sanguinis virtute iustificatur Infans in utero

# I N D E X.

- existens. pag. 93. n. 27.
- Baptismus amentibus, & do-  
mientibus an utiliter con-  
feratur. *ibid. in fin.*
- Beneficiorum collatio, seu  
institutio an ad Principes  
saculates expectet. *pagina.*  
225. n. 23. & 24.
- Beneficia Ecclesiastica quali-  
ter dicantur spiritualibus  
annexa. p. 228. n. 26. & 27.
- Beneficij Ecclesiastici inca-  
pax est laicus. p. 396. n. 31.  
& pag. 402. n. 36. *in fin.*
- Bigami nudantur clericisibus  
privilegijs, si sint in mino-  
ribus tantum ordinibus  
constituti, secus si in sacerdis-  
tia. pag. 385. n. 20. *in fin.*
- Bona temporalia, quæ usui  
Ecclesiæ donantur, Eccle-  
siastica fiunt. pag. 36. n. 17.  
*in fin.*
- Bona temporalia habentia  
onus reale, si postea fiunt  
Ecclesiastica, an duret  
onus. pag. 67. n. 28.
- Bona, & res dicuntur alter  
sanguis, & vita hominum.  
*Pag. 179. n. 22.*

# C

Causam damini dans damnum  
dedisse videtur. pag. 431.  
n. 30.

Causa peccati, & occasio-

- quomodo differant. *ibid.*
- Christi, & Papæ idem est Tri-  
bunal. pag. 23. n. 26.
- Clerici in grave delictum lap-  
si ex antiqua Ecclesiæ con-  
tuetudine in Monasterium  
poenitentiae peragendæ cau-  
sa, non professionis emit-  
tendæ detrucebantur. *pig.*  
252. n. 17.
- Clerici in majoribus ordini-  
bus constituti matrimo-  
nium ex dispensatione co-  
trahentes an privilegio fo-  
ri gaudeant. *pag. 383. n.*  
18. & 2. seq.

Clerici in Sacris Ordinibus  
constituti conjugia cele-  
brare non possunt, & qua-  
re. pag. 383. n. 21. & 28.

Clerici per vim, vel metum  
ordinati non tenentur set-  
vare castitatem ordinis sa-  
cro annexam. *pag. 388.*  
*num. 23.*

Clericus in minoribus ordi-  
nibus constitutus, si matri-  
monium contrahat, an ip-  
so jure amittat beneficium,  
quod antea obtinebat. *pag.*  
390. *num. 25. & 26.*

Clerici in Sacris an castitatem  
ex vi præcepti, vel consilij  
observare teneantur. *pag.*  
401. *num. 35.*

Clericus conjugatus nō gali-  
det nisi privilegio fori, &  
Canonis. *pig. 402. num. 36.*  
*Cœ.*

- Cœlibatus an jure divino Sa-  
cerdotibus fuerit injunc-  
tus, an jure Ecclesiastico,  
pag. 374. num. 9.
- Cœlibatus primis Ecclesiarum  
sæculis à Græcis, & Latinis  
observatus fuit, sed ab  
hac lege Græci postea dis-  
cesserunt. pag. 378. num.  
14.
- Collatio præbendarum, &  
dignitatum Ecclesiastica-  
rum an ad Principes sæcu-  
lares expectet. pag. 225.  
num. 23.
- Collationis verbum in lata  
significatione an compre-  
hendat etiam presentatio-  
nem. pag. 227. num. 25.
- Communicatio, sive com-  
munio apud fideles multi-  
plex reperitur. pag. 139.  
num. 11.
- Communicans cum excom-  
municato majori excom-  
municatione ligato, mino-  
rem tantum excommuni-  
cationem incurrit. pag.  
141. num. 12.
- Communicans cum excom-  
municato vi præcisa, &  
absoluta nullam incurrit  
excommunicationem, se-  
cus si vi conditionali. pag.  
142. num. 13. O. 14.
- Communicans cum excom-  
municato quando majori  
excommunicatione lige-
- tur. pag. 144. num. 15.  
O. 2. seq.
- Compensatio an detur ratiō-  
ne juramenti in usurarum  
debito. pag. 347. num.  
13. & pag. 408. num.  
6.
- Compensatio in deposito lo-  
cum non habet, & quare  
pag. 373. num. 19.
- Compensatio an admittatur,  
siquis juraverit verè solye-  
re certam pecuniaē quanti-  
tatem. pag. 355. num. 21.
- Conjux innocens an vivente  
uxore adultera alij nubere  
possit, pag. 456. num. 23.
- Concilium generale an sit  
supra Papam. pag. 12. à  
num. 12.
- Concilia generalia, & eorum  
Canones à R. Pontifice  
confirmatur, roburque  
accipiunt, pag. 13. num. 13.
- Concilium Provinciale an sit  
superius Metropolitano.  
pag. 18. num. 21.
- Concilium generale prévaleret  
Papæ in casu, quo Ponti-  
fex sit dubius, vel in schis-  
mate, quando duo, vel plu-  
res contendunt de Pontifi-  
catu. pag. 30. n. 35. O. 36.
- Concilium generale an pos-  
sit recusari. pag. 34. num.  
38. in fin.
- Concilium generale, in causis  
fidei an possit errare. pag.

## IN D E X.

37. numeri. 41. in fin.
- Concilium Constantiense de potestate Concilij generalis in R. Pontificem expeditum pag. 30. num. 35.**
- Concilij Constantiensis Constitutione ad evitanda quibus ex causis edita fuerit. pag. 248. num. 18.**
- Concubinæ in Sacra Scriptura, & apud antiquos PP. quænam intelligendæ sunt. pag. 438. num. 3. O 4.**
- Concubina ab uxore quomodo differat. ibid.**
- Conditio turpis, vel impossibilis adjecta matrimonio habetur pro non adjecta, si verò sit contra substantiam matrimonij, illud vitiat. pag. 275. num. 1. & pag. 284. num. 9.**
- Conditio apposita contra substantialia actus illum vitiat; non verò si sit contra ea, quæ proveniunt ex natura actus. pag. 279. n. 5.**
- Conditiones, quæ matrimonij substantiæ, seu illius bonis adversantur, vitiant matrimonium. pag. 284. num. 9. O 10.**
- Conditio contra substantiam matrimonij illud non vitiat, si apponatur matrimonio jam contracto, seclusi postea. pag. 285. n. 10.**
- Conditio servandi castitatem apposita in matrimonio, an illud vitiet. pag. 286. num. 11. O 12.**
- Conditio turpis, vel impossibilis an quævitiet matrimonium, ac alios contractus. p. 294. n. 19. O 20.**
- Conditio hæc si permiserit rem secum habere, an rejetatur tanquam turpis. p. 297. num. 21. O 22.**
- Conditio proprij patrimonij retinendi an sit contra substantiam professionis regularis, ipsamque vitiet. pag. 298. num. 13.**
- Conditio contra substantiam matrimonij ab uno tantum contrahente apposita, an illud vitiet. pag. 300. num. 25. O 26.**
- Conditio si millies heredi decurrit, an vitiet libertatis dationem. pag. 306. n. 31.**
- Conditio turpis adjecta à Patre filijfamilias institutioni, cur illam vitiet. pag. 307. num. 32.**
- Confirmationis materia est Chrisma ex Oleo, & balsamo confectum. pag. 321. à num. 16.**
- Conjugatus beneficij Ecclesiastici incapax est, nisi ex Pontificis dispensatione. pag. 396. num. 31. O pag. 402. n. 36. in fin.**
- Conjugium Clericis in minoris**

ribus ordinibus constitutis omni tempore licitum fuit. pag. 389. num. 24.

**C**onsensus legitimè praeditus in matrimonio tria bona matrimonij in se includit. pag. 284. num. 9.

**C**onsensus in matrimonio non est necessarius in carnalem coitum, sed erit sufficiens in mutuam corporum traditionem. pag. 287. num. 12.

**C**onsensus alius quoad obligationem ex parte contractus, alter quoad essentiam ex parte contrahentis in matrimonio intervenit. ib.

**C**onsensui nihil tam contrarium est quam vis, atque metus. pag. 235. n. 2. in fin.

**C**onsilium licet excitet ad deliberandum, non tamen ad sequendum. pag. 371. num. 5. & pag. 407. n. 4.

**C**onsuetudine an possit introduci, ut pro exequijs mortuorum, vel administracione Sacramentorum aliquid temporale detur, vel accipiatur. p. 99. n. 5. & pag. 119. n. 29.

**C**onsuetudo juri naturali, aut divino derogare non potest. *ibidem*.

**C**onsuetudo efficere non potest, ut laici jus spirituale obtinere possint. pag. 225. n. 23.

Contuetudo immemorialis, & privilegium quatenus aequiparentur. p. 226. n. 25.

**C**ontractus sub impossibili conditione celebrati, quatenus sint inutiles. p. 294. a n. 19 & pag. 305. n. 30.

**C**orpora multa Sæctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Iafernis. pag. 9. n. 9, & pag. 36. n. 40.

**C**reditor in sortem principalem imputare debet fructus rei pignoratae, alias usurarius erit. p. 346. a n. 12. & pag. 157. n. 22.

**C**reditor an teneatur in sortem imputare non solum fructus perceptos, sed etiam quos percipere potuit. p. 360. n. 25. & 26.

**C**ulpa suos tantum debetenerre autores. p. 80. n. 14.

## D

**D**ebitum in Sacramentis duplamente considerari potest. pag. 122. n. 32.

**D**ebitor usuras promittens non obligatur, juramento tamen accidente cogitur eas præstare. p. 429. n. 28.

**D**ecimæ prout sunt fructus temporales à laicis percipi possunt, non vero quare-

**n**as sunt stipendium ministrorum Ecclesiae. pag. 224.  
n. 22.

**D**ecimatum solutio est juris divini, originative, seu exemplariter, non vero formaliter. p. 328. n. 24.

**D**efensio à Principe, nec à lege tolli potest. p. 8. n. 8.

**D**efensio propriæ vitæ omni jure permitta est, nec imputatur homicidium ex ea. pag. 175. n. 19.

**D**elictorum punitio etiam in brutis exercetur. pag. 162. num. 9.

**D**etrusio in monasterium poenitentię peragendę causa olim non inducebat professionem. pag. 252. n. 17.

**D**ictio tantum ita excludit extranea, & dissimilia, ut includat omnes casus similes, in quibus est eadem ratio. pag. 339. n. 24. in fin.

**D**ifferentia nulla est quoad Deum inter iuramentum, & simplicem loquela. pag. 432. n. 31.

**D**ignius, & potentius trahit ad se minus dignum. pag. 110. n. 17.

**D**ioscorus non fuit R. Pontifex, sed Patriarcha Constantinopolit. p. 31. n. 36.

**D**ispensare an possit Pontifex in voto castitatis ordinis sacro annexo. pag. 382. num. 17.

**D**olus dans causam contractui bonae fidei an tollat consensum. pag. 238. n. 5.

**D**olus in spirituallibus an viet contractum. pag. 240. n. 6. & 7.

**D**olus dans causam ingressui in Religionem, & profissioni, an ipsam nullam reddit. pag. 257. a n. 21.

**D**onatio metu facta an ipso iure sit nulla. p. 265. n. 30.

**D**onatio mortis causa facta ea conditione, ut nullo casu revocari possit, an sit valida. pag. 304. n. 29.

**D**ormiens propter homicidium in somnis commissum, an incurrit poenam irregularitatis. pag. 173. num. 18.

**D**uo capita in uno corpore tanquam monstru esse non possunt. pag. 144. n. 10.

## E

**E**brius si sua culpa in ebrietate incidit, & ebrius existens hominem interfecit, vel mutilavit, an & quando sit irregularis. pag. 163. a n. 10.

**E**brietas dupliciter contingere potest. pag. 169. n. 14. & 15.

**E**ccllesia an possit errare licet

gans

## I N D E X.

gando non ligandum , &  
absolvendo non absolven-  
dum. pag. 9. n. 9. & pag.

35. n. 39.

Electus per laicos ad dignita-  
tes Ecclesiasticas electio-  
nis cōmodo caret , & intel-  
ligibilis manet. pag. 207. n. 7.

Emere Sacra menta in extre-  
ma necessitate an sit lici-  
tum , contra Sotum latē  
discutitur. pag. 114. à n. 21.

Episcopus dispensare non  
potest cum conjugato , ut  
beneficium Ecclesiasticum  
possit obtinere. pag. 397.  
num. 32.

Episcopus potest dispensare  
cum homicida , & irregu-  
lari in beneficio simplici.  
*Ibidem.*

Errare an possit Pontifex in  
Canonizatione Sanctorū.  
pag. 36. n. 40.

Error , & ignorantia perinde  
ac furor excludant con-  
sensum. pag. 168. n. 13.

Excommunicatio communi-  
ter dividitur in majorem,  
& minorem. pag. 336. n. 7.

Excommunicatio major quā-  
donam incurritur à com-  
municante cum excom-  
municato. pag. 144. à n. 15.  
Excommunicatio absolute pro-  
lata an intelligatur de ma-  
jori. pag. 145. n. 16.

## F

Feudalis cause cognitio re-  
gulariter domino feudi  
competit. pag. 43. n. 4. O 5. &  
pag. 346. n. 25.

Fides propria in adultis , in  
parvulis autē fides aliena  
desideratur ad susceptio-  
nem baptismi. pag. 83. n. 22.

Fidejussor an ultra sortiem  
principalem teneatur ad  
usatas , & alias accessio-  
nes. pag. 433. n. 32.

Filiis non imputantur pecca-  
ta parentum. pag. 80. n. 14.

Filius impubes an Religioni  
alligetur ex oblatione pa-  
rentum. pag. 267. n. 32. O  
2. seq.

Filiae in electione propositi  
non coguntur sequi paren-  
tum imperium , si sint in  
estate nubili ; alias secus.  
*Ibidem.*

Fœmina suspenditur cum ip-  
so pecore , cum quo se  
commisicut. pag. 162. n. 9.

Fœminæ an ex privilegio R.  
Pontificis dignitates Ec-  
clesiasticas conferre va-  
leant. pag. 226. n. 24. O 25.

Fœtus adhuc in utero exi-  
stens an possit baptizari.  
pag. 93. num. 27.

Fructus ex re pignorata per-  
cepit

I N D E X.

- cepti imputantur in sortem debiti principalis, & quare. pag. 357. n. 22. & pag. 358. numer. 24.
- Fructus rei pignoratae ad debitorem expectant tanquam dominum rei. *ibid.*
- Fructus rei pignoratae quinam in sortem imputentur. p. 360. n. 25. & 26.
- Fructus pignoris quomodo retineri possint, qui imputentur in sortem principalem. p. 362. n. 27. & 28.
- Fructus rei feudalis domino cedunt interim dum vassalus mutuam pecuniam non solvit. pag. 363. n. 29.
- Fructus percepti ex re pignori data pro securitate dotti, an sint imputandi in sortem. pag. 364. n. 30.
- Furiosus, si durante furore hominem occidat, aut multolet, immunis est à poena irregularitatis, & quare. pag. 160. n. 7. & 8.
- Furiosus propter immanitatem delicti quandoque punitur. pag. 162. n. 9.
- Furiosus, qui Ferdinando Catholicó Regi nostro vulneris intulit, lethali supplicio affectus proponitur. *ib.*
- Furiosus, qui culpa propria incidit in furore, efficitur irregularis ex homicidio in *ad 1644*
- furore commisso. pag. 166.  
n. 12.
- Furiosus an tempore furoris puniri possit propter delictum ante furorem commissum. pag. 183. n. 25. & 26.
- Furem, vel latronem occidere anliceat pro necessaria rerum defensione. p. 177. *anum. 20.*
- Fur nocturnus, vel diurnus an & quando posse impune occidi. p. 179. n. 22. *in fin*

**G**

- Galliae Reges an in suo Regno beneficia, & dignitates Ecclesiasticas conferre possint. pag. 227. n. 25.
- Giezi eadem lepta, qua Naaman laborabat, fuit percussus. *pagin. 113. numer. 19.*
- Gladium tam spirituale, quam temporale est penes R. Pontificem. pag. 84. n. 9.
- Gratia gratis conferri debet, alias non erit gratia. pag. 113. n. 20.
- Gratificari benefactori juri naturali congruum est. p. 405. numer. 2.
- Græci à coelibatus lege discedunt. pag. 378. n. 14. *Ha.*

**H**omo ad imaginem Dei  
conditus est. *ibid.*

**I**n

Habilitas si ab initio adfuit,  
an noceat inhabilitas me-  
dio tempore superveniens.  
*pag. 391. n. 26.*

Hæresis non potest dari sine  
depravatione intellectus  
errantis in his, quæ fides  
tradit. *pag. 106. n. 12.*

Hispaniarū Reges decimas,  
quas vulgò *Tercias* vocant,  
percipiunt ex privilegio  
Apostolico. *pag. 224.*  
*num. 22.*

Homicidium ab ebrio com-  
missum an inducat irregu-  
laritatem. *pag. 163. à*  
*num. 10.*

Homicidium casuale inducit  
irregularitatem, quoties  
culpa, vel negligentia ca-  
sum præcessit. *pag. 168.*  
*n. 13.*

Homicidio ab ebrio commis-  
so tres actus considerati  
posunt. *pag. 169. n. 14.*

Homicidium casuale, cui pre-  
cavendo adhibita non est  
omnis diligentia, peccatum  
est læthale inducens irre-  
gularitatem. *p. 173. n. 18.*

Homicidium necessariū quid  
sit. *pag. 175. n. 19.*

Homicidium pro sola rerum,

Ignorantia, & error perinde  
ac furor excludunt con-  
sensum. *pag. 168. n. 13.*

Imperator potest esse Judex  
in causa propria. *pag. 44. n.*  
5.

Imperatores quondam Eth-  
nici, & mundani Pontificis  
nomen usurabant. *pag.*  
*214. n. 13.*

Imperator an totius mundi  
dominus dicatur. *pag. 221.*  
*n. 19. & 20.*

Impubes religioni oblatus  
infra annos pubertatis ex-  
ire non potest. *p. 267. n.*  
32. & 33.

Impubes an teneatur lege  
a quilia. *pag. 170. n. 16.*

Infames sacrī ordinibus in-  
signiti non possunt, nec ad  
officia Ecclesiastica pro-  
moveri. *pag. 421. n. 19.*

Infantes capaces esse baptis-  
mi sēper Ecclesia docuit,  
contra Anabaptistas, &  
alios hæreticos. *p. 77. à n. 9.*

Infantes an sine baptismo vel  
mar.

- martyrio possint salvati in  
fide parentum. pag. 85. n.  
19.
- Infantes ex nulla culpa te-  
nentur. pag. 170. n. 16.
- Infans doli capax an dari  
possit. pag. 172. n. 17.
- Infantes sine baptismo dece-  
dentes an sempiterno igne  
puniantur. pag. 185. n. 27.
- Ingratitudo grave nefas re-  
putatur. pag. 183. n. 25.
- Intentio contraria bonis ma-  
trimonij non deducta in  
conditionem expressam,  
sed tantum mente retenta  
an vitiet matrimonium. p.  
288 n. 13. O pag. 291. nu-  
mer. 16.
- Irregularitatem an incurrat  
ebrius, si hominem tempo-  
re ebrietatis occiderit, p.  
163. a num. 10.
- Irregularis non est qui se de-  
fendendo alterum occide-  
rit. pag. 175. n. 19.
- Irregularitas contrahitur ex  
homicidio commissio non  
servato moderamine in-  
culpatæ tutelæ. ibidem.
- Irregularis an sit occidens  
hominem ob rerum, & bo-  
norum defensionem. pag.  
177. num. 20. O 2. seqq.
- Indæi inviti, & renuentes an  
possint cogi ad baptismum  
suscipiendum. pag. 242. n.  
8. O 9.
- Juramentum metu præstitum  
validum est, & quare. pag.  
237. n. 4. O gag. 264. num.  
29.
- Juramentum, & votum metu  
emissum quatenus equipa-  
rentur. ibidem.
- Juramentum à Josue præsti-  
tum dolo Gabaonitarum  
an sit validum. pag. 262. n.  
27. O 28.
- Juramentum de solvēdis usu-  
ris qualiter possit obliga-  
re. pag. 429. n. 28. O 29.
- Juramentum a simplici lo-  
quela quid differat. p. 432.  
numer. 31.
- Jurans spōsalia, ac postea cal-  
titatis voto se adstringens,  
an possit licetè matrimo-  
nium contrahere, retento  
animo ingrediendi re igio-  
nem ante consummatio-  
nem. pag. 292. n. 17. O 18.
- Jurisdictiones spiritualis, &  
temporalis an resideant  
penes R. Pontificem, p. 48.  
a n. 8. usque ad n. 16.
- Jurisdictio spiritualis, & tem-  
poralis an, & in quo dif-  
ferant. pag. 62. n. 3.
- Iuris naturalis præcepta in  
duplici sunt differentia. p.  
447. n. 13.
- Ius patronatus vendita Villa,  
vel Castro quomodo tran-  
seat in emptorem. p. 110.  
num. 17.

I N D E X.

Ius patronatus an sit spiritua-  
le , vel spiritualibus anne-  
xum. pag. 109. n. 16. & pag.  
228. n. 26.

L

Laicorum incapacitas quoad  
res , & bona Ecclesiastica.  
pag. 210. n. 10. & 2. seq.

Laici quantumvis regio dia-  
demate insigniti compre-  
henduntur in prohibitione  
non disponendi de rebus  
Ecclesiae. pag. 213. n. 12.

Laici omnino incapaces sunt  
juris decimatum. pag. 224.  
num. 22.

Laicus potest competere ex  
privilegio R. Pontificis jus  
percipiendi decimas. Ibid.

Laicus incapax est juris con-  
ferendi, non obstante con-  
traria consuetudine etiam  
immemoriali. pag. 225. n.  
23. & 24.

Laicus nō est capax beneficij  
Ecclesiastici. pag. 395. n. 31.

Laici ex dispensatione Ponti-  
fici possunt Canonicatus,  
& beneficia obtinere. pag.  
402. n. 36.

Laicus an habeat potestatem  
excommunicandi , & ab-  
solvendi. pag. 226. n. 24.

Laicus de causa juris patro-  
natus cognoscere non po-  
test. pag. 228. n. 26.

Laicis jus patronatus ex gra-  
tia Ecclesiae fuit concel-  
sum. pag. 230. n. 27.  
Leo Papa quomodo se subje-  
cit iudicio Imperatoris.  
pag. 26. n. 30.

Leprosi in lege veteri ab om-  
nium communicatione se-  
parabantur. pag. 141. n. 12.

Libertas servo relicta sub  
conditione si milites heredi-  
tederit, an sit valida. pag.  
306. n. 31.

Locatio non transfert domi-  
nium in conductorem pag.  
304. n. 29.

Lora , hispanè autem Agus-  
pie non est sufficiens mate-  
ria Sacramenti Eucharistie.  
pag. 331. n. 29.

M

Marcellinus Papa à Concilio  
judicatus non fuit ob de-  
fectum jurisdictionem. pag.  
29. n. 29.

Maria Virgo Deipara quo-  
modo verum matrimo-  
nium contrarerit. pag. 286.  
n. 11. & 3. seqq.

Maritus ad sacros ordines as-  
cendere potest, uxore, si se-  
nex fuerit , promittente  
continentiam in sœculo, si  
vero juvenis , profitente  
religionem. pag. 396. n. 31.

Ma-

Maritus dote sibi non soluta,  
an fructus pignoris retine-  
re possit abique usuræ la-  
be. pag. 344. n. 10. & 11.  
& pag. 364. n. 30.

Martyrium pro Christo pas-  
sus ex Dei privilegio justi-  
ficatur. pag. 93. n. 27.

Matrimonium celebratum  
sub conditione: *Ego te in  
uxorem accipiam, si tantum  
mibi donaveris*, an valeat.  
pag. 98. num. 4. & pag. 118.  
num. 28.

Matrimonium dupliciter cō-  
siderati potest, ut Sacra-  
mentum, & ut contra-  
ctus. *ibidem*.

Matrimonium ex metu gravi  
celebratum nullum est ip-  
so jure. pag. 249. n. 15.

Matrimonij tria bona: vide  
in verbo *consensus*.

Matrimonium contractum  
sub intentione contraria  
bonis ejus, an sustineatur.  
pag. 288. n. 13. & pag. 291.  
num. 16.

Matrimonium cum aliqua  
jurans contrahere, & pro-  
ponens religionem ingre-  
di, an teneatur prius ma-  
trimonium contrahere, &  
postea ante ejus consum-  
mationem religionem in-  
gredi. pag. 292. n. 17. & 18.

Matrimonium contractum  
inter B. Virginem, & S. Jo-

seph quo sensu imperfe-  
tum dicatur à Sanctis PP.  
pag. 289. n. 14.

Matrimonium contractum à  
Clericis in sacris ordinibus  
constitutis nullum est. pag.  
374. a n. 9.

Matrimonium, & ordo sacer-  
dotum sunt essentialiter op-  
posita. pag. 383. n. 18.

Mentiti non licet etiam pro  
alterius vita servanda. pag.  
416. n. 14.

Merces, quæ levandæ navis  
causa in mare projiciuntur  
an habeantur pro dereli-  
cis. pag. 271. n. 36. & 37.

Metropolitanus non est supra  
Concilium Provinciale.  
pag. 18. n. 21.

Metu gravi gesta an nulla  
sint ipso jure, an ab initio:  
respondeatur sub distinctio-  
ne. pag. 248. n. 14. & 2. seqq.

Metus an nullum reddat vo-  
tum, seu professionem.  
*ibidem*.

Metus an jure positivo tan-  
tum, an etiam jure natu-  
rali nullum reddat votum.  
pag. 255. n. 20.

Metus mortis an, & quando  
vitiet votum, seu profes-  
sionem regularem. pag.  
270. n. 35.

Milites Alcantare, & Cala-  
trave licet uxorati fori pri-  
vilegio gaudet. pag. 384. n.  
19. Mo.

Monarchia præstantior est aristocracia, & democratio. pag. 195. n. 11.

Mutuans ea mente, ut plus forte recipiatur, tenetur in animæ judicio. pag. 107. n. 14. & 5.

Munum sub usariis accipere, an & quando sit peccatum. pag. 417. n. 15. & pag. 431. num. 30.

## N

Naturalia, & substantialia contractus quæ dicantur. pag. 279. n. 5. & 6.

Necessitas extrema an excusat à simonia. pag. 114. n. 21. usque ad 27.

Nemo pro peccato alterius est puniendus. p. 80. n. 14.

Nemo militans Deo implicit se secularibus negotijs. pag. 63. n. 24.

Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet. pag. 125. n. 35.

Nicolaus I. quandonam fuerit Pontifex creatus. pag. 129. in princ.

Non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum. pag. 395. n. 30.

Noxalis actio de pauperie an & quando concedatur nomine feræ bestiæ. pag. 181. n. 23. & 24.

## O

Oblationis paternæ virtute filij an Monachi efficiantur. pag. 267. n. 32. & 2. seqq.

Oblationes duplicitis generis olim à fidelibus dum Misse sacrificium te'brabatur offerebantur. p. 333. n. 31.

Obligatus ad factum etiam Jure Pontificio præcisè facere cogitur. p. 355. n. 20.

Occasio, & causa peccati quomodo differant. pag. 431. n. 30.

Occidere quatenus alterum liceat, pag. 175. n. 19.

Occidens hominem ob renum, & patrimonij tutelam an sit irregularis. pag. 177. n. 20. & 2. seqq.

Olei admixtio cum balsamo consecrato an sit de necessitate Sacramenti confirmationis. pag. 322. à n. 17.

Ordinati à simoniacis licet cum effectu characterem accipiunt, non habent tamen exercitium ordinum collatorum. pag. 122. n. 32.

Ordinatus per vim, vel in eum an obligetur ratione voti ad servandam continentiam. pag. 371. n. 5. & 6. & pag. 388. n. 23.

Ordines sacros an possit cōjugat

I N D E X.

- jugatus suscipere. pag. 396.  
num. 31.
- Ordo sacer, & matrimonium  
non sunt essentialiter op-  
posita. pag. 383. n. 18.
- Originale peccatum qualiter  
in posteros Adæ transfun-  
datur. pag. 82. n. 16.
- Papa an ligetur statutis Con-  
ciliarum generalium. *ibid.*
- Papa an possit errare in fidei  
quaestionebus. pag. 35. n. 39.  
¶ 2. seqq.
- Papa aliquando Imperator  
appellatur, & Princeps  
Principum mundi, pag. 61.  
num. 22.

- P**
- Paeta contra substantiam  
contractus an illum vi-  
tient. pag. 302. n. 27. ¶ 28.
- Pactum *antichresis* Jure Ca-  
nonico inspecto nullum  
est, sc̄cūs Jure Civili. pag.  
366. n. 31.
- Panis induratus est valida  
prioris consecrationis ma-  
teria. pag. 314. n. 9.
- Papa an sit supra Concilium  
generale. pag. 12. an. 12.
- Papa in quo sensu Pater Ec-  
clesiae, & simul filius dica-  
tur. pag. 16. n. 18. & pag. 21,  
n. 24. ¶ 25.
- Papa etiam sponte non potest  
se subjicere Concilio ge-  
nerali. pag. 24. n. 29. ¶ 30.
- Papæ nomen apud Græcos  
patriarchis, & Episcopis  
comune fuit. pag. 31. n. 36.
- Papa cur non possit aliquid  
statuere contra articulos  
fidei semel diffinitos. pag.  
33. n. 37.
- Papa aliquando Imperator  
appellatur, & Princeps  
Principum mundi, pag. 61.  
num. 22.
- Parrochus tempore aliquid  
an possit recipere pro ad-  
ministratioне Sacramen-  
torum. pag. 99. n. 5. & pag.  
119. n. 29.
- Patronatus jus an sit spiritua-  
libus annexum: vide in  
verbo *jus patronatus*.
- Paulus Apostolus an habui-  
set uxorem. pag. 376. n. 11.  
¶ 12.
- Peccatum originale ex ipsa  
carnali conceptione con-  
trahitur. pag. 80. n. 13.
- Peccatum ex voluntate pro-  
cedit, liberoque mentis  
arbitrio committitur. *ibid.*  
num. 14.
- Permutationes rerum Eccle-  
siæ an possint fieri auctori-  
tate Principis saecularis.  
pag. 231. n. 28. ¶ 29.
- Poenæ appellantium à senten-  
tijs R. Pontificis ad Conci-  
lium generale quænam sint.  
pag. 24. n. 28.
- Poenæ an imponatur secun-  
dum tempus delicti, vel  
poenæ in fluxenda. pag. 155.  
n.

# I N D E X.

- nam. 3. & pag. 184. n. 26.  
Poenitentia an sit necessaria  
in suscipiente baptismum.  
pag. 88. n. 22.
- Polygamia omni jure impro-  
bata est, & quare. p. 444.  
a n. 10.
- Polygamia crimen quibus  
poenis puniatur. pag. 452.  
num. 18.
- Pontifex non potest recusari.  
pag. 33. n. 38. in fin.
- Pontifex an habeat utrumque  
gladiū, spiritualem scilicet,  
& temporalem. p. 48. a n. 9.
- Pontifex ut Christi Vicarius  
habet eamdem potestate,   
qua Christus degens in  
terrīs pollebat. p. 49. n. 10.
- Pontifici Maximo à Christo  
Domino potestas spiritua-  
lis, & temporalis tradita  
fuit. *ibidem*.
- Pontifex ex causa potest  
Principes seculares Regno  
privare, & alijs donare.  
pag. 53. n. 14.
- Pontifex non potest se subji-  
cere etiam sponte judicio  
Principum secularium. p.  
24. n. 29. O 30.
- Pontifex an habeat potesta-  
tem, seu jurisdictionem  
temporalem directe, & in  
actu, an solum indirecte,  
& in habitu. p. 51. a n. 12.
- Pontifex mundi dominus ap-  
pellatur. pag. 221. n. 20.
- Pontifex an possit dispensare  
in voto continētiae solem-  
nizato per susceptionem  
sacri ordinis. p. 382. n. 17.
- Pontifices R. pro merito hu-  
militatis servos servorum  
Dei se se nominari possunt.  
pag. 61. n. 22.
- Potestas Christi quanta fue-  
tit in temporalibus. p. 58.  
n. 19. O 20.
- Potestas Pontificia, & Regia  
an essentialiter distinguan-  
tur. p. 60. n. 21. & pag. 62.  
num. 23.
- Præcepta juris naturalis in  
duplici sunt differentia.  
pag. 447. n. 13.
- Præscriptio immemorialis, &  
privilegium an & quando  
æquiparentur. pag. 226.  
num. 24.
- Precariæ aliæ concessæ fuere  
ab Ecclesia spōte sua, aliæ  
jussi Principis; & quod  
discrimen inter eas agnos-  
catur. pag. 232. n. 29.
- Precarium concessum eo pa-  
eto, ut non nisi post cer-  
tum tempus petatur, an sit  
nullum. pag. 302. n. 27.  
O 28.
- Preces an inducant vitium  
simoniae, si propter illas  
detur beneficiū, vel aliud  
spirituale. pag. 120. n. 30.
- Principes seculares in res, &  
personas Ecclesiasticas nul-  
lam

I N D E X.

- Jam habent potestatem.  
 pag. 210. n. 9.
- Principi licet rem meliorem,  
 sive æqualem Ecclesia do-  
 nare, & aliam ab Ecclesia  
 accipere. pag. 232. n. 29.
- Prodigus quis sit, & an fu-  
 rioso æquiparetur. p. 181.  
 num. 23.
- Professio est contractus ultrò  
 citroque obligatorius. p.  
 235. n. 2.
- Professio ad sui validitatem  
 requirit spontaneum con-  
 sensum. pag. 251. n. 16.
- Professio per simulationem  
 an nulla sit in utroque fo-  
 ro. pag. 251. num. 16. ♂  
 2. seqq.
- Professio emissā per dolum,  
 & circumventionem Ab-  
 batis an obliget profiten-  
 tem. pag. 257. n. 22.
- Professio metu mortis emissā  
 an & quando sit valida.  
 pag. 270. n. 35. ♂ 36.
- Professio an vitietur ex pacto  
 reservationis proprij. pag.  
 298. n. 23.
- Prophetia an vendi possit  
 absque simoniæ labo. pag.  
 124. n. 34.
- Puer ordinatus in sacris non  
 tenetur continere. p. 388.  
 num. 23.
- Puniendus est quis in eo, in  
 quo deliquit. pag. 411.  
 num. 9.

**Q**

- Quæ ipso jure nulla sunt;  
 quatenus rescindi, & re-  
 vocari dicatur. p. 265. n. 30.
- Quæ contra leges, & bonos  
 mores sunt, nec nos facere  
 posse credendum est. pag.  
 307. n. 32.
- Quæ directè prohibentur, per  
 obliquum permitti non  
 debent. pag. 358. n. 24.
- Quod lege permittente fit,  
 nullam meretur poenam.  
 pag. 175. n. 19.
- Quod semel utiliter constitu-  
 tum est, durat, licet detur  
 casus, a quo initium habe-  
 re non potuerit. pag. 383.  
 num. 18.

**R**

- Recusari an possit R. Pontis  
 fex. pag. 33. n. 38. in finē
- Reipublicæ nimis exitiosum  
 est duorum legibus subja-  
 cere. pag. 194. n. 10.
- Res spirituales nullo tempo-  
 rali pretio æstimari pos-  
 sunt. pag. 111. n. 18.
- Res levandæ navis causa in  
 mare projectæ an pro de-  
 relictis habeantur. p. 271.  
 n. 36. ♂ 37.

Reg

Res sacrae ex Constitutione Ecclesiæ possunt fieri non sacræ auctoritatæ Papæ. pag. 382. n. 17.

Res transit cum onere suo. pag. 67. n. 28.

Restitutio in integrū an im- plorari possit aduersus sē- tentiam à Pontifice latam, pap. 37. n. 31.

Restitutio in integrum faci- lius conceditur, quam ap- pelatio. *ibid.*

Rex est persona secularis: vide in verbo *unctio*.

Rex oleo delinitur in bra- chio, sive humero, vel in armo, Episcopus vero chrismate consecratur in capite, & quare. pag. 213. n. 12. *in fin.*

Regibus Catholicis jus per- cipiendi decimas conces- sum est. pag. 224. n. 22.

Reges Galliæ quo jure Præ- bendas, & Ecclesiastica beneficia conferre possunt. pag. 227. n. 25.

Reges duo in uno regno esse non possunt. pag. 194. à num. 10.

Romana Ecclesia est mater omnium Ecclesiarum, ob idque dicitur refugium oppressorum. pag. 20. n. 23.

Roma quare dicta fuit caput mundi. pag. 221. n. 19.

Romanus Pontifex compe-

tens est ad cognoscendum inter principes de jura- menti, & pacis violatione. pag. 40. n. 1.

Romulus in Remum parrici- da fuit. pag. 191. n. 4.

Romuli peccatum an fratri- cidij, aut parricidij nomi- ne appellandum sit, pag. 198. n. 17. & 18.

## S

Sacerdotes omnes tām Gen- tilitiæ, quām Judaicæ reli- gionis ab uxoribus absti- nuere. p. 386. n. 21. & 22.

Sacerdotali dignitati nulla dignitas secularis æquiparari potest. p. 213. n. 12. *in fin.*

Sacramentum ordinis à simo- niacis collatum quem ef- fectum habeat. p. 122. n. 32.

Sacra ex Constitutione Ec- clesiæ tantum possunt fieri non sacra auctoritate Pon- tificis. pag. 382. n. 17.

Satisfactio non est pars essen- tialis Sacramenti poenitentiae, sed tantum inte- gralis. pag. 323. n. 18.

Sententia R. Pontificis à Cōcilio generali retractari non potest per appellatio- nem ad ipsum interposi- tam. pag. 29. n. 34.

I N D E X.

- Signum debet esse simile rei significatæ. pag. 449 n. 15.
- Similitudo non semper dicit æqualitatem. p. 145. n. 16.
- Simoniacus cur hæreticus præsumatur. pag. 106. n. 12.
- ¶ 13.
- Simoniæ triplex species refertur. pag. 107. n. 14.
- Simoniacus mentalis an tecneatur restituere, quod per simoniam mentalem acquisivit. ibid. ¶ pag. 108. num. 15.
- Simonia jure divino, ac naturali est pretium dare, seu accipere pro gratia, & sacramentis. pag. 111. n. 18.
- ¶ 19.
- Simoniacus an sit pater dans pecuniam Sacerdoti nolenti aliter baptizare parvulum in extremis positum. pag. 114. a n. 21.
- Simoniæ definitio proponitur. pag. 115. n. 22.
- Simonia an committatur redimendo vexationem justè, vel iniuste factam circa spiritualem, vel spiritualibus annexam. pag. 117. n. 26. ¶ 27.
- Simoniacis quibus puniantur poenis. pag. 106. n. 13.
- Simplex promissio, & jurementum quoad Deum an equiparentur. pag. 432. num. 31.
- Spiritualia in triplici sunt differentia. pag. 109. n. 16.
- Spirituale aliquid multipliciter dici potest. pag. 123. num. 33.
- Subdiaconatus primis Ecclesiæ fæculis ficer gradus nō credebatur. pag. 380. n. 16.
- Subdiaconis licuit habere uxores usque ad tempora Gregorij I. ibid.
- Subrogatus sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. pag. 393. num. 28. in fin.
- Suffragia pro decedentibus solo baptisni desiderio quare offerri jubentur. pag. 76. n. 8.
- Supplicari an possit à sententia Sedis Apostolicæ, seu R. Pontificis. pag. 27. n. 32. ¶ 38.
- Symmachus Papa à Concilio non fuit absolutus, sed dimissus tam ex capite innocentiae, quam ex defectu jurisdictionis. pag. 26. num. 30.

T

Timor reverentialis Patris an sufficiat ad rescindendum contractum. pag. 266. n. 31.

Tria bona in matrimonio exiguntur, proles, fides, Sa-

I N D E X:

cramentum. pag. 284.n. 9.  
Tributorum prestatio est signum subjectionis. pag. 47.  
num. 7.

Tributum à Christo Domino solutum quodnam fuerit.  
pag. 63.n. 24.

Tonsuræ primus, præcipuus que effectus quis sit in tonsurato. pag. 372.n. 7.

Tonsura prima initiatus a gaudeat fori privilegio.  
pag. 402.n. 36. O 37.

V

Valor Sacmentorum, non pendet à bonitate, vel malitia ministri, sed à principali agente, qui est Christus. pag. 103. n. 8.

Vasa sacra possunt licite vendi, dummodo non plurim vendantur ratione consecrationis. pag. 110.n. 17.

Yendere Sacmenta, & eorum gratiam est in se simeoniacum, & jure divino, ac naturali prohibitum.  
pag. 111. n. 18. O 17.

Verbum non potest aliquando exponitur, id est non debet. pag. 317. n. 12.

Vinum de vite est materia necessariò requisita ad consecrationem Calicis. pag. 343. numer. 8.

Vinum congelatum non possit validè consecrari. p. 314.  
n. 9.

Virginitas est res consilij, non præcepti. pag. 248.n. 14.  
Violētum est, quod fit ab extirpatione passo non conferente vim, pag. 142.n. 13.  
in fin.

Vis præcisa, & absoluta distinguitur à conditionali.  
pag. 142. n. 13. O pag. 243.  
num. 9.

Vim vi repellere omnia jura permitunt, servato modere ramine inculpatæ tutelæ.  
pag. 175. n. 19. O pag. 192.  
num. 6.

Unctio Regum non continet aliquid Sacmentum, nec in ea confertur ordo sacerdotum, aut aliqua spiritualis potestas. pag. 212. n. 11. O 12.

Volenti, & consentienti non fit injuria. pag. 425. n. 22.

Voluntate, & proposito maleficia distinguntur. pagin. 160. num. 7.

Voluntas coacta vera voluntas est, sed non spontanea, seu libera. pag. 248. n. 14.

Voluntas coacta non sufficit in actibus, in quibus requiritur omnimoda libertas, ut in matrimonio, votivo, & alijs. pag. 249. n. 15.

Voluntatis definitio traditur. ibid.

I N D E X.

Voluntas, seu conatus inefficax non reputatur pro facto, quando agitur de poenitentia incurriendis. pag. 395. n. 30. *in fin.*  
 Votum, & baptismi metu susceptorum dispar ratio. p. 243. num. 9.  
 Voti, & juramenti differentia. pag. 264. n. 29.  
 Votum metu gravi emissum nullum est ipso jure. pag. 248. *& n. 14.* & an jure naturali. pag. 255. n. 20.  
 Votum dolo emisum an sit ut validum sustinendum, pag. 257. *& n. 21.*  
 Votum metu mortis emissum an & quando obliget. pag. 270. n. 35. *& 2. seqq.*  
 Votum metu reverentiali emissum an sit validum, pag. 266. n. 31.  
 Votum an obliget puerum doli capacem. pag. 268. n. 33. & pag. 388. n. 23.  
 Usura omni jure prohibita

est. pag. 412. *& n. 10.* usque ad 13.  
 Usurarum exercitium nec Pontifice permittente, nec ulla consuetudine licitum reddi potest. p. 416. n. 14.  
 Usuras exercere erga alienigenas an unquam licuerit Judaeis. pag. 418. n. 16.  
 Usurarij tam Clerici quam laici quibus poenis subjacent. pag. 420. *& n. 18.*  
 Usura an possit accipi ab hoste. pag. 418. n. 16. & pag. 425. n. 23.

Usura an sit licita ex testatoris voluntate. p. 405. n. 2. *in fin.* *&* pag. 423. n. 22.  
 Usurarum promissio juremento firmata, an obliget promittentem. pagin. 429. num. 28.  
 Usurarius censendus est creditor, qui fructus pignoris in sortem principalem non computat. pag. 357. n. 22. *& seqq.*

LAUS DEO.





o7111





G-E 526